T/IV L. thr.

(Vol. III/IV not yet out)

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
1962

Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological Union Library

PRAXIS CONFESSARIORUM

AUCTORE

AEMILIO BERARDI

SS.MI D. D. PRAELATO DOMESTICO

CANONICO PRAEPOSITO CATHEDRALIS FAVENTINAE

ET S. THEOLOGIAE DOCTORE

Editio IV.

AB AUCTORE EMENDATA ET AUCTA

Vol. I.

Continens tractatus

De virtutibus theologicis, de Decalogo et de peccatis capitalibus

FAVENTIAE

TYP. NOVELLI & CASTELLANI

MCMIII

COMMISSAR. CALIF. PROV. SS. CORDIS JESU ORD. FF. MINOR. S. FRA

Iura quae a lege sunt Auctor sibi vindicat

#727

Faventiae die XXV Novembris MCMII

Publicetur

✠ IOACHIMUS CANTAGALLI Episcopus Faventinus

EPISTOLA LEONIS PAPAE XIII
AD AUCTOREM

LEO PP. XIII

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Aeque libentes abs te accepimus et plenam obsequii epistolam et pietatis munus de fructibus ingenii doctrinaeque tuae. Sacris in disciplinis in ea praecipue quae est de moribus rite conformandis, iamdiu te praeclareque versari, exploratius pridem cognovimus; scilicet quum vir egregius, antea collega tuus, nunc episcopus, coram de magisterio tuo scriptisque editis intulit Nobis commendationem. Haec ipsa vero scripta non latet Nos quanti habita sint apud intelligentes existimatores publicaeque opinionis interpretes. Eo fit ut maiore Nos voluntate gratiam tibi laudemque de munere exhibito significemus, atque alacritati tuae non tam admovere incitamenta quam uberiores fructus exoptare ducamus. Sic igitur perge de studiis optimis deque Ecclesiae alumnis bene utiliterque mereri: nihil profecto neque sanctius praestiteris, neque Nobis feceris gratius. Quae ut eveniant vota, tibi coelestis sapientiae praesidia et bona cetera, Apostolica benedictione, ex animo invocamus.

Datum Romae apud S. Petrum die X ianuarii anno MDCCCXCV, Pontificatus Nostri decimo septimo.

LEO PP. XIII

Foris

—

Dilecto Filio
AEMILIO BERARDI Canonico
Faventiam.

INTRODUCTIO

Scopus huius operis est recta sacramenti poenitentiae administratio, a qua bona oriuntur inaestimabilia. Quid populo christiano salubrius? Quid Deo acceptius? Quid confessariis ipsis utilius? Felices populi qui bonos habent confessarios! Ipsorum ope quot iuvenes praeservantur, quot puellae illibatae manent, quot peccatores convertuntur, quot animae salvantur! Si alicubi morum bonitas, sacramentorum frequentia, singularis pietas conspiciuntur, haec profecto magna ex parte zelo bonorum confessariorum attribui debent. S. Pius V dicebat: « Habeantur « idonei confessarii; ecce omnium christianorum « omnimoda reformatio ». Quantum autem id Deo acceptum esse debeat, patet quia Ipse nihil desiderat magis quam salutem et sanctificationem animarum, pro quibus Sanguinem fudit. Christus Dominus nullum aliud signum amoris petiit a Petro, nisi ut animarum saluti atten-

deret; ei enim (Io. *21*) dixit: « Simon Ioannis, « diligis me? Pasce agnos meos...., pasce oves « meas ». Quae verba declarans Chrysosthomus inquit: « Nullum officium hoc Deo carius ». Quod demum ministerium istud sit confessariis ipsis utilissimum, patet ex magno merito, quod sibi comparare possunt; agitur enim de officio omnia spiritualis misericordiae opera continente, quod non levem exigit laborem, et continuis subiicitur incommodis fastidiisque; et quidem sine ullo, ne honoris quidem, emolumento. Quomodo Deus sinet perire eos, qui cum recta intentione pro animarum salute adeo laborarunt? Ipse dixit; « Qui ad iustitiam erudiunt plurimos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates ». Dan. (*XII 13*).

Placeant bona ista sacerdotibus fratribus meis, omnemque adhibeant zelum, ut ad hoc ministerium incumbant, illisque dotibus se exornent, quae ad eadem bona consequenda exiguntur. Heu quanta bonorum confessariorum necessitas adest! Alicubi fideles non inveniunt sacerdotem illorum confessiones audire paratum, et vix in paschate confiteri possunt. Alibi multi quidem confessarii praesto sunt; sed heu quot sunt de illis, qui (ut verbis utar Benedicti XIV in Bulla *Apostolica*) « nulla tacti sollicitudine

« poenitentes audiunt, non monent, non inter-
« rogant; sed, explicata criminum enumeratione,
« absolutionis formam illico proferunt ». Confessarii huiusce generis quid prosunt? Efficiuntne ut fideles meliores evadant? Nonne potius sunt in causa, cur maiori tranquillitate in vitiis tabescant? S. Gregorius VII scribere non dubitavit (*L. 7 Ep. 10*): « Ex imperitia et negli-
« gentia sacerdotum, quasi ex pestifera radice,
« innumera mala exorta sunt ». Haec bonorum confessariorum necessitas adhuc magis apparet, si considerentur tempora miserrima in quibus versamur. Iam magna pars populi (apud nos) in civitatibus et oppidis religionem dereliquit; iamque mulieres tantummodo et paucissimi viri catholico cultui adhuc adhaerent. Quid itaque si etiam pars ista, quae adhuc fidelis remanet, quaeque sola (sicut olim in Gallia) a totali exterminio religionem praeservare potest; quid, inquam, si etiam pars ista negligatur, et contra tentationes, quibus undique impetitur, non confortetur? Si ergo semper, hodie speciatim, operositatis, sollicitudinis, benignitatis, zeli et prudentiae bonorum confessariorum magna necessitas adest.

Ut ego ad bonum adeo fructuosum et necessarium pro meis viribus concurrerem, aliquos

conscripsi libros, et nunc istum de *praxi confessariorum* tractatum in lucem edere statui.

Praecipuus itaque huius operis scopus est, ut sacerdotes optime calleant ea omnia quae pertinent ad sacramentum poenitentiae, et speciatim artem, qua peccatores convertantur, poenitentes non satis dispositi disponantur, fragiles a relapsu praeserventur, tepidi ad fervorem et ferventes ad perfectionem adducantur. Porro ars ista (quae iure optimo semper appellata fuit ars artium), ut feliciter effectum suum sortiatur, non modo magnum zelum, sed etiam innumeras cautelas et advertentias exigit. His in rebus *praxis confessariorum* praecipue consistit. Huius necessitas confirmatur exemplo medicinae. Leges exigunt, ut iuvenes medici, antequam expeditam aegrotos curandi licentiam obtineant, non solum theorias in scholis didicerint; sed etiam exercitio practico in hospitalibus, sub peritissimorum medicorum directione, pluribus annis vacaverint. Id autem iustissime cautum fuit; si enim iuvenes medici cum solis theoriis artem exercerent, heu quot errores committerent, et quot aegrotos occiderent!

Dices: Nonne sufficiunt instructiones quae in scholis suppeditantur? Nonne pro praxi quoque alii libri adsunt? Respondeo. In scholis

abunde quidem de theoriis, sed perparum de praxi agi solet; libri autem, qui de praxi agunt, paucissimi sunt. Adde quod de praxi fere nullum opus modernum (si aliqua brevissima compendia vulgari idiomate exarata excipias) habemus; in antiquioribus autem, attentis novis legibus, novis decretis, novisque circumstantiis, plura vel deficiunt omnino vel non amplius conveniunt.

Sed meus scopus non fuit tantummodo ut de officio confessarii agerem, bene vero ut 1° sacerdotes hic inveniant doctrinas omnes, quibus in sacro confessionum audiendarum ministerio indigent; 2° exponantur et resolvantur illi casus practici, qui in aliis libris non inveniuntur et confessarios in angustias coniiciunt, maxime vero qui propter novas et speciales nostri temporis circumstantias accidere solent; 3° in illis punctis practicis maioris momenti, de quibus alii auctores nihil aut non sufficienter aut (meo sensu) non recte agunt, magistri quoque persuasi evadant. Mihi quippe mens est ut quidquid ad praxim valde interest et difficultatibus subiici posset, perspicue et solide probetur, si enim professores in scholis contraria docerent, assertiones meae quid valerent?

Methodus. Ordinarie brevis ero; sed ita ut rationes exponam; quae nedum ad persuasionem inducendam sed etiam ad memoriam iuvandam deserviunt. Stylo facillimo et simplicissimo semper utar. Ut plurimum doctrinis hodie magis communibus (et maxime si S. Ligorii suffragium habeant) adhaerebo. Dixi *ut plurimum,* non enim praecise sicut ovis alios sequor; sed si quando de aliqua ex huiusmodi doctrinis suspectum concipiam quod falsa aut minus probanda sit, mihi mos est multum studii et circumspectionis adhibere; et si tandem prorsus persuasus evadam quod doctrina contraria (etsi antiquior aut minus communis) vera aut practice praeferenda sit, quovis reiecto partium studio aut humano respectu, illam amplector et propono. *Amicus Socrates, amicus Plato; sed magis amica veritas.*

Ordo tractationis est sequens. 1° De virtutibus theologicis. 2° De decalogo. 3° De peccatis capitalibus. 4° De iustitia et iure. 5° De praeceptis Ecclesiae. 6° De statibus particularibus. 7° De sacramentis. 8° De censuris.

Dices: Nihil itaque de theologia fundamentali, scilicet de actibus humanis, de conscientia, de peccatis etc.? Respondeo: Haec in scholis exponuntur, et proinde (saltem maxima ex

parte) sunt omnibus sacerdotibus notissima. De illis ego quoque, in opere cui titulus *Examen*, ex professo sermonem habui. Attamen etiam in opere isto incidenter quidem, sed quantum satis (ut pro praxi nihil deficiat) huc illuc, et speciatim in tractatu De Poenitentia, agam.

Monita. I. In decursu huius operis diversitas in charactere adhibetur, ut quae magis vel frequentius notari debent, facile atque (ut ita dicam) ictu oculi distinguantur.

II. Quum alia opera composuerim, ubi valde diffuse de quibusdam materiis particularibus pertractavi (cuiusmodi sunt *Theologia pastoralis*, *De recidivis et occasionariis*, *De sollicitatione* etc.), pro uberioribus explicationibus ad illa lectores remittam. Dixi *pro uberioribus explicationibus*, compendiose enim quae magis necessaria sunt hic quoque suis locis exponam.

TRACTATUS I.

De virtutibus theologicis

Sectio I.

DE FIDE.

Agendum est 1° De fidei essentia et causis. 2° De fidei necessitate. 3° De fide quoad actus internos: 4° De fide quoad actus externos.

CAPUT I.

DE FIDEI ESSENTIA ET CAUSIS.

1. *Quid est fides?* Fides stricte dicta definitur *virtus infusa qua veritates tamquam a Deo revelatas ab Ecclesia propositas firmissime credimus.*

2. *Quaenam sunt **causae** fidei?* Sunt 1° Gratia Dei quae nos inclinat ad credendum. 2° Auditio veritatum quas Ecclesia nobis sic credendas proponit. 3° Motiva credibilitatis, nempe miracula, prophetiae etc., quae Ecclesiae ipsius dogmata non nisi vera esse posse ostendunt.

3. *Loquendo de Fide non stricte sed in genere, quodnam est essentiale fidei **fundamentum**?* Fides in auctoritate fundatur. Hoc ad fidei essentiam pertinet « Quod « intelligimus, debemus rationi; quod credimus, auctori- « tati » (S. Aug. *de utilit. credend. XI*).

4. *Quaenam sunt fidei* ***distinctiones?*** Fides *humana* auctoritati hominum; fides *divina* auctoritati Dei innititur.

Deus loquitur per creaturas (« Coeli enarrant gloriam Dei ») et loquitur per revelationem. Fides praestita Deo loquenti per creaturas est *late dicta,* seu *naturalis;* praestita autem Deo loquenti per revelationem, est *stricte dicta,* seu *supernaturalis.*

Fides divina alia est divina simpliciter, et alia est divina-catholica. *Divina simpliciter* respicit veritates revelatas quidem, sed ab Ecclesia tamquam tales non adhuc certe recognitas, atque adeo fidelibus credendas non adhuc propositas. Tale erat, v. g. dogma Immaculatae Conceptionis olim; et tales sunt etiam revelationes particulares, quibusdam a Deo factae. Huiusmodi Dei locutiones obligant quidem ad credendum fide divina, sed solum quoad illos qui de revelatione reapse subsecuta certi sint. Viva (*pr. XXI Inn. XI n. 19*).

Fides *divina-catholica* (de qua sola hic agitur) respicit veritates, quae tamquam certe revelatae et credendae ab Ecclesia proponuntur. Non tamen oportet ut solemnis definitio intercesserit; sed ordinarium quoque et universale (iuxta effatum: *quod ubique*, *quod semper*, *quod ab omnibus creditum est*) Ecclesiae magisterium sufficit. Nunquid enim fides divina-catholica non aderat antequam concilia coadunarentur? Concil. Vatic. (*Cap. III*) dicit: « Fide « divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in « verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, « sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magi- « sterio, tamquam divinitus revelata, credenda propo- « nuntur ».

Fides est virtus *supernaturalis ratione obiecti* (supernaturaliter revelati), atque insuper *ratione principii,* quatenus est donum Dei, quo Deus in nobis sine nobis operatur, quo scilicet intellectui et voluntati hominis multum ultra naturalem potentiam superadditur. Mazzella (*De virt. 8. 8*).

Fides potest esse in actu aut solum in habitu. *Fides in actu* definitur a Concil. Vatic. (*l. c.*): « Virtus super-

« naturalis, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo « revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam « rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, « sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec « falli, nec fallere potest ». *Fides in habitu*, etiam ante usum rationis infunditur in baptismo, et est virtus supernaturalis, quae reddit hominem (ad minus) capacem credendi (ut supra) firmissime suo tempore (Mazzella (*l. c. n. 68-71*).

5. *De existentia revelationis quomodo habetur certitudo?* Habetur etiam per signa credibilitatis, nempe per argumenta mere humana et scientifica; quatenus documenta historica aut quomodolibet solo rationis lumine cognoscibilia, de hac ipsa revelationis existentia, seu (quod in idem recidit) de veritate religionis catholicae, non solum probabilitatem sed certitudinem luculentam constituunt. Hinc Innocentius XI damnavit sequentem prop. (*XXI*): « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum « notitia solum probabili revelationis; imo cum formi- « dine, qua quis formidet, ne sit locutus Deus ». (Viva *in h. p. n. 1*). Et Concil. Vaticanum dicit: « Voluit Deus « cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi reve- « lationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque im- « primis miracula et prophetias, quae... divinae revelationis « signa sunt certissima... Ecclesiam instituit, suaeque in- « stitutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam cu- « stos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. « Ad solam etiam catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia « quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam « multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam « Ecclesia per se ipsam, ob suam nempe admirabilem pro- « pagationem, eximiam sanctitatem, et inexhaustam in « omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem in- « victamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum « est motivum credibilitatis, et divinae suae legationis « testimonium irrefragabile ». Profecto argumenta ista scilicet 1° miracula; 2° prophetiae adimpletae; 3° martyres; 4° alii testes innumeri atque (attenta eorum doctrina et sanctitate) quavis exceptione maiores; 5° mirabilis propagationis et conservationis modus; 6° effectus tam pri-

vati quam publici et undequaque optimi, qui ex professione catholicae religionis oriuntur; 7° unitas, constantia, sanctitas et puritas doctrinae; 8° existentia complexiva horum omnium signorum in sola religione catholica (Cf. Lugo *de fid. V.* IV *48-58*); argumenta ista (inquam) adeo luculenta sunt, ut cum Richardo a S. Victore (*L. I de Trin. 2*) exclamare debeamus: « Domine, si error est, « quem credimus, a te decepti sumus; ista enim nobis « eis signis confirmata sunt, quae nonnisi a te fieri po« tuerunt ». Unde etiam merito dixit Lugo (*l. c. I 122-131*), quod, quamvis Deum immediate nobis loquentem non audiamus, tamen Ecclesia catholica tali ac tanto divinorum signorum apparatu ad nos se praesentat, ac talia et tanta divinae missionis testimonia secum fert; ut in ipsa nuntium Dei, atque in ipsius praedicatione vocem Dei recognoscere debeamus. Cf. Encycl. Pii IX (*9 Nov. 1846*) apud Franzelin (*De div. trad. pag. 687*).

6. Attamen quamvis haec signa credibilitatis sint adeo clara, eiusmodi non sunt, ut assensus fidei christianae non sit liber et meritorius. Concil. Vatic. definivit: « Si quis « dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed « argumentis humanae rationis necessario produci; ..... « anathema sit ». Dicendum est itaque, motiva credibilitatis non cogere ex necessitate ad assensum, sicut esset de iudicio *duo et duo faciunt quatuor* (cui adeo necessario assentiendum est, ut ne sophismatibus quidem locus dari possit); sed, ut bene loquitur Franzelin (*De div. trad. vers. finem Append. IV.* IV *3*): « Quamvis tot splendeant « rationes manifestantes existentiam revelationis, ut sit « evidens exclusio *prudentis* formidinis de opposito...; nihilo « tamen minus existentia ipsa revelationis non est directe « evidens, sed tantummodo obiective certa; h. e. manife« statio rationum non est clara eo gradu, ut excludat etiam « possibilitatem formidinis *imprudentis* ». Et profecto demonstratio scientifica de catholicae religionis veritate non paucis sophismatibus impetitur; quae, speciatim in personis idiotis aut parvae intelligentiae, rem obnubilare valent; imprudentia autem, maxime vero perversitas et passiones efficere possunt, ut fidei assensus culpabiliter

denegetur, et sic ut haeresis vel infidelitatis crimini locus detur. Quod vero in contrarium non sint verba Pii IX (*Encycl. cit.*), vide Franzelin (*l. c.*).

7. Quamvis autem homo solo rationis lumine ductus signis credibilitatis debitum pondus praeberet, non ex hoc tantummodo fides oriretur; fides enim est gratia Dei, est donum Dei, est lumen supernaturale, quod rationis lumini multum superaddit, ut dixi; atque insuper suo influxu efficit, ut voluntas humana revelationis existentiam longe maiori firmitate credat, quam si eadem sola ratione cognita fuisset. Motiva credibilitatis enim reddunt revelationem credibilem certitudine morali naturali; lumen fidei autem reddit illam firmissime credendam tali certitudine supernaturali, quae alias omnes certitudines naturales superet. Hoc patet etiam ex prop. XIX damn. ab Inn. XI quae dicebat: « Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso « sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad « assensum impellentium ». An autem voluntas efficere possit ut, subsistente quoque et perdurante dubio in intellectu reluctante, fidei firmitas minime labefactetur, videbimus infra.

8. *An cognitio signorum credibilitatis sit absolute necessaria, ut actus fidei concipi valeat?* R. Haec cognitio, speciatim quoad eos, qui tentationibus circa fidem subiiciuntur, maxime vero quoad illos, qui fidem nunquam habuerunt aut amiserunt, valde deservire potest. Quod tamen sit stricte necessaria, negandum est omnino; ex una parte enim fides est (ut dixi) lumen supernaturale (non vero fructus meri ratiocinii); et ex alia de facto videmus innumeros pueros et rudes, qui, statim ac a parocho vel parentibus de rebus credendis edocentur, etsi de signis credibilitatis nihil aut fere nihil audierint, sine ulla difficultate credunt; eos autem vera fide carere neque unquam auditum est neque supponi potest. Hinc scripsit Cardenas (in prop. damn. ab Inn. XI *n. 44*): « Neque « mihi persuadere possum, theologos requirere in pueris, « et viris aut foeminis rudibus, evidentiam ortam ex ar- « gumentis (credibilitatis).... Et hoc est quod aliqui, quos « refert P. Suarez, dicunt, evidentiam ex argumentis ortam

« solum requiri in corpore Ecclesiae; non in singularibus « personis, praesertim rudibus. Evidentia autem moralis « quam admitto in pueris et rudibus, est illa, qua sibi « certissime persuadent, parochum proponentem mysteria « fidei nolle decipere; et, licet hoc non excedat fidem « humanam, accedente illustratione et inspiratione divina, « excedit fidem humanam, et motivum alias probabile red- « ditur moraliter evidens...; et haec est sententia D. Tho- « mae (*2. 2 q. l. art. 5 ad ad 1*) illis verbis: — Per « hunc modum fideles habent eorum notitiam, non quasi « demonstrative, sed in quantum *per lumen fidei* vident « esse credenda » —.

9. *Exigiturne saltem, ut actus fidei eliciatur propter auctoritatem Dei revelantis?* R. Certe fides ex motivis solo naturali rationis lumine cognitis oriri non potest; ut patet etiam ex prop. XXIII damn. ab Inn. XI, quae dicebat: « Fides late dicta ex testimonio creaturarum, « similive motivo, ad iustificationem sufficit ».

Quod autem assensus fidei dari debeat propter auctoritatem Dei revelantis verum est, si tamen debito modo intelligatur; non enim necessario exigitur ut christifidelis de motivo isto clare et explicite cogitet; sed sufficit si dogmata fidei ab aliis doctrinis naturalibus et profanis distinguat, in iisque quid supra humanum introspiciat. Hinc Lugo (*De fid. I 126*), agens de rusticis et pueris, quorum parochus (ut in praxi saepissime accidit) solum eis dixit, v. g. Verbum incarnatum, Christum mortuum esse etc., quin addiderit Deum haec revelasse, dicit: « Regu- « lariter eliciunt actus fidei divinae, quia, licet non conci- « piant explicite revelationem Dei formalissime, concipiunt « tamen confuse doctrinam illam quasi divinam, et agno- « scunt in ea aliquid supra humanum, et intelligunt ita « doceri per fidem, concipientes nomine *fidei* aliquid numi- « nis et divinitatis; quod sufficit, ut confuse intelligant « illam doctrinam non esse sicut alias, quae oriuntur « solum ab hominibus; quamvis non audierint explicite, « eam doctrinam esse revelatam a Deo, et credendam « propter Dei revelationem ».

CAPUT II.

DE FIDEI NECESSITATE, ET DE ARTICULIS QUORUM COGNITIONEM EXPLICITAM HABERE OPORTET EX NECESSITATE MEDII VEL PRAECEPTI.

10. *Fidei* ***necessitas*** *quomodo probatur?* Probatur 1° ex obligatione praestandi Deo cultum debitum, seu profitendi veram religionem; 2° ex praecepto positivo divino, quod implicite includitur in verbis (Marc. *ult.*) « Praedi- « cate Evangelium omni creaturae: qui crediderit et « baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit « condemnabitur ». Insuper (Io. *I.* III *23*) dicitur: « Hoc « est mandatum eius: ut credamus in nomine Filii eius « Iesu Christi ». Probatur 3° quia sine fide neque iustificatio neque salus aeterna obtineri potest; actus enim mere naturales ad supernaturalia neque ex se proportionem, neque ex Dei voluntate aptitudinem habent (Cf. Lugo *De fid. XII 30-32*): et de hoc innumera habemus documenta in Scripturis, Patribus et Conciliis; v. g. (*Hebr. XI 6*): « Sine fide impossibile est placere Deo », et Concil. Vatic. (*c. III*): « Nemini unquam sine illa (fide) contigit « iustificatio; nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque « in finem, vitam aeternam assequitur ».

11. *Quinam sunt articuli fidei quorum cognitionem* ***explicitam*** *habere oportet?* Quamvis fides omnino necessaria sit, ex hoc non sequitur quod omnia et singula fidei dogmata ab unoquoque sciri et credi debeant *modo explicito.* Id profecto neque exigitur, neque in praxi possibile esset. Hinc sequentia observanda sunt.

I. Imprimis nullum fidei dogma negari potest; unde theologi dicunt quod, loquendo de fide implicita, haec ad omnia a Deo revelata extendi debet.

II. Praecipua fidei dogmata scienda et credenda sunt explicite necessitate praecepti, et aliqua ex istis etiam necessitate medii.

12. *Quid de sciendis et credendis explicite de* ***necessitate praecepti?*** Praeceptum istud non est mere

ecclesiasticum, sed (ut patet ex modo dictis) divinum (Cf. Lugo *De fid. XIII 159*).

Aliqua adest obligatio sciendi formulas (quae in catechismis prostant), sed praeceptum divinum non formulas respicit, bene vero rem, scilicet formularum sensum et significationem (Lugo *l. c. 68*).

Praecipua fidei dogmata, quae de necessitate praecepti sciri debent, sunt 1° *Symbolum Apostolicum* quoad omnes et singulos eius articulos; 2° *Sacramenta* baptismi, poenitentiae et eucharistiae quoad praesentiam realem I. C. in SS. Sacramento et Sacrificium Missae. Haec sacramenta sciri debent ab omnibus. Aliorum autem quatuor sacramentorum notitia, atque etiam uberior cognitio trium praedictorum, haberi debet ab iis qui illa suscepturi sunt. Insuper omnes scire debent 3° *decalogum*; 4° *necessitatem orandi* (Cf. Lugo *l. c. 64-130*).

Sciri debent etiam mandata Ecclesiae, oratio dominicalis, signum crucis etc.; sed haec in rigore huc non spectant; non enim ex praecepto fidei divinae, bene vero ex alio capite praecipiuntur.

Praeceptum divinum sciendi symbolum apostolicum, et alia modo indicata, obligat *sub gravi*; exceptis tamen quibusdam minoris momenti. Sic, v. g. cognita passione et resurrectione D. N. I. C., non exigitur sub gravi ut cognoscatur quod *praecise sub Pontio Pilato* passus fuerit, et quod *praecise tertia die* resurrexerit. Plures censent etiam non gravem adesse obligationem sciendi quod ad inferos (seu limbum) descenderit (Cf. Lugo *l. c. n. 76 et seqq.*).

Praeceptum istud ordinarie obligat solum ut praedicta sciantur modo proportionato communi et vulgari capacitati; unde sufficere solet si de iisdem quaedam *cognitio substantialis*, etsi rudis et crassa, habeatur (Lugo *l. c. 68*). Articulus autem qui Deiparae perpetuam virginitatem indicat, et praeceptum *non moechaberis*, sciri quidem debent; sed habita ratione personarum; quis enim dixerit quod pueri malitiam addiscere teneantur, ut rerum huiusmodi sensum intelligant?

Qui circa religionem alios docere debent, et speciatim parochi, non sicut simplices christifideles, sed modo perfectiori atque etiam cum maiori extensione, res fidei scire tenentur (Lugo *l. c. 144-152*).

13. *Quid si quis ex ignorantia invincibili praedicta ignoraret? Possetne nihilominus aeternam salutem assequi?* R. Affirmative, dummodo non ignoret ea quae sunt necessaria necessitate medii; ea scilicet quae sunt media necessaria ad salutem, quibus (etsi inculpabiliter) ignoratis et proinde non adhibitis, salus aeterna obtineri nequit.

14. *Quaenam explicite scienda et credenda **de necessitate medii**?* Huiusmodi sunt certe dogmata *de existentia Dei* et *de Deo remuneratore*. Patet 1° ex Apostolo (*Hebr. XI 3*) dicente: « Sine fide impossibile est placere « Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia « est, et inquirentibus se remunerator est ». Patet 2° ex propos. XXII damn. ab Inn. XI quae dicebat: « Nonnisi « fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii; « non autem explicita Remuneratoris ».

15. *Sed quo sensu haec sunt necessaria necessitate medii?* Imprimis (ut supra dixi) non sufficit cognitio Dei (ut ita dicam) philosophica, sed exigitur cognitio fidei. 2° Sufficit si Deus cognoscatur modo rudi, ita tamen ut in substantia verus illius conceptus habeatur, apprehendendo scilicet illum tamquam Ens Supremum et perfectissimum, distinctum ab omnibus aliis rebus, quae ab ipso creatae fuerunt. Haec cognitio in christifidelibus facillime supponi debet; nec ullum facessit negotium, si forte ipsi sub aliis terminis interrogati, confunderentur, vel etiam alios (v. g. B. Virginem vel Sanctos) Deo aequales admittere viderentur (Cf. Lugo *l. c. XIII 142*). 3° Sub nomine Dei remuneratoris intelligitur etiam Deus vindex (ut passim theologi notant); unde cognitio ista ad paradisi et inferni fidem reducitur. 4° Notitia explicita horum dogmatum est necessaria necessitate medii, quatenus sine fide actuali in Deum, converti ad Deum, et proinde obtinere iustificationem post culpam (ex ipsa rei natura) prorsus impossibile est. Notitia autem paradisi et inferni morali necessitate exigitur non solum ad perseverandum (ut per

se patet) seu (ut aiunt) *ad ultimam salutem*, sed etiam ad poenitendum (scilicet *ad primam salutem*); actus enim attritionis ex metu poenarum concipitur; actus autem contritionis, seclusa cogitatione Dei remuneratoris seu de Deo possidendo in gloria coelesti, non facilis esset (Cf. Lugo *l. c. XX per tot.*).

16. *Quid itaque si puer baptizatus, postquam pervenerit ad usum rationis, de praedictis necessariis necessitate medii a nemine instructus fuisset, nullaque lethali culpa commissa moreretur?* R. Salvaretur. Equidem, loquendo de adultis rationis usu pollentibus, Suarez (*De fid. II.* II *15*) scripsit: « Pie creditur, si homo in illo statu (*nullius instructionis*) faciat « quod in se est, Deum sua providentia effecturum, ut ei sufficienter pro« ponatur fides, vel exterius, per homines, vel interius ministerio Ange« lorum ». Sed si hoc, quod pie creditur, non verificaretur, loquendo (ut dixi) de homine baptizato, utique sola fides habitualis et gratia sanctificans in baptismate infusa et nunquam (ut supponimus) amissa, sufficere debet ut salvetur. Hinc scripsit Lugo (*l. c. XII 3*): « Non video cur iste « non salvetur sine actu fidei; nam, licet moriatur adultus, non tamen « fuit adultus quasi formaliter in illa materia, cum circa eam nunquam « ut adultus habuerit occasionem operandi; quod idem notavit Suarez ». Idemque docent Mazzella (*De virt. 230 et 856*), Lhemkuhl (*I 278*), et Ballerini (*I 196 not. 6*), qui scripsit. « Num dicemus gratiam sanctifi« cantem ab ipsis avolare, ideo quia non faciunt id quod facere non pos« sunt? » Casus iste dari potest speciatim in surdo-mutis non instructis (Cf. Roetti *pag. 5*). Doctrina itaque generalis cum hac explicatione intelligi debet.

17. *Praeter fidem in Deum et vitam aeternam (ut supra), adsuntne alia stricte necessaria* ***necessitate medii?*** R. Plures censent necessariam esse quoque fidem explicitam *SS. Trinitatis et Incarnationis;* ita tamen ut circa SS. Trinitatem sufficiat scire tres esse distinctos, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, quorum unusquisque sit Deus; nihilominus non esse tres Deos, sed tres illos esse unum eundemque Deum; neque oportet ut rudes intelligant Filium esse genitum, et Spiritum Sanctum procedentem etc. Nomine autem incarnationis, redemptio potius intelligitur, quatenus Filius Dei non solum factus fuerit homo, sed etiam pro nostra aeterna salute passus et mortuus fuerit.

Alii autem existimant quod circa haec duo mysteria fides explicita sit quidem necessaria necessitate praecepti, sed non necessitate medii, nisi forte homo tali necessitate debeat ea credere implicite, v. g. credo quidquid revelavit Deus. Sententiam istam tenent Suarez, Lugo, Gotti aliique

multi, quibus novissime adhaeret Mazzella (*De virtud. n. 882*). S. Lig. autem (*II 2*) censuit esse doctrinam satis probabilem, et proinde (ut dixit etiam Viva) non obstare prop. damnatam ab Innoc. XI (*n. 64*) quae dicebat: « Absolutionis capax est homo, quantumvis laborat ignorantia « mysteriorum fidei, et (N. B.) *etiamsi per negligentiam « culpabilem* nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incar- « nationis D. N. I. C. ».

Attamen (quum agatur de re spectante ad iustificationem et salutem aeternam) a parte tuta standum est, et proinde horum mysteriorum cognitio tamquam necessaria necessitate medii practice considerari debet; iuxta responsum S. C. S. Officii (*3 Maii 1703*) sequentis tenoris: « Utrum, antequam adulto conferatur Baptisma, minister « teneatur ei explicare omnia fidei nostrae mysteria, prae- « sertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem « illius; an non sufficeret, si moribundus promitteret fore « ut, ubi e morbo convalesceret, instruendum se curet; « ut in praxim redigat quod ei praescriptum fuerit? « Respondetur non sufficere promissionem, sed missiona- « rium teneri adulto, etiam moribundo, qui incapax omnino « non sit, explicare mysteria fidei, quae sunt necessaria « necessitate medii, ut sunt *praecipue* mysteria Trinitatis « et Incarnationis » (Cf. Bened. XIV Constit. *Postremo mense n. 41*).

Sed cur (dices) S. C. apposuit adverbium *praecipue;* quasi scilicet adessent alia quoque hoc modo necessaria, etsi in minori gradu? R. Censeo S. C. locutam fuisse de necessitate medii sin minus ad primam, saltem ad ultimam salutem (*n. 15*); quatenus scilicet horum quoque duorum mysteriorum cognitio saltem ad perseverandum in vera religione, atque ad assequendam eius auxiliis gloriam aeternam, moraliter necessaria sit; qua de re vide Sanchez (*Dec. II.* II *8-10*). In tantum autem dixit *praecipue*, in quantum, praeter mysteria Trinitatis et Incarnationis, alia quoque necessaria sunt necessitate medii ad ultimam salutem, quatenus sine ipsis (nisi hominis vita valde brevis esset) perseverare in gratia Dei ad minus difficillimum foret. Huiusmodi sunt, v. g. cognitio Ecclesiae Catholicae, cognitiò sacramenti poenitentiae aut saltem efficaciae contritionis perfectae, cognitio necessitatis orationis etc. Cf. S. Lig. (*Trattato sulla necessità della preghiera).*

CAPUT III.

DE FIDE QUOAD ACTUS INTERNOS.

ARTICULUS I.

De fide interne neque neganda neque in dubium revocanda.

18. *Praenotanda :*

I. Negatio fidei cristianae potest esse *totalis* (excludendo prorsus revelationem), et *partialis* (negando dumtaxat aliquos fidei articulos). Insuper potest esse *interna* et *externa*. Interna autem potest esse 1° *absoluta* aut *sub dubio;* 2° *formalis* aut *materialis;* secundum quod cum culpa aut sine culpa fides aut aliquis fidei articulus non acceptatur vel negatur vel in dubium revocatur.

II. Negatio totalis in eo, qui fidem christianam nunquam amplexus fuerat, dicitur *infidelitas:* et contingit v. e. in idololatris, mahumetanis, hebraeis etc. In eo autem qui fidem christianam prius profitebatur, dicitur *apostasia;* et contingit speciatim apud nos in modernis atheis, naturalistis, materialistis, deistis, rationalistis, *liberis cogitatoribus*, et sectae massonicae cum cognitione eiusdem finis supremi (qui est rationalismus et bellum contra revelationem) ex animo addictis.

III. Negatio autem partialis, cognoscendo quod agitur de articulis fidei catholicae (quae cognitio contumaciam implicat) *haeresis* appellatur.

19. *Peccatum* ***internae negationis fidei*** *in quo consistit?* Ad hoc bene determinandum, observare oportet prius, quod homo in mente sua potest negare veritatem rei revelatae quatuor modis.

Primus est si intra se dicat: *Iudico rem hanc esse revelatam, sed non credo esse veram.* Attamen a casu isto praescindi potest; practicus enim minime est. Cf. Lhemkuhl (*I 198. 7 a*) et Franzelin (*De div. trad. App. IV.* IV *Cor. 1*).

Secundus est si quis dicat: *Non admitto revelationem, seu nullam prorsus revelationem existere existimo (vel de hoc dubito).*

Tertius consistit in dicendo: *Admitto revelationem, sed non admitto veritatem Ecclesiae Catholicae;* seu aliis verbis: *Admitto revelationem, sed non credo (vel dubito) rem hanc esse revelatam, quamvis ab Ecclesia tamquam articulus fidei habeatur.*

Quartus denique consistit in dicendo: *Admitto revelationem et veritatem Ecclesiae Catholicae; sed quod talis vel talis res sit articulus fidei non credo (vel dubito).*

In hoc ultimo casu peccatum formale contra fidem ordinarie non adest (Attamen adesset si ex una parte homo sic dicendo versaretur in dubio, et ex alia inquisitiones omitteret simulque perspiceret eas non esse omittendas, eo quod error malas consequentias habere posset). Heic referri videtur casus illorum, qui adeo rudes sunt, ut, quamvis sciant, aliquid (v. g. aeternitatem poenarum) esse articulum fidei, tamen ignorant, vel non bene percipiunt quid per verbum istud (*articulus fidei*) significetur; ignorant scilicet quod omnes et singuli articuli fidei ita sub gravi credi debeant, ut si de illis dubium dumtaxat in mente retineatur, iam fides catholica repudietur. Stante autem hac ignorantia, dubitant reapse de aliquo fidei articulo, et reputant se nihilominus remanere catholicos; ita scil. ut, si animadverterent tale dubium cum fide catholica stare non posse et se hoc modo evadere haereticos, tunc dubium ipsum absolute reiicerent.

20. His praemissis sic dico. Quod (speciatim in iis qui sub Ecclesiae magisterio nunquam aut parum instructi fuerint) dari possit infidelitas vel haeresis mere *negativa* et *inculpabilis*, excusante ignorantia vel errore invincibili, in confesso est apud omnes. Si autem huiusmodi excusatio non interveniat, utique peccatum locum habebit; sed eius malitia (repeto) in quo consistit? R. Notissimum est quod errores intellectus non solum involuntarii sed etiam voluntarii esse possunt; homo enim sua libera voluntate efficere valet ut intellectus in errandi periculo remaneat, vel etiam eidem periculo magis magisque subiiciatur, procurando scilicet ut iudicet non iam iuxta rei veritatem, sed iuxta voluntatis ipsius desiderium; qua de re exemplum habemus in infirmis, in habentibus litem, in fanatismo pro aliqua re etc., qui volentes credere se esse sanitatem recuperaturos aut litis victoriam obtenturos etc., studiosissime procurant ut intellectus non de iis quae sunt contra, sed solum de iis quae sunt pro, cogitet; procurant insuper ut phantasia obiecta aliter ac sint (scilicet incerta

pro certis, parva pro magnis etc.) repraesentet; procurant denique ut intellectus praecipitanter, et quin habeat tempus rem melius considerandi, procedat atque ita imprudentissime iudicet. Quid simile accidit in iudiciis vel dubiis contra fidem. Homo enim qui cupit v. g. non adesse infernum, animam non esse immortalem, religionem catholicam non sse veram etc., non iam sincero animo desiderat cognoscere veritatem; non iam consilium a doctis et probis personis exquirit; non iam libros religioni faventes legit; non iam satagit passionibus suis fraenum imponere ne mentem obnubilent etc.; sed potius modo prorsus contrario procedit; sic procurando ut intellectus quovis pacto iuxta praedictum suum placitum iudicet, aut saltem dubitet. Equidem interdum malitia non est tanta, sed nihilominus voluntas ex desidia relinquit intellectum in periculo errandi, et necessarias non adhibet cautelas ut errorem evitet. Utcumque de erroribus huiusmodi in culpa est voluntas; praecedente enim advertentia quod agitur de rebus in quibus ab errore cavendum est, peccat voluntas si cautelas non adhibeat, eique merito imputantur errores: sicut naufragium navis imputatur gubernatori, si destiterit a gubernando, et multo magis si positive in syrtes illam coniecerit. Cf. Lugo (*De Poen. XVI 189*) et Franzelin (*l. c. n. 3*).

21. Sed maioris perspicuitatis gratia considerandi sunt nonnulli casus conscientiae in materia religionis 1° in homine acatholico; 2° in homine catholico.

22. *Quoad hominem* ***iam inde a pueritia acatholicum***, *quaeritur: Utrum in ipso* ***bona fides*** *dari possit, quamvis in infantia fuisset rite baptizatus? Quatenus affirmative, utrum, sic exercendo cultum falsum et superstitiosum, habitum fidei in baptismate infusum amittat? Et, quatenus negative, an salvari possit?* Laymann (*II.* I *12*) sic respondet: « Si qui seu a catholico seu ab haeretico « ministro rite baptizati, postea inter infideles, aut etiam « haereticos, educentur, apud quos de fide et religione roma« na catholica, vel omnino nihil, vel nonnisi obscura quae« dam, nefaria, et abominanda audiunt (v. g. Papam esse « antichristum, vel bestiam quae sicut Deus colitur, etc.);

« fieri potest, et interdum solet, ut tales, invincibili catho-
« licae veritatis ignorantia laborantes, fidei in baptismate
« infusum habitum retineant: quippe qui nonnisi per
« actum fidei supernaturali formaliter (*sc. culpabiliter*)
« oppositum excluditur. Deinde eas veritates, quas nobi-
« scum communes retinent (v. g. de SS.ma Trinitate et
« Verbi incarnatione) fide divina et supernaturali credere
« possunt cum Dei auxilio et extrinsecorum motivorum
« adminiculo: quare tales homines salvari nihil prohibet ».
Vide etiam Sanchez (*Dec. II.* I *8*), Reuter (*Neo Confess. III.* IV *199*), Mazzellà (*De virt. n. 230*) etc.

23. *Quid si* ***infidelis*** *de veritate suae religionis dubium concipiat?* R. Debet divinum lumen implorare. Quid autem ultra facere teneatur, pendet a circumstantiis; videndum scilicet an leviter vel graviter dubitet; item an possit, vel non possit inquirere; maxime vero an et qualem religionis catholicae notitiam habeat; donec enim sicut de religionis suae ita etiam de aliarum religionum veritate (etsi fecerit inquisitiones sibi possibiles) dubitet, in statu perplexitatis versabitur, et sic in religione sua remanere poterit.

Sed quid si religio catholica omnino probabilior ei videretur? Possetne tunc etiam remanere in religione sua, eo quod minus quidem sed adhuc probabilis ei appareret? Resp. Heic habemus prop. IV damn. ab Innoc. XI quae dicebat: « Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, « ductus opinione minus probabili ». Ex hac damnatione infertur certe quod infidelis huiusmodi inquisitiones, prouti potest, facere debet: sed auctores censent, infidelem transire debere ad religionem catholicam, etiamsi, inquisitionibus factis, maiorem quidem probabilitatem sed non certitudinem assequi potuisset. Ratio est quia in re tam gravi a parte magis tuta standum est. Quaestionem tamen faciunt de tempore, quo hic homo suam religionem deserere et catholicam ei magis probabilem amplecti teneretur. Aliqui (apud Sanchez *dec. II.* I *5*) dicunt id fieri debere statim. Viva (*in h. pr. 12*) docet aliquam dilationem concedi posse ut interim homo de catholicae religionis veritate non maiorem probabilitatem dumtaxat sed certitudinem habere

conetur. Sanchez (cuius sententia mihi non placet) censet quod, durante incertitudine, homo remanere possit in sua religione usquedum versetur in periculo mortis. Omnes tamen conveniunt quod, certitudine etiam non assecuta, saltem in articulo mortis, catholicam religionem amplecti debeat; unde scripsit ipse Sanchez (*l. c. 6*): « Dum infi-
« delis sibi persuasum habet suam sectam esse probabilem,
« quamvis contraria sit probabilior, teneretur utique in
« articulo mortis constitutus veram fidem, quam probabi-
« liorem iudicat, amplecti: utpote qui in eo articulo est
« constitutus, in quo de aeterna salute agitur, ac proinde
« partem, quam tutiorem et probabiliorem iudicat, ample-
« cti debet ».

24. Dices: Ad amplectendam religionem catholicam nonne exigitur fides? Fides autem quomodo cum sola probabilitate et proinde cum dubio stare potest? Nonne dubius in fide infidelis est? Nonne obstat etiam prop. damn. (supra relata *n. 5*) quae dicebat: « Assensus fidei supernaturalis
« et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili
« revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet ne
« sit locutus Deus »?

Aliqui respondent quod in casu fides supernaturalis non subsisteret; et quod proinde huiusmodi infidelis teneretur solum deserere religionem suam, et prosequi inquisitiones; non vero religionem catholicam amplecti; si quid enim fidei haberet, haec esset mere naturalis, quae non sufficit. Cf. Mazzella (*De virt. n. 744*). Sed explicatio ista est manifeste contra doctrinam Sanchezii, aliorumque theologorum, qui de fide catholica vere amplectenda loquuntur; et tali sensu etiam Viva intellexisse videtur damnationem dictae propositionis; scripsit enim: « Idcirco in
« articulo mortis debet infidelis statim credere (*utique*
« *fide catholica, ut patet ex contextu*) quod sibi videtur
« probabilius, quia non vacat tunc diligentiam debitam
« adhibere (*scilicet ad habendam certitudinem*) ».

25. Ego itaque potius, ad hunc nodum solvendum, subsidium peterem a doctrina Cardinalis De-Lugo, qui docet piam credendi voluntatem et orationem, ut quis fidem catholicam (quam cognoscit) amplecti valeat, esse actum

non iam mere naturalem sed supernaturalem, qui pro fide ipsa computatur; scripsit enim (*De fid. XII 23. 24. 26. 32*): « Apud Patres voluntatem credendi cum ipsa fide compu-« tari (*23*).... Orationem, qua aliquis serio et ardenter « petit fidem, cum vero desiderio credendi Deo super « omnia, iam pertinere aliquo modo ad ipsam fidem.... Opera « facta ante fidem.... quando fiunt pro impetranda fide.... « oriuntur aliquo modo ex ipso lumine fidei.... Non ergo « mirum quod Deus concurrat iam tunc auxilio superna-« turali ad illam voluntatem, quae non procedit mere ex « lumine rationis naturalis, sed ex lumine fidei subobscuro « et *quasi ab aurora fidei* et eius crepusculo (*24*)... Ora-« tiones ab haeretico vel pagano factae pro impetranda « fide possunt esse supernaturales (*26*)..... Deum non « moveri (ad concedenda supernaturalia) nisi ex operibus « quae procedunt ex fide, *vel ipsam fidem aliquo modo* « *concernunt*, quia voluit de facto fidem esse initium et radi-« cem totius meriti, ut loca Conciliorum significant (*32*) ». Imo dicere quod desiderium fidei non sit supernaturale, perinde esse videtur ac incidere in errorem Semipelagianorum; qua de re vide Perrone (*Praelect. vol. III. De gratia n. 67 et seqq.*). Adde quod in foro Dei bona voluntas pro facto computatur.

26. Nec obstat dicta propos. damnata *Assensus fidei* etc. *stat cum notitia solum probabili* etc.; quandoquidem (ni fallor) damnata fuit, ne quis existimaret, aut quod fides supernaturalis subsistere possit, quamvis existentia revelationis esset in se ipsa et obiective solum probabilis, et proinde prudenter in dubium revocari posset; aut quod, suborto dubio contra fidem, quis fidem ipsam eiusque meritum utile ad salutem conservet, quamvis indifferens remaneret, dubiumque ipsum eliminare non satageret. Sed in casu, de quo loquimur, res aliter se habent, uti patet.

27. *Sed quid si* ***catholicus*** *de veritate religionis* ***dubium*** *conciperet?* Hermes authumavit, sicut acatholicis ita etiam catholicis dandam esse facultatem concipiendi dubium voluntarium de veritate religionis, et remanendi in tali dubio atque sine fide et religione ulla, donec, personali et severo examine facto, signa credibilitatis ita

perpenderint, ut de catholica religione amplectenda plene persuasi evaserint. Falsissimum istud et perniciosissimum systema damnatum fuit prius a Gregorio XVI, et postea a Concil. Vatic. (*c. III*) dicente : « Si quis dixerit, parem « esse conditionem fidelium, atque eorum qui ad fidem « unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici iustam « causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magi- « sterio iam susceperunt, assensu suspenso, in dubium « revocandi, donec demonstrationem scientificam credibili- « tatis et veritatis fidei suae absolverint; anathema sit ». Et prius Innoc. XI damnavit prop. XX quae dicebat: « Potest quis prudenter repudiare assensum quem habebat « supernaturalem ». Enimvero 1° Catholicus est in religione vera. 2° Religio catholica non solum est vera, sed etiam (speciatim ab iis qui in ipsa nati et sufficienter instructi fuerunt) facile, atque (ut ita dicam) primo intuitu, recognoscibilis ut vera; secum enim fert signa luculentissima suae veritatis. 3° Accedit lumen fidei, quod est supernaturale et gratuitum donum Dei, quod lumini rationis et motivis credibilitatis multum superaddit, et efficit ut boni fideles (nulla etiam humana consideratione facta) firmissime credant. 4° Conscientia in profitenda religione catholica est semper perfectissime tranquilla; nec unquam auditum est quod aliquis, sive in vita sive etiam in morte et in conspectu aeternitatis, remorsibus, formidine aut scrupulis agitatus fuerit, eo quod esset catholicus. Sed, si de veritate religionis dubium rationabile adesse posset, tunc praestandi Deo cultum falsum, et innumeros committendi idololatriae actus etc., periculum grave subsisteret, et sic praedicta conscientiae tranquillitas impossibilis evaderet. 5° Catholici in servanda fide animi gaudium, et e contra in sola cogitatione de ea deserenda remorsum magnum experiuntur. 6° Suborto dubio, statim apprehenditur quod illud nutrire malum est. 7° Rationes prorsus oppositae quoad acatholicos vigent; qui proinde a parte rei semper, et a parte conscientiae facile, mutatione indigent (ad quam si devenirent, illam pro conversione haberent, maximaque animi iubilatione afficerentur, ut ex facto patet); catholici e contra neque a parte rei neque a parte conscientiae

mutatione unquam indigere possunt (ad quam si devenirent, illam pro delicto haberent, maximisque et perpetuis conscientiae remorsibus agitarentur, ut pariter ex facto patet). 8° Fides est praecellentissimum et maxime necessarium donum Dei, quod catholici iam habent, pro eoque Deo gratias agere tenentur; et proinde non est cur illud inquirant; atque, ad hanc inquisitionem faciendam, illud reiiciant, remanendo interim sine fide et religione ulla; quod, uti patet, maximum nefas est. 9° Si instructio sufficiens quae a parentibus et parochis habeatur, superaddito lumine divino (ut supra dicebam), non sufficeret, sed examen personale atque severum exigeretur, ut Hermes authumabat, nonne de fide et religione actum esset? Pueri enim, foeminae, rudes et quotquot in studiis theologicis versari nequeunt, et sic populi et nationes integrae, sine fide remanerent. Etsi autem motiva credibilitatis sint luculentissima, si ponamus non sufficere illam ipsorum motivorum notitiam, quae generatim veluti primo intuitu a christifidelibus haberi solet, iam tot ac tantis sosphismatibus aditus aperiretur, ut ipsi theologi in periculum nunquam hac via ad fidem perveniendi certe exponerentur. Patet ab Hermes ipso, qui ultra viginti annos in hoc examine insumpsit, et tandem redivit quidem ad religionem catholicam, sed certe non bene; illius enim veritatis non certitudinem sed solum maximam probabilitatem haberi posse authumavit! Adde passiones quae in examine isto se intromittere, illudque ad malum exitum facillime deducere possent.

28. Ex hoc tamen nemo inferat quod catholici motiva credibilitatis sincero animo perpendere nequeant. Enimvero *examen dubitativum vetitum est* (scilicet assensu intellectus voluntarie in hunc finem suspenso); *non vero confirmativum*, quod non solum a theologis et asceticis, sed etiam ab Ecclesia valde commendatur. Hoc sensu intelligi debent verba Pii IX (Encycl. *Qui pluribus, 9 Nov. 1846*) dicentis: « Humana quidem ratio, ne in tanti momenti « negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum « diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum « esse locutum, ac eidem, quemadmodum sapientissime docet « Apostolus, rationabile obsequium adhibeat ». Attamen in

hoc ipso cautelas adhibere et non sine discretione procedere oportet; si enim, v. g. ingenium sit sophisticum, aut libri qui leguntur non bene probent vel non adaequate obiectionibus respondeant, facile contingere potest, quod examen confirmativum potius quam fidem, dubia confirmet, et sic tentationes non iam destruat sed augeat.

29. Sed, praetermissis casibus istis, agendum est de aliis casibus valde magis practicis, quatenus scilicet inter catholicos, non iam ad religionem inquirendam, sed aliis de causis contra fidem dubia aut iudicia efformentur.

30. Quaer. I. *Quid de* ***dubiis involuntariis****, quibus voluntas fortiter resistat?* R. Si non solum voluntas resistat, sed etiam intellectus statim percipiat dubia ipsa esse inania, frivola et inepta; quatenus, etsi forte ea directe solvere nequeat, solvat tamen indirecte; prout facile accidit, si dum intellectus de divinae revelationis veritate iam est firmissime persuasus, postea difficultatem aliquam non circa revelationem sed circa aliquod mysterium concipiat; tunc nullo negotio illam solvit, reflectendo quod potius Deo quam sibi ipsi credere debet; sicut unusquisque pro nihilo habet dubium in mente sua conceptum, quando ab alio, qui certissime rem illam cognoscat et fide dignissimus sit, de rei ipsius statu certificetur.

31. *Quid si, non obstante resistentia voluntatis, intellectus* ***in dubio*** *suo remaneret: ut puta, si quis ex defectu cognitionum vel ex speciali mentis suae imbecillitate, circa revelationem ipsam et veritatem religionis aliquod dubium haberet, quod (saltem ad tempus) destruere nequiret? Durante tali lucta inter voluntatem et intellectum, homo essetne infidelis? Aut saltem careretne fide actuali?* Certe fidem habitualem non amitteret; dona enim Dei sunt sine poenitentia, et Deus non deserit nisi deseratur; unde cum communi scripsit Mazzella (*De virt. n. 230*): « Nunquam poterit (aliquis) privari fide iam « habita per illam solam infidelitatem, donec culpa infide« litatis intercedat; nulla enim virtus infusa semel habita, « amittitur sine aliqua culpa ».

Sed quid de fide actuali? Theologi ad fidem actualem exigere videntur non solum ut voluntas imperet intel-

lectui assensum firmissimum et certitudinem omnibus aliis certitudinibus superiorem (quod verissimum est); sed etiam ut assensum seu iudicium huiusmodi de facto obtineat. Lugo (*VI 17*) scripsit: « Assensum fidei non « debere esse firmum solum firmitate adhaesionis extrin- « seca et denominativa a voluntate firma imperante; « sed debere etiam esse in se intrinsece firmissimum « adaesione firmissima sibi intrinseca etc. ». Quod repetit Mazzella (*n. 603*). At vero durissimum mihi videtur quod homo fidelissimam habens voluntatem, fide actuali (propter dubium solius intellectus, quod, non obstante quavis voluntatis repugnantia, persistat) carere debeat; neque mihi persuadere possum quod ex una parte Deus fidei exercitium sub gravissimo praecepto exigat, et ex alia exercitium ipsum personis quoque religionis amantissimis interdum impossibile esse possit; dubiis enim quorum solutio non statim menti clare occurrat, illae etiam praeoccupari valent. De S. Alphonso legitur (*Vita p. IV c. 2*) quod tentationibus contra fidem adeo vehementer afficiebatur, ut voce magna clamaret, pedum ictibus terram percuteret, et ne dormire quidem posset. Sed quis dixerit quod S. Alphonsus tunc fide actuali caruerit? Dicerem itaque aut quod dubia huiusmodi, re in complexu considerata, vera dubia non sint; quatenus scilicet in intellectu ipso eorum refutatio iam adsit, quamvis confusa (ita ut proinde confusio ista, quam forte phantasia adaugeat, sit unica differentia, quae inter praesentem et praecedentem casum *n. 30 Q. I* intercedat); aut quod dubia vere subsistentia (propter circumstantias ibi expositas) invincibilia a parte intellectus, toties quoties voluntas fortiter et constanter eis resistat, fidei ipsius firmitatem nullo modo labefactent, sed potius eius meritum quam maxime adaugeant. Haec videtur esse doctrina Card. Franzelin, qui (*De div. trad. App. Cap. IV.* IV *in fin.*) scripsit: « Ex « dictis constat, cur possibilitas dubii, imo etiam *actualis* « *indeliberata dubitatio* non obsit firmitati fidei. Exclusio « enim formidinis de opposito est ex imperio liberae volun- « tatis; *quamdiu ergo perseverat deliberata voluntatis* « *repugnantia adversus formidinem erroris, manet etiam*

« *firmitas fidei propria* ». Idem docuisse videtur Ripalda, qui (*De Fid. XI.* II *18*) scripsit: « Assensus certus fidei « potest physice et intrinsece componi cum actuali formi- « dine et dubietate obiecti inculpabiliter et inadvertenter « irrepenti ». Idque confirmat nonnullis textibus S. Scripturae; scilicet: — « Modicae fidei, quare dubitasti? — « Credo, Domine, adiuva incredulitatem meam » —. Addit etiam aliqua ex Patribus, v. g. ex S. Gregorio: « Fides « plerumque et nutat et solida est, et iam certissime ha- « betur »; et ex Beda: « Uno eodemque tempore is, qui « necdum perfecte crediderat, simul et credebat et incre- « dulus erat ». Et concludit: « Ergo potest esse fides... « dubitationi obnoxia (scilicet ex parte solius intellectus). « Patres non aliam adscribunt assensui fidei divinae exclu- « sionem formidinis, nisi imperio voluntatis subiectam, ab « illoque profectam ». Recole etiam dicta *n. 25;* quod scilicet voluntas credendi pro fide computatur. Caeterum hac in re adeo difficili (sicut in omnibus aliis), si forte non bene loquerer, iudicio Ecclesiae ex toto corde me submitto.

32. Quaer. II. *An defectus in fide non solum in illis, qui religionem aperte repudiarunt, sed etiam in illis qui nihilominus se catholicos remanere censent, valde practici esse possint?* Resp. Affirmative. Scripsit P. Franco (*Risp. prop. Prefaz.*): « Quisquis hodiernam societatem « nonnihil cognoscat, plane percipit, quantum verum sit, « quod multi fideles fere solum nomine catholici sunt. « Integrae familiae opiniones adeo abnormes et principia « adeo protestantica profitentur, ut nihil amplius fieri « posset, si Londini aut Berolinii educatae fuissent; et « nihilominus pro iniuria haberent si de earum fide dubi- « taretur. Iuvenes plurimi, qui modernas universitates « frequentarunt, pessimas, quas unquam docuerint rega- « listae, rationalistae et volteriani, theorias in conversa- « tionibus defendunt. Imo puellae quoque, et quidem non « prorsus perversae, quasdam proferunt propositiones quae « horrorem incutiunt: easque tam frequenter repeti et « tanto calore sustineri audierunt, ut de impietate, quam « includunt, ne suspectum quidem habeant. Si autem illi

« quoque, qui boni dicuntur, vel etiam sunt reapse (pro-
« pter bonam fidem qua loquuntur et operantur), tot
« principiis perversis infecti remanserunt; unusquisque
« arguere poterit, quid erit de aliis, qui circa animam et
« religionem non adeo subtiliter res inspiciunt ». Et Laforet (*I dogmi cattol. Praef.*) dixit: « Heu! quot infe-
« lices aetate nostra fidem misere amiserunt; aut, si illam
« conservant, haec nonnisi timida, nutans, et formidolosa
« est ». Nec mirum; stantibus enim doctrinis non solum protestanticis sed etiam (imo praecipue) atheis, materialisticis, rationalisticis, etc. quae in nationibus catholicis adeo grassantur, tres hominum classes efformantur. Prima est eorum, qui, tentationibus sollicite et fortiter resistendo, in fide et religione firmi remanent. Secunda est eorum qui aperte et decise apostatant. Tertia est media; eorum scilicet, qui apostatare quidem non intendunt et actus religiosos exercere continuant, sed aut circa ipsam religionis veritatem dubia concipiunt, aut (hoc etiam dubio secluso) alios errores in mente habent.

33. Quaer. III. *Utrum in dubiis et erroribus huiusmodi bona fides dari possit?* R. Si loquamur de erroribus contra haec vel illa dogmata, quin persona advertat quod de articulis fidei agatur, affirmandum est; et de hoc nemo dubitare potest. Sed affirmandum est etiam si loquamur de dubiis contra ipsius revelationis et religionis veritatem. Distinguendum est tamen inter personas quae non sufficienter et alias quae sufficienter instructae fuerunt, ut sequenti modo explico.

34. *Personae non sufficienter instructae* videntur concipere posse haec dubia, quin se peccare (saltem mortaliter) advertant. Enimvero puer, v. g. una vel altera vice audivit parochum, qui circa religionem illum docuit, sed valde imperfecte et superficialiter, quin scilicet de revelatione divina miraculis confirmata, et de obligatione credendi, dubiaque non admittendi, quidquam addiderit. Credidit puer; sed postea a patre missus ad magistrum rationalistam, audivit adesse quidem Deum, bonum esse faciendum et malum vitandum etc.; sed omnes religiones quae revelatae dicuntur (scil. iudaicam, mahumetanam et christianam) falsas et imposturae fructum esse; atque adeo mysteria et sacramenta non esse credenda, et sola religione naturali Deum esse colendum; sacerdotes autem cultum superstitiosum ex fine lucri fovere, et proinde esse fugiendos et abominandos. Nunquid puer, haec audiendo de instructione prius a parocho habita ad minus dubia non concipiet, quin se peccare mortaliter advertat? Quid simile contingere videtur in iis, qui ex una parte circa religionis

fundamenta, circa necessitatem et motiva credendi, et speciatim circa gravem obligationem ne dubia quidem admittendi, nunquam edocti fuerint; et ex alia contra religionis veritatem multa et apparenter gravissima audierint. Casus iste satis practicus esse videtur; quandoquidem 1° Parochi plurimi praedicta non explicant, sed materialem dumtaxat (et forsan hanc quoque valde modicam) instructionem praebent; unde pueri multi neque de peccato admittendi dubia contra fidem, neque de motivis cur credere debeant, aliquid sciunt. Postea autem in artibus et negotiis se occupant, et circa religionem parum amplius addiscunt. 2° Obvium est audire catholicos, qui propositiones fundamenta religionis in dubium vertentes tali indifferentia, etiam coram personis ecclesiasticis, proferunt, ut in iisdem proferendis nihil mali apprehendere videantur. Quaedam iuvenis, quae a magna civitate venerat, mihi dicebat: — Sum ancilla in domo Principis, ubi adsunt multi alii famuli diversarum religionum: Hebraei, Turcae, Protestantes etc. Hi me irrident, et dicunt catholicam religionem non esse veram. Ego respondeo: Nescio an vera vel falsa sit, de rebus istis sum ignorans, nec valeo iudicare: scio solum quod in religione mea, in qua nata sum, remanere volo, sicut facio —. Alia vice quaedam materfamilias mecum conquerebatur de filiis suis, qui fidem amiserant et dicebant alias multas adesse religiones, et non esse necessarium servare praecepta religionis nostrae. Sed ego (subiungebat) illos corrigo, et dico: — Equidem nescimus an nostra religio sit vera vel non vera: quaenam inter tot religiones sit vera solus Deus scit: sed, sicut Hebraei debent observare suam legem, ita nos debemus observare nostram. —. Frequenter autem (ne dicam frequentissime) audiuntur personae, quae vix credibili simplicitate dicunt v. g. — Si vera essent quae dicuntur a sacerdotibus —, vel — Si verum esset quod adsit altera vita —. Haec (inquam) vel similia audiuntur passim, et subinde etiam a personis piis quae valde frequentant Sacramenta. Non semel a personis devotis ego ipse interrogatus fui: — Nunquid proprie verum est quod adsit infernus? — 3° Quamvis dubia contra fidem sint adeo diffusa, tamen rarissimus est casus (etiam tempore missionis) in quo quis de dubiis ipsis se accuset. Causa autem adeo generalis silentii non alia esse posse videtur, quam realis defectus culpae formalis (saltem gravis). 4° Rudes ea dumtaxat considerare solent, quae magnam faciunt impressionem; unde, donec sacramenta frequentent, religionem non deserant et actibus catholicis non valedicant; non difficile esse videtur quod ad sola dubia in mente concepta et sensim sine sensu efformata reflexionem non faciant.

35. Sedulo tamen notari debet quod personae huiusmodi, etsi forte contra fidem formaliter non deliquerint, et fidem habitualem adhuc retinere possint, iuxta dicta *(n. 31)*; tamen fidem actualem (deficiente voluntatis repugnantia) amplius habere nequeunt (quandoquidem dubius in fide infidelis est); sed solum affectum ad religionem et quoddam (ut supra dicebam) fidei initium habere poterunt.

36. *Loquendo autem de personis sufficienter instructis* circa fundamenta religionis, et gravem obligationem reiiciendi dubia eidem contraria, in his certe bona fides admitti non potest. Attamen, si ageretur, de dogmate particulari (v. g. de Incarnatione Verbi), insurgente postea dubio ex falsis indiciis, quod res aliter se habeat (v. g. quod non Verbum sed Pater incarnatus fuerit), Viva dicit (*Prop. XX Inn. XI 13*): « Postquam rusticus, « posita evidentia credibilitatis, semel elicuit actum firmissimum et super- « naturalem (de Incarnatione Verbi), recurrente deinde aliqua ratione in « contrarium, tenetur inquirere de veritate et sensu Ecclesiae catholicae

« circa tale mysterium. Inquirenti autem Deus praesto est sua illustra-« tione; siquidem *inquirentes Dominum non minuentur omni bono;* ac « propterea nullatenus poterit prudenter assensum supernaturalem (prius « praestitum) repudiare ». Nota quod in tali casu (iuxta Viva, cui adhaeret Mazzella *n. 758*), etsi non negando et repudiando, tamen dubitando, assensus voluntarie suspenderetur. At vero si dubium esset fundamentale, in personis ut supra sufficienter instructis suspensio huiusmodi admitti nequiret et prorsus illicita esset. Recole definitionem Concil. Vatic. supra allatam (*n. 27*).

37. Quaer. III. *Quid si quis non explicite sed implicite* ***dubitaret?*** R. Eodem modo contra fidem deficeret. Casus esset si quis diceret, v. g.: — Credam si rationibus convincar —, vel — Audiam conferentias Protestantium, eisque credam si me persuadeant — Vide Lugo (*XVII 87*).

38. Quaer. IV. *Quid si quis aliquos quidem fidei articulos negaret culpabiliter, sed* ***non omnes?*** R. Si defectus in fide sit formalis et culpabilis, tunc, etsi non revelationem ex integro, sed v. g. unicum fidei articulum respiceret, homo naufragium in fide faceret, et fidem ipsam amitteret totaliter; de essentia enim fidei est ut debitus respectus verbo Dei habeatur in omnibus; unde hic quoque dici debet: *Qui delinquit in uno factus est omnium rêus*. Cf. Lugo (*l. c. 127*).

39. Quaer. V. *Quum ex una parte hodie defectus fidei actualis, propter dubia contra fidem ipsam adeo diffusa, censeri debeat valde frequens* (*iuxta dicta n. 32*), *et ex alia parte fides actualis sit necessaria ad iustificationem obtinendam, quomodo confessarii (sive poenitens expresse significet se dubitare vel non credere, sive nihil dicat) se gerere debent?* R. Circa casum poenitentis qui expresse significat se dubitare vel non credere, valde notanda est praxis quam adhibebat I. B. M. Vianney (vulgo *Il Curato d'Ars*), qui non ita pridem mortuus est in odore sanctitatis. In vita eiusdem (*L. IV c.* VI) legitur, quod accedente quodam viro ad sanctum Curatum, hic ei indicavit genuflexorium confessionibus destinatum. Vir ille statim dixit se nolle confiteri, eo quod nec confessionem nec quidquam aliud crederet, sed fide prorsus careret; et proinde non ad confitendum sed ad quaestiones religiosas instituendas venisse. Tunc sanctus Curatus ei iterum indi-

cavit genuflexorium, dicendo: — Genuflecte, et audiam confessionem tuam; confessio enim est magna pars viae quae ducit ad fidem —. Repugnabat adhuc ille vir, et dicedat quod non de confessione sed de comoedia agere-retur. Sed Caratus perseveravit dicendo: — Dico tibi, genuflecte —. Obedivit tunc, et confessio facta fuit; eâque poenitens non solum consolationem sed fidem invenit, iuxta illud (*Io. III 21*) « Qui facit veritatem, venit ad lucem ». Eodem modo se gerebat celebris P. Ravignan S. J., qui a Gregorio XVI Parisiorum Apostolus vocabatur; in eius enim vita legitur, quod ad reducendos ad fidem eos, qui dubiis afficiebantur, et quaestiones proponebant, semper hoc medio (scilicet confessionis) utebatur.

40. Sed haec praxis potestne probari? R. Affirmative; idque non solum propter fiduciam, quam praedicti viri maxima existimatione digni in illam reponebant, sed etiam propter sequentes rationes.

I. Qui confessionem facere consentit et dolet de peccatis suis, ad fidem (si illam non habeat) proxime se disponit, dicente Chrysost. (*In Ioan. III 21*): « Neminem, « nisi prorsus malitiae deditum, in incredulitate persi-« stere ».

II. Poenitens in casu habet desiderium et initium fidei; de quo recole supra dicta (*n. 25*).

III. Ut quis fidem habere possit, non oportet ut per suum ratiocinium naturale motiva credibilitatis cognoscat et obiectiones diluerit (ut patet ex dictis *n. 8* et *31*); sed sufficit quod habeat supernaturale fidei lumen, et voluntate sua tentationes seu dubia contra fidem ipsam respuat.

IV. Lumen fidei est donum Dei, quod bene dispositis semper conceditur; secus enim sub praecepto quomodo cadere posset?

V. Maxime valent relata Christi Domini verba (*Ioan. l. c.*): « Qui facit veritatem, venit ad lucem ». De quibus Cornel. a Lapide dicit: « Qui facit, idest per Dei « illuminationem et gratiam, proponit et decernit facere « *veritatem*, idest id quod vere bonum et sanctum est,

« *venit ad lucem*, idest amplectitur meam doctrinam et « fidem christianam » (1).

VI. Hoc verum est semper, sed speciatim in moribundis; tunc enim Deus, qui gratiam certe concessurus erit (ut dixi), illam differre non poterit. Cf. Mazzella (*De virt. n. 757*).

41. Haec tamen praxis (meo sensu) ita intelligi debet, ut confessarius adhortetur poenitentem ad credendum « in « quantum nobis repromittitur, si crediderimus, praemium « vitae aeternae » (ut monebat Angelicus (*De ver. XIV*. 1), quia scilicet fides est omnino necessaria ad salutem, quum scriptum sit: « Sine fide impossibile placere Deo » et « Qui crediderit, salvus erit; qui vero non crediderit, « condemnabitur ».

42. Dices: Nunquid non esset melius aut poenitentes persuadere directe, aut sic et simpliciter eos dimittere sine absolutione? R. Negative ordinarie. — Enimvero persuadere directe poenitentes solet esse res difficilis tum a parte poenitentium ipsorum qui non unam et facile solvibilem, sed multas facere possunt obiectiones, quibus ad illorum captum difficile responderi valeat (idque sive rudes sint, sive subtile et sophisticum habeant ingenium); tum

(1) Addi potest quod si forte actu absolutionis defectus fidei vere subsisteret, essetque talis ut iustificationi obicem poneret, prorsus improbabile minime videtur quod sacramentum possit esse validum et informe, et quod proinde si postea futurum sit ut fides reviviscat, sacramentum ipsum (sublato obice) effectum suum (scilicet iustificationem) producat. Hoc certe verum est de sacramentis baptismi, confirmationis, ordinis sacri, et matrimonii, quae (non obstante defectu fidei in homine baptizato), sunt valida. Equidem idipsum dici nequiret de sacramento poenitentiae iuxta Thomistas, qui docent eius materiam in actibus poenitentis, et proinde etiam in contritione ex motivis supernaturalibus (atque adeo fide praeexistente, concepta) consistere. Sed, quum systema quoque Scotistarum, qui essentiam sacramenti in sola absolutione reponunt, verum esse possit, logicum videtur quod, deficiente contritione tali, qualis esse deberet, hoc quoque sacramentum validum et informe esse possit. Non diffiteor ipsos Scotistas exigere contritionem fide informatam tamquam dispositionem necessariam nedum ad effectum bene vero etiam ad valorem sacramenti; sed hoc exigunt quia supponere videntur necessitatem quod sacramentum effectum producat statim, ita ut nunquam possit esse validum et informe; qua de re merito potest dubitari; et reapse plures magni nominis theologi docent quod aliquando hoc etiam sacramentum validum et informe esse potest.

a parte confessariorum, qui ut plurimum non satis sunt instructi et prompti ad bene et efficaciter respondendum. Insuper solet esse res periculosa; si enim confessarius vel oscitanter responderet et intricatum se ostenderet, vel eiusdem responsiones clarae et convincentes minime essent, dubia poenitentium non iam destruerentur sed confirmarentur et augerentur. Adde quod nimium in controversiis huiusmodi tempus exigeretur. Dimittere autem sic et simpliciter poenitentes sine absolutione, non minus periculosa res esset, propter alienationem a Sacramentis, quae exinde subsequeretur. Si tamen poenitens, peccatis quoque accusatis, protestaretur et persisteret in dicendo se omnino non credere, utique tunc absolvi non posset. Nihilominus, si ageretur de persona pia magnumque erga religionem affectum habente, haec etiam protestatio caute intelligenda foret; facile enim personae piae (et maxime si scrupulis quoque laborarent) accipiunt pro peccatis ea quae nonnisi tentationes sunt; unde, sicut aliquando dicunt se mente blasphemasse Deum, invocasse Diabolum etc. (dum reapse haec solum in ipsarum phantasia fuerunt), ita dicere possunt se non credere etc. Vae si confessarii illas tamquam vere incredulas et sacramentis indignas repellerent! Nonne in desperationis barathrum illas coniicerent?

43. Circa secundum casum in quaesito expositum, relate scilicet ad poenitentes, qui in confessione de dubiis contra fidem nihil dicunt, censeo quod, quamvis (ut dixi) haec dubia hodie (speciatim in civitatibus) sint valde communia, confessarius nullas hoc in puncto interrogationes facere debeat, saltem ordinarie. Reapse imprimis praesumendum est quod, si poenitens circa fidem culpabiliter defecisset, iam de re ista se accusaret. Quamvis autem ex conscientia erronea debitam resistentiam dubiis non opposuisset et sic fidem actualem amisisset, observandum esset quod fides actualis potest amitti et recuperari, et credendum quod actu confessionis fides ipsa ab unoquoque habeatur. Secus confessarii nimis frequenter in tricas se coniicerent, et quidem cum periculo potius damnum quam lucrum poenitentibus afferendi. Hoc patet etiam ex praxi; confes-

sarii enim interrogationes huiusmodi, sine necessitate speciali, facere non solent.

44. Dices: Absolutio dandane erit absolute, an vero conditionate? R. De hac differentia non oportet ut confessarii solliciti sint; ut enim docet Lugo, absolutio sacramentalis iam semper est conditionata; quandoquidem confessarii semper absolvere intendunt sub conditione quod poenitens sit dispositus; quisnam enim velle poterit ut absolutio valeat etiam quando valere nequit?

ARTICULUS II.

De fide actibus internis exercenda.

45. *Haec **obligatio** undenam oritur?* Interdum urget *per se,* nempe oritur ab ipso praecepto fidei, ut patet ex prop. damn. ab Innoc. XI « Fides non censetur cadere « sub praeceptum speciale et secundum se »; et interdum urget *per accidens*, nempe oritur ab aliis praeceptis.

46. *Quandonam haec obligatio urget **per se**?* Urget per se imprimis *quoad omnes* 1° Statim ac accipitur notitia revelationis, et proinde dum christianus adipiscitur usum rationis, eique fides proponitur (Deo enim docenti statim credendum est). 2° Dum quis novae definitionis aut articuli prius ignorati notitiam acquirit (ratio est eadem). 3° Saltem identidem in vita; obsequium enim intellectus Deo praestandum debet esse habitualiter vivum, nec Deus est magister, cuius doctrina possit oblivioni tradi et quasi sperni; unde damnata fuit ab Inn. XI propos. « Satis est actum fidei semel in vita elicere ». Determinare autem qua frequentia elici debeat, difficile est. Certe, quoad charitatem, damnata fuit ab Inn. XI prop.: « Pro« babile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per « se obligare praeceptum charitatis erga Deum ». Fides non minus quam charitas necessaria est. Multi autem censent quod saltem una alterave vice in anno actus fidei per se sub gravi praecipiatur. 4° Denique haec obligatio urget (ut dicunt multi contra Sanchez *Dec. II.* I 3, qui

ait id nullo textu aut ratione probari) instante morte. Haec valent quoad christifideles omnes.

Loquendo autem *de casibus particularibus*, praeceptum eliciendi actum fidei propter fidem ipsam, obligat 1° insurgente contra fidem tentatione, nisi forte illam spernendo et mentem ad alia divertendo vinci possit; 2° si quis in haeresim vel apostasiam iam lapsus fuisset. Cf. Lhemkuhl (*I* 288).

47. *Quandonam haec obligatio urget* ***per accidens?*** Ex aliis praeceptis oritur obligatio eliciendi actum fidei *quoad omnes* 1° Ex necessitate saepe vivificandi fidem ad abstinendum a peccatis. Sub hoc respectu ordinarie fere singulis mensibus haec obligatio urgebit. 2° Ex obligatione audiendi Missam, satisfaciendi praecepto paschali, orandi, sperandi, Deum amandi etc.

Loquendo autem hic quoque *de casibus particularibus,* obligatio aderit, si actus fidei necessarius sit hic et nunc ad vincendam tentationem contra alia praecepta, vel si quis ex devotione aliquod sacramentum recipere aut orare velit. Haec enim, sine aliquo fidei actu, debito modo praestari nequeunt.

48. *Quoad obligationem eliciendi actus fidei, estne aliquod aliud notandum?*

Notandum 1° quod, si praetermittatur actus fidei, quando ab aliis praeceptis exigitur, tunc peccatum non est contra fidem, sed solum contra haec ipsa praecepta. Si autem a fide ipsa actus fidei exigeretur, tunc eius omissio vere et proprie contra fidem esset.

Notandum 2° quod praecepto fidei satisfit etiam per illos fidei actus, qui ad alia praecepta servanda eliciti fuissent.

Notandum 3° quod actus fidei, qui in orando, in excipiendis sacramentis, in adorando Eucharistiam etc. emittuntur, vim propriam habent, etsi fidelis de emittendis fidei actibus tunc non cogitaret.

Notandum 4° consequenter quod bonis christifidelibus circa fidei internae exercitium scrupuli iniici non debent; ipsi enim, catholici cultus actus exercendo, huic obligationi certe et abunde satisfaciunt.

CAPUT IV.

DE FIDE QUOAD ACTUS EXTERNOS.

Agendum est 1° De fidei negatione externa. 2° De fide exterius ostendenda. 3° De fide nullo modo offendenda. 4° De fide custodienda. 5° De fide et religione defendenda, eiusque bono procurando.

ARTICULUS I.

De fidei negatione externa.

49. ***Quot modis*** *fidei negatio externa accidere potest?* Fides negari potest 1° verbis aut factis, v. g. nomen dando sectis haereticis; impietates approbando, iisve plausum faciendo; dicendo religionem catholicam non esse veram, aut tales vel tales fidei articulos esse falsos vel dubios; dicendo se non esse catholicum aut se esse infidelem, rationalistam, turcham, iudaeum, lutheranum; sacrificando idolis aut exercendo alios actus falsae religionis proprios etc. 2° Vere et ex animo; vel e contra ex sola erubescentia vel formidine, vel fine lucri, respectu humano etc.

50. *Quid de differentia inter illum qui fidem negat, et illum qui de hoc sit* ***suspectus*** *tantummodo?* Aliud est fidem aperte negare sive verbis, sive factis (ut supra); aliud vero solum suspectum dare, vel utcumque ponere actionem, quae per se fidei negationem communi sensu non importet.

51. *Quid in particulari de negante veritatem quae necessario consequitur partim a dogmate fidei et partim a principio naturali (dicendo v. g. Christus non est risibilis); aut de sustinente propositionem a Summo Pontifice ex cathedra damnatam non ut haereticam sed solum ut falsam, aut temerariam, scandalosam etc.?* Haec proprie non est expressio haeresis aut certa fidei negatio; contingere enim potest, quod qui sic loquitur, in primo casu vim et extensionem principii naturalis ignoret, credendo non omnes homines esse risibiles, vel, quoad Christum (etsi

verum hominem), exceptionem esse faciendam; et in secundo casu, ad consequentiam (quod scilicet hoc modo dogma fidei, nempe infallibilitas Romani Pontificis, non recognoscitur) non reflectat. Erit itaque solum suspectns de haeresi, vel (si ita dicere mavis) haereticus praesumi poterit. Cf. Sanchez (*Dec. II.* VII *33*) et Lhemkuhl (*I. 302*).

52. *Aperta fidei negatio estne* ***semper illicita?*** Affirmative; sed haec affirmatio ita intelligenda est, ut neque v. g. hebraeus, qni de sua religione interrogatus respondeat se esse hebraeum; neque catholicus, qui, postquam in haeresim vel incredulitatem internam misere inciderit, consilii petendi causa statum animi sui alicui patefaciat, de culpa accusari debeat. Lugo (*XIV. 79*).

Attamen in homine catholico, sicut ordinarie error internus, ita a fortiori (propter scandalum) erroris ipsius externa manifestatio, graviter culpabilis est.

53. *Externa fidei negatio, si abque errore interno et ex sola erubescentia vel formidine locum haberet, destrueretne fidem?* R. Magnum quidem reatum constitueret, sed fidem non destrueret.

54. *Estne tunc simplex mendacium?* Mendacium certe includeret; sed eius malitia et gravitas non iam a mendacio, sed a scandalo et damno religionis, praecipue proflueret.

55. *Potestne quis negare fidem solo* ***silentio*** *aut* ***verbis ambiguis?*** Lugo dicit (*l. c. 36-40*) quod ipsum silentium in quibusdam circumstantiis veram fidei negationem constituere potest (et idem dic de tergiversationibus et verbis aequivocis, adhibitis ut ex una parte fidem non deneges, et ex alia iudex credat te fidem denegasse). Sed, quidquid sit de hoc, si silentium vel tergiversatio quoad effectum suum, negationi aequivaleret, et, perinde ac si fides negata fuisset, scandalum praeberet; delictum semper eodem modo subsisteret. Vide infra (*n. 58*).

56. *Quid de actionibus quarum indicio alii suspicentur vel credant te non esse catholicum?* Per se non licent. Interdum tamen licitae evadere possunt; dummodo scilicet 1° intentio sit bona; 2° iusta adsit causa quae huiusmodi fictionis permissionem cohonestet. Inter causas

istas sola erubescentia vel timor alicuius irrisionis recenseri non debet. Caeterum causa maior vel minor exigitur iuxta circumstantias. Sic, v. g. causa non adeo gravis sufficit si nullum veri nominis scandalum adsit. Exemplum habes in catholicis, qui, ut Turcharum templa ingrediantur, calceamenta deponere coguntur. E contra, si scandalum subsisteret (prout accidere dicunt in delatione illius pilei turcici, quod *turbante* seu *lèfi* appellatur), tunc causa ad minus valde gravis exigeretur.

ARTICULUS II.

De fide exterius ostendenda, exercenda et profitenda.

57. *De hoc adestne* ***obligatio?*** Adest sine dubio, idque patet 1° quia Apostolus (*Rom. X*) dicit: « Si confi-« tearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo cre-« dideris, salvus eris; corde enim creditur ad iustitiam; « ore autem confessio fit ad salutem »; quatenus scilicet de confessione fidei adest mandatum divinum, cuius observantia utique necessaria est ad salutem (« Si vis ad vitam « ingredi serva mandata »). 2° Quia Christus Dominus voluit, Ecclesiam suam esse visibilem atque ad modum societatis. 3° Quia, si quis externum fidei exercitium praetermitteret, non solum fidem internam amittendi periculum subiret, sed etiam (putantibus aliis illum fidem non habere) malum exemplum (quod fidei ipsi valde perniciosum esse posset) praeberet. 4° Quia occultatio fidei, si proveniret ab erubescentia, nedum indignissimam ingratitudinem involveret, sed etiam in Dei ipsius dedecus redundaret; est enim dedecus domini, quod eius famuli de illius servitio verecundentur; unde (*Luc. IX*) dicitur: « Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius homi-« nis erubescet ».

Haec quoque obligatio interdum urget *per se,* et interdum per accidens, scilicet *vi aliorum praeceptorum,* quae sine fidei externa manifestatione adimpleri nequeant.

58. *Quandonam urget* ***per se?*** Sic urget 1° identidem in vita (Lugo *XIV 55*). 2° Si ex fidei occultatione

scandalum quoad fidem in aliis proveniret. Scandalum istud potest esse tale ac tantum, ut etiam cum sacrificio vitae fides aperte profitenda sit. Casum habes tempore persecutionis, si quis (ut dixi supra *n. 55*) a tyranno publica auctoritate de sua fide interrogetur; tunc enim religioni quam maxime interest non solum ne fides denegetur, sed etiam ne quisquam, sive verbis aequivocis, sive tergiversationibus, sive silentio, condemnationem declinet, et sic apostata appareat; unde ab Inn. XI damnata fuit prop. XVIII, quae dicebat: « Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue « confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo; tacere autem « ut peccaminosum per se non damno ». Cf. Lugo (*l. c. n. 56*). 3° Si quis in gravi versaretur periculo deficiendi in fide (v. g. transeundi ad haereticos), nisi audacter hic et nunc catholicum se ostenderet. Lugo (*l. c. 65*). 4° Si ex una parte religio vituperiis aut gravissimis damnis afficeretur, et ex alia (attentis circumstantiis) quis illius vindicias sumere vere teneretur (quod maxime dignoscitur, si silentium ipsum scandalosum esset). Lugo (*l. c. 63*).

59. *Quandonam urget* ***per accidens,*** *nempe vi aliorum praeceptorum?* Sic obligatio fidem exterius demonstrandi adest 1° Quando professio fidei lege positiva exigitur. Casum habes in beneficiatis (occasione immissionis in possessionem beneficii), canonicis, episcopis, praelatis, regularibus, et (nisi lex per desuetudinem cessaverit) in professoribus et magistris. Cf. Lhemkuhl (*I. 206*). 2° Quando quis teneatur docere alios in rebus fidei, prout contingit in genitoribus etc. 3° Occasione satisfaciendi praeceptis cultus catholici, vel utcumque exercendi actus religiosos externos; cuiusmodi sunt. v. g. auditio Missae, sanctificatio festorum, ieiunium, adoratio Eucharistiae, veneratio Imaginum, reliquiarum, templorum etc.

60. *Externa fidei professio obligatne* ***semper et pro semper,*** *sicut ipsa fides interna?* Negative. Alia est enim fidei internae (quae habitualiter in corde semper servari debet), et alia fidei externae (scilicet illius manifestationis) obligatio. Haec minoris momenti est, et iustis de causis (maxime ad tempus) omitti potest. Id accideret 1° Si fides, non iam ex verecundia sed pro maiori Dei

gloria atque animarum et religionis ipsius utilitate, occultaretur; quod interdum sub obligatione cadere potest (v. g. in sacerdotibus et missionariis tempore persecutionis, ut melius, tutius et diutius christifidelibus subveniant in occulto). 2° Si ex manifestatione nulla utilitas proveniret; prout potest contingere si quis inter infideles, aut in deserto viveret. Lugo (*l. c. 55*). 3° Si gravissima incommoda externum istud fidei et religionis exercitium impedirent (intellige nisi propter rationes praeponderantes fides nihilominus ostendi deberet). Lugo (*l. c.*).

61. Casus. *Quid de muliere dicente se a quolibet religionis exercitio abstinere cogi, eo quod ita exigat impius maritus, qui (nisi obediret) blasphematurus vel illam percussurus esset?* R. Iussio mariti (in se sola inspecta) nihil considerari deberet; obediendum est enim magis Deo quam hominibus. Nihil pariter attendendae essent eiusdem blasphemiae; si enim poneretur obligatio cessandi a bonis actibus (speciatim valde momentosis et praeceptis) propter aliorum blasphemias, idipsum blasphemiis et iniustis coactionibus ansam praeberet. Adde quod maritus (videndo uxoris constantiam) non diu blasphemare perdurabit. Denique, si exercitium cultus religiosi est occasio blasphemiarum, eius omissio maiorum malorum occasio foret. Si autem de percussionibus aut de discordia cum damno familiae etc. ageretur; tunc rei gravitas considerari deberet. Supponendo quod ex una parte res vere seria, duratura et ineluctabilis esset, et ex alia divortium non foret expediens; tunc mulier miserrima a publico religionis exercitio magna ex parte excusari posset. Porro tunc satis erit si ipsa scandalum auferre satagat (revelando vicinis urgentissima motiva propter quae contra suam voluntatem a christianis exercitiis abstinere cogitur); et si simul eas occasiones arripiat, in quibus, sine praedictorum malorum provocatione, aliquid boni facere poterit. Nonnullas sanctas industrias in hunc finem optime deservientes pro praxi expono. Quaedam mulier dicebat marito: *adivi amicam meam.* De facto autem, insolita veste induta vultuque velato, ad visitandam imaginem B. V. in Ecclesia a propria domo valde remota se contulerat, eaque occasione ad sacramentum poenitentiae omnibus incognita accesserat. Alia expectabat occasionem magnae solemnitatis, et tunc dicebat: *cupio videre apparatum Ecclesiae, audire musicam* etc. Sic facile licentiam obtinebat, et tunc multas Missas cum maxima devotione audiebat.

ARTICULUS III.

De fide nullo modo offendenda.

62. *Huiusmodi offensiones quaenam essent?* Essent praecipue 1° Impios libros imprimere, venales habere aut quolibet modo diffundere; et idem dic de impiis diariis. 2° Impias comoedias repraesentare, illis favere aut etiam

simpliciter (cum fidelium scandalo) iisdem assistere. 3° Deputatorum aut municipalium impiorum electionem procurare; si tamen, attenta eorum activitate et influxu, ex hac electione religionis damnum praevideatur; secus enim dici deberet si viri peiores et adhuc magis religioni infensi reipublicae regimen obtenturi essent. 4° Protestantibus aut aliis impietates in populo disseminantibus favorem vel auxilium praestare. 5° Ponere occasiones quibus aliquod dogma falsum, (v. g. indifferentismus religiosus) disseminaretur. Hinc non licet ritu catholico sepulturam dare, et multo minus conferre sacramenta haereticis aut schismaticis *ex secta*, quamvis essent in bona fide; sed solum in periculo mortis absolutio eisdem dari poterit occulte. Vide *Monitore* (*Vol. X pag. 254* et ibi indicem generalem v. *Communicazione in divinis*). Vide etiam infra, ubi *de cooperatione* (*Casus particulares § I in fine*). 6° In sacerdotibus mala tractatio rerum sacrarum (quae certe fidei praeiudicat), maxime autem scandalum quod in causa est ut passim dicatur: si vera essent quae sacerdotes praedicant, ipsi non ita se gererent.

Unusquisque videt quod verus christianus nedum debet fidem non negare, sed etiam (nisi forte, quod non facile erit, proportionata causa excuset) a qualibet alia actione, quae in fidei damnum redundet, abstinere.

ARTICULUS IV.

De fide custodienda.

63. *Quanta cura fides custodiri debet?* R. Quaenam iactura amissione fidei potest esse maior, aut quaenam abyssus profundior? Thesaurus itaque fidei cautissime custodiendus; et in hac custodia deficere de facili est mortale nefas.

64. *Quaenam sunt pericula maiora et magis obvia?* Sunt speciatim libri impii, et idem dic de ephemeridibus, diariis, sociis, conversationibus, *clubs*, repraesentationibus impiis; nec non de quibusdam hospitiis vulgo *caffè*. Pericula adesse solent etiam in scholis et universitatibus, nec-

non in officinis. Interdum adsunt etiam pericula domestica, nempe propter maritum, patrem, aut fratres: aut propter herum, vel ministros, vel famulos; vel demum propter personas extraneas domum tuam fortuito aut frequenter adeuntes.

65. *Quomodo itaque agendum?* R. Supposita gravitate periculi, videndum imprimis an occasio sit voluntaria aut necessaria. Si sit voluntaria, omnino relinquenda seu amovenda est; si vero sit necessaria, tunc imminuenda (quantum fieri potest), et de caetero speciales cautelae adhiberi debent.

66. *Quid de patribusfamilias aliisque superioribus?* Gravissimam habent obligationem custodiendi fidem, non solum quoad seipsos, sed etiam quoad filios aliosve subditos; idque efficient 1° *arcendo* occasiones a filiis, aut filios ab occasionibus; et, quatenus hoc fieri nequeat, 2° *imminuendo et obtruncando* sermones impios per quantum possibile erit; 3° *reparando* damnum filiorum mentibus ab impiis sermonibus illatum; 4° *praemuniendo et instruendo*, si forte necesse sit ut filii in aliqua ex huiusmodi occasionibus versentur.

ARTICULUS V.

De fide et religione (speciatim nostris temporibus) defendenda eiusque bono procurando.

67. His miserrimis temporibus specialissima (maxime in Clero, in parochis et episcopis) adest necessitas explicandi activitatem et zelum ad tuendam religionem eiusque bonum procurandum. Media antiqua ordinarie non amplius sufficiunt, sed nova fere ubique exiguntur; et sunt speciatim sequentia: 1° Religio, maxime benefaciendo pauperibus et operariis, amabilis reddatur. 2° Illuminetur populus circa religionem et praecipue contra sectas. 3° Omnis industria adhibeatur ad iuventutem, speciatim masculini sexus, salvandam. 4° Clerus sanctitate et doctrina magis magisque praefulgeat: et caveat a periculo ne ille ipse gliscentibus erroribus aliquo modo inficiatur, aut in novis

mediis adhibendis bonam quidem intentionem habeat sed non recte procedat. 5° Vocationes ad statum ecclesiasticum promoveantur et custodiantur. 6° Parochi et confessarii habeant magnam curam virorum, et excitent zelum christianum. 7° Unitis viribus Cleri et laicarum societatum catholicarum, actio (quae dicitur) catholica promoveatur. 8° Pro concursu ad urnas administrativas, et (ubi a S. Sede permittitur) etiam politicas, valde adlaboretur ut electiones religioni favorabiles evadant. 9° Diariis librisque bonis favere et malis omni nisu adversari oportet. 10° Opportunae adhibendae sunt industriae et cautelae ut facilius inveniri possit pecunia, quae sine dubio exigitur, ut ad religionis tuitionem media ista adhiberi valeant. 11° In diariis, in scholis theologiae pastoralis, et in conferentiis (speciatim Episcoporum et Cleri) de rebus istis agere oportet.

Haec omnia, quae hodie maximae sunt necessitatis, diffuso sermone explicavi et probavi in *Theologia pastorali* (*Ed. III n. 690-726 et 1003*), et in opusculis quibus titulus *De officio parochi nostris temporibus. De iuventute ab hodierna incredulitate praeservanda. De motu catholico. Conferenze catechistico-polemiche.* In particulari autem circa religionis defensionem ope concionum polemicarum egi speciatim in eadem *Theologia pastorali (n. 691. 705. 1003)*.

Appendix

De nonnullis aliis quaestionibus circa fidem.

68. *Quid de **hodierno liberalismo?*** Aliqui dicuntur liberales solum quia gubernium constitutionale vel rempublicam gubernio absoluto, aut unitatem nationalem plurium statuum divisionibus praeferunt; ita tamen ut haec desiderent solum sub conditione quod licite obtineri possint. Hoc sensu liberalismus nihil mali continet.

At vero liberales communissime hos angustos limites valde praetergrediuntur, et libertatem adeo effraenatam sibi vindicant, ut vel fidem ipsam aperte reiiciant (prout ordinarie contingit) vel doctrinas sive variis modis ab Ecclesia reprobatas, sive utcumque valde perniciosas, profiteantur. Enimvero liberales plurimi profitentur liberta-

tem *cogitationis* (ita ut unusquisque possit etiam esse materialista, atheus etc.); libertatem *cultus* (ita ut unusquisque possit quamlibet religionem revelatam respuere, vel esse Protestans, Turcha, Idololatra etc.); libertatem *conscientiae* (ita ut unusquisque possit esse epicureus, communista, anarchicus etc.); libertatem *praeli* (ita ut unusquisque sensus suos, etiam impiissimos et perniciosissimos, libere manifestare et publicare possit); libertatem *associationis* (ita ut associationes quoque contra Ecclesiam vel contra quaslibet alias legitimas auctoritates machinantes, aut alios fines perversissimos et ruinosissimos habentes, licitae existimentur); libertatem *educationis* (ita ut educationem etiam impiissimam et undequaque pessimam genitores filiis suis dare valeant); libertatem *instructionis* (ita ut Magistri atheismum, materialismum, socialismum etc. docere possint). Adde doctrinas de principatu populari, de iure rebellionis, de matrimonio civili sufficienti sine ecclesiastico, de iure divortii, de factis completis (scilicet de iure maiorem vim aut maiorem fortunam habentis), de non interventu (scilicet de iure praetendendi ne quis in debilioris oppressi auxilium occurrat), de separatione Status ab Ecclesia (imo quod Status imperare possit Ecclesiae, et Ecclesia Statui servire ab eoque dependere debeat), de privilegiis omnibus Clero auferendis, de Religiosis Communitatibus supprimendis suisque bonis spoliandis, de dominio temporali Ecclesiae auferendo etc. etc. (Vide Syllabum et Encyclicam Pii IX *Quanta cura*).

Caeterum de *Liberalismo* egi ex professo in *Casibus conscientiae (An. 1894 Cas. I)* et in duobus libellis, quorum unum latino et alium italico idiomate exaravi; agitur enim de re, cuius consideratio hodie summi momenti est.

69. Casus. *Iuvenis in universitate, qui debeat repetere lectionem professoris sui, possetne illam repetere, si haereses vel impietates contineret? Et quid si liber, qui pro textu in scholis adhiberi praecipitur, esset prohibitus?*

Ad I. Si iuvenis argumenta de suo superadderet, vel utcumque ad modum persuasi lectionem repeteret, tunc a fidei negatione excusari nequiret. Fidem etiam offenderet,

si satis commode dictas haereses vel impietates praeterire posset. Si autem haec praeteritio impossibilis esset, tunc (per se loquendo) confutatio vel protestatio in contrarium fieri deberet. Dixi *per se loquendo;* etsi enim sola verecundia vel timor alicuius irrisionis non excusaret, formido tamen ne confutatio vel protestatio maiora mala productura esset, excusare posset.

Ad II. Si vera, gravis et ineluctabilis esset necessitas scholam illam frequentandi et librum illum adhibendi, tunc dici posset quod Ecclesia non obligat cum gravi incommodo. Sed ad cautelam peti deberet licentia. Notandum quod Episcopi solent facultatem delegatam habere licentiam istam concedendi (Cf. *Monitore, VI.* I *244*). Praeterea Const. Leonis XIII (*Officiorum*) dicit: « Episcopi pro singularibus libris atque in casibus tantum « urgentibus licentiam concedere valeant ». Denique auctor operis: *Casus conscientiae his praesertim temporibus accomodati (P. V. Cas.* IX *n. 18*) dicit: « Si eam (licentiam) quaerere et obtinere (quis) non possit sine gravi « difficultate...., in his circumstantiis lex Ecclesiae positiva (pro interim) non obligat ».

70. *Licetne* ***fuga in persecutione?*** Affirmative. Ex una parte enim hoc non est negare sed potius ostendere fidem; et ex alia qui pro religione exilium sibi eligit, iam magnum obsequium eidem praebet. Adde periculum deficiendi in fide coram tormentis.

Fuga tamen non liceret sacerdotibus contra mandatum Summi Pontificis vel Episcopi. Hoc autem mandato deficiente perpendendae essent circumstantiae; non enim fugere liceret, si ex una parte persecutio foret non solum contra clerum, sed etiam contra christianos seu catholicos omnes; et ex alia fuga esset in causa cur alii in fide deficerent, aut si praesentia (sive manifesta sive in occulto) utilis et necessaria foret ad alios confortandos et adiuvandos; maxime si non de simplicibus sacerdotibus, sed de parochis vel Episcopis res esset. In dubio consilium peti deberet: amore enim vitae hallucinari nimis facile est. Lugo (*l. c. 41. 42*).

71. Casus. *An, ad occultandam religionem inter infideles, carnibus vesci liceat diebus vetitis?* Affirmant communiter, quia ex una parte Ecclesia non obligat cum gravi incommodo, et ex alia necessitas exterius profitendi fidem tunc non urget. Excipe 1° si, interveniente aliqua circumstantia vel praetextu, incommodum deficeret vel declinari posset; aut etiam si incommodum esset leve, quatenus, v. g. solum aliqua irrisio timeri posset. Excipe 2° si carnium comestio in signum fidei denegandae, vel in contemptum religionis catholicae, exigeretur. Vide Lugo (*De fid. XIV. 105. 106*).

Sectio II.

DE SPE.

72. *Quid est spes?* Virtus supernaturalis, qua aeternam beatitudinem atque media ad illam assequendam necessaria (cuiusmodi sunt gratia Dei, remissio peccatorum etc.) propter summam Dei bonitatem, potentiam et fidelitatem, ponendo cooperationem nostram, certa fiducia expectamus.

73. *Adestne* ***obligatio*** *exercendi spem?* Utique, quia spes est necessaria de necessitate medii ad iustificationem obtinendam, ad tentationes atque difficultates superandas, et denique ad perseverandum.

74. *Quandonam adsit obligatio actum spei eliciendi?* 1º Adveniente tentatione contra spem. 2º Identidem in vita. Qua frequentia praecise hic actus elici debeat, impossibile est determinare; sed etiam inutile; sufficit enim si spes implicite et sine advertentia formali exerceatur. Sic autem exercetur quando christifideles culparum suarum veniam petunt, quando orant, quando tentationibus resistunt, quando opera bona exercent etc.

75. *Quot modis peccari potest contra spem?* Duobus: 1º desperatione; 2º praesumptione.

76. *Quot modis contingit peccatum* ***desperationis?*** Quando quis non sperat aut 1º auxilium Dei ad abstinendum a peccatis; aut 2º veniam peccatorum; aut 3º salutem aeternam. Non sperat (inquam) etsi a parte sua cooperationem et actus necessarios praestet aut praestiturus sit.

77. Insuper aliud est desperare propter consuetudinem peccandi et vitam habitualiter scelestissimam, atque negligentiam in apponendis mediis salutis, sine ulla seria emendationis voluntate; aliud vero desperare ex scrupulis, melancholia, pusillanimitate, recordatione peccatorum, et mera tentatione diabolica. Diversi hi modi diversam directionem exigunt. In primo casu quam maxime insistendum ut cum spe veniae peccatis finis apponatur. In secundo confessarius totus erit in suggerendis remediis, quae sunt

1° consideratio bonitatis et misericordiae infinitae Dei; 2° frequens recordatio illorum hominum, qui post plurima et gravissima peccata veniam consecuti sunt, imo Sancti evaserunt; 3° meditatio parabolarum *ovis perditae*, *filii prodigi* etc.; 4° devotio specialis erga B. Virginem, refugium peccatorum; 5° fiducia in Christum pro salute nostra in cruce affixum etc.

78. *Quid de timore damnationis et de tentatione desperationis?* Haec non sunt confundenda cum desperatione. Attamen 1° timor damnationis provenire debet solum a timore non ponendi propriam cooperationem: et potest esse excessivus; 2° tentatio desperationis, tamquam periculosissima et perniciosissima considerari. et contra illam actus spei fieri debent.

79. *Quot modis contingit peccatum* ***praesumptionis?*** Quando quis sperat 1° Auxilium Dei ad abstinendum a peccatis quamvis non oret, aut quamvis in pericula voluntaria se coniiciat. 2° Veniam peccatorum, quamvis necessarios verae poenitentiae actus non apponat. 3° Gratiam conversionis aequaliter obtinendam, quamvis peccata peccatis superaddat, aut conversionem ipsam diu vel usque ad mortem differat. 4° Salutem aeternam sine meritis, aut solis propriis viribus assequendam.

80. *An desperatio et praesumptio sint peccatum* ***mortale?*** Desperatio et praesumptio, si sint habituales, sunt ambae periculosissimae, atque (quod de desperatione maxime verum est) Deo iniuriosae; et proinde peccatum grave certe includunt, supposita tamen advertentia, quae practice deesse solet. Si vero sint transitoriae, tunc desperatio, et facilius praesumptio, (ex imperfectione actus, et aliquando etiam ex obiecto) veniales esse possunt. Gury (*n. 213*).

Sectio III.

DE CHARITATE.

81. *Quotuplex est charitas?* Triplex: 1° erga Deum; 2° erga nosmetipsos; 3° erga proximum.

CAPUT I.

DE CHARITATE ERGA DEUM.

82. *Charitas erga Deum* ***in quo consistit?*** In amore *filiali* seu *perfecto*, quo Deum amamus super omnia propter illius infinitam amabilitatem, non vero solum propter nosmetipsos.

83. *Charitas distinguiturne ab amore Dei?* Utique Possemus enim etiam amare Deum solum propter nosmetipsos, attendendo scilicet solum quod Deus nobis beneficentissimus est: qui amor non filialis sed *servilis* (quia amori servorum assimilatur) aut *imperfectus* dicitur, et charitatem non constituit.

84. *Amor Dei, etsi foret solum* ***servilis,*** *estne bonus?* Affirmative (ut patet ex doctrina de attritione: Gury *31*); dummodo tamen homo non diceret: Si Deus mihi beneficus non esset, illum non amarem: quo casu amor diceretur *serviliter servilis*, et certe malus esset.

Quod autem amor simpliciter servilis bonus sit, patet etiam ex prop. damnata ab Alex. VIII, quae dicebat: « Intentio qua quis detestatur malum et prosequitur « bonum *mere* ut obtineat coelestem gloriam, non est recta « nec Deo placens ». Imo, si detestationem peccatorum et propositum nunquam graviter peccandi contineat, proxima erit dispositio, ut ope sacramentalis absolutionis iustificatio obtineatur (Trid. *Sess. XIV C.* IV).

85. *Si amor filialis cum amore servili immisceatur, amando Deum non solum propter infinitam eiusdem amabilitatem, sed etiam propter nosmetipsos, haec mixtio*

destruitne charitatem? Illam neque destruit, neque ullo modo corrumpit; ex una parte enim nihil mali immisceretur, et ex alia (in doctrina contraria) praeceptum charitatis erga Deum nimis difficile et (pene dixerim) moraliter impossibile redderetur.

86. Quidam Sancti Deum adeo unice propter eiusdem infinitam bonitatem amabant, ut dicerent, v. g. se esse paratos ad illum amandum, quamvis eos paradiso privaturus et in infernum coniecturus esset. Hoc modo quodlibet propriae utilitatis motivum utique excludebant; sed quis non videt difficultatem? Hinc Innoc. XII damnavit prop. quae dicebat: « In hoc sanctae indifferentiae statu nolumus salutem ut salutem propriam, « ut liberationem aeternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum « interesse omnium maximum: sed eam volumus voluntate plena, ut glo- « riam et beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult et quam nos vult « velle propter ipsum ». Huiusmodi difficultas est talis ac tanta, ut D. Th. (*2. 2 q. 26 a. 13 ad 3*) dixerit: « Si Deus non esset hominis bonum, non « esset ei ratio diligendi ». S. Fr. Salesius (*Dell'amor di Dio p. 2 L. 4 C. 10*) subiunxit: « Illum existimaremus, sed non amaremus ». Sed quomodo mandatum de diligendo Deo cum vero charitatis amore, quod omnium primum et maximum est (« Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde « tuo et in tota anima tua et in tota mente tua: hoc est maximum et pri- « mum mandatum »); quomodo (inquam) mandatum istud (ab omnibus servandum) adeo difficile esse posset? Utique opinio de magna difficultate eliciendi actum charitatis perfectae est valde diffusa, sed falsa esse debet, et a Jansenismo originem, aut saltem magnum fomentum, habuit.

Hinc, si dicerem: — Mi Deus, quam bonus es, quam beneficus, quam pius, quam clemens, quam misericors! Eheu quantum passus es pro nobis etc.! Te itaque ex toto corde diligo etc. — Si (inquam) sic dicerem, quamvis recogitarem quod non solum in se et pro aliis, sed etiam pro me Deus est bonus, beneficus etc.; sine dubio actum perfectae charitatis emitterem. Si enim amare debeo Deum prouti est, et si ille est bonus non solum pro aliis sed etiam pro me, eccur aderit imperfectio si diligam eum etiam quia est bonus pro me? Differentia itaque inter amorem imperfectum et perfectum practice est quia in primo amatur Deus *solum* ex motivo utilitatis propriae, in secundo autem amatur Deus propter eius infinitam amabilitatem, quamvis etiam motivum propriae utilitatis immisceatur. Cf. Gury (*n. 217 a et b.*), D'Annibale (*n. 12*) et Frassinetti (*not. 24*).

87. *Charitas perfecta adessetne quoque in eo qui ad Dei possessionem anhelaret?* R. Affirmative si ita se gerat ad modum filii, qui ad patrem suum, vel amici qui ad amicum suum se conferre et cum illo esse desiderat, ad instar Apostoli dicentis: « Cupio dissolvi et esse « cum Christo ». Huius autem desiderii perfectioni nihil obstaret cogitatio de felicitate et beatitudine inaestimabili, quae a Dei ipsius possessione profluit. Rectissime dixit Frassinetti (*l. c.*): Nonne ridiculus esset amicus, qui, ut « melius amicum suum diligeret, illum amare vellet, ab

« omnibus amicitiae bonis praescindendo, illisque renun-
« tiando, ita ut de felicitate simul standi, simul alloquendi,
« et consolationem recipiendi, nihil cogitare deberet?
« Quam stupida amicitia esset ista! »

88. *An, ad constituendum actum charitatis, oporteat ut amor Dei sit* ***summus****?* Non oportet ut sit summus *intensive* (seu fervore sensibili), bene vero ut sit summus *appretiative;* ut scilicet homo bene velit Deo super omnia, quatenus existimando illum tamquam bonum summum (sicut est), omnibus aliis bonis illum praeferat, atque adeo paratus sit mortem ipsam pati, potiusquam illum offendere graviter. Dico *graviter*; exiguae enim offensae charitatem Dei minuunt quidem sed non destruunt, eiusque amicitiam non rumpunt.

89. *Quaenam sunt* ***vitia*** *charitati Dei* ***opposita****?* Opposita *directe* sunt: 1° Odium Dei, quod interdum concipi solet ab iis qui magnis infortuniis et calamitatibus subiiciuntur. 2° Incuria eliciendi actus charitatis erga Deum. *Indirecte* autem, quodlibet peccatum mortale charitati Dei opponitur, illamque destruit.

90. ***Quandonam*** *urget obligatio huiusmodi charitatis actum eliciendi?* Urget *per se* 1° statim ac infinita Dei bonitas cognita fuerit. 2° Saepius in vita. Sed qua frequentia? Hoc determinari nequit. Propositio tamen, quae dicebat ne singulis quidem quinquenniis actum charitatis obligare, damnata fuit. An per se obliget in morte, non conveniunt. Certe *per accidens* tunc obligaret si moribundus esset in mortali et copiam confessarii non haberet. Idem dic si quis versaretur in tentatione aliquod peccatum committendi, quam sine actu charitatis repellere nequiret.

Practice autem non sunt hac de re iniiciendi scrupuli in iis qui iam habitualiter diligunt Deum amore filiali; et defectus contingere potest solum in iis qui vel vitam in peccatis mortalibus ducunt, vel ex solo damnationis timore a peccatis abstinent, et cum sola attritione ad confessionem accedunt.

91. *Quid de dicentibus quod homo semper ex motivo charitatis agere debet; ita ut, si secus agat, peccet?* Error iste iam damnatus fuit in pluribus propositionibus (Alex. VIII 7ª et 8ª), et est contrarius doctrinae catho-

licae de honestate et sanctitate attritionis. (Trident. *Sess. VI 32 et* XIV *4*).

92. *An ad satisfaciendum praecepto charitatis sufficiant actus interni?* Negative; sed amor Dei externe quoque manifestari, atque operibus comprobari debet: iuxta illud: « Probatio dilectionis exhibitio est operis ».

CAPUT II.

DE CHARITATE ET AMORE QUEM HOMO SIBI IPSI DEBET.

93. *Quot modis potest homo peccare contra charitatem, et amorem quem sibi ipsi debet?* Peccare potest 1° quoad bona spiritualia; 2° quoad bona temporalia. Idque sive facto sive animo.

94. *Quomodo peccare potest* ***quoad bona spiritualia?*** Dum se exponit periculo peccandi; dum aliquod peccatum reapse committit; dum differt poenitentiam; dum malas consuetudines contrahit; dum negligit addiscere vel adhibere ea quae necessaria sunt ad salutem. Idem dic si absque bona ratione eligeret statum aeternae suae saluti valde periculosum; maxime vero si morti proximus et in mortali existens, de reconciliatione cum Deo non curaret.

95. *Quomodo peccaret* ***quoad bona temporalia?*** 1° Si seipsum occideret aut mutilaret (At vero tunc peccaret etiam contra iustitiam erga Deum). 2° Si, absque causa sufficienti, mortis, aut gravis morbi, aut vitae abbreviationis, periculo positive se exponeret. 3° Si ad vitam sibi conservandam media non adhiberet; ita tamen ut in hunc finem unusquisque teneatur quidem uti mediis ordinariis, non vero extraordinariis et valde arduis, v. g. ad expendendum in medicis et medicinis ultra vires proprii status, vel ad subeundas operationes valde dolorosas aut horribiles, vel ad tolerandam nimiam verecundiam, prout contingere posset in virgine (quae ideo medici inspectionem recusaret) etc. 4° Si ex corde aliquod malum sibi imprecaretur (Sed de his omnibus in tract. *De V Decal. praec.* sermo redibit). 5° Si honorem et famam propriam discrimini exponeret. 6° Si, laborem declinando, aut bona sua vitiose dilapitando, se in miseriam coniiceret etc.

CAPUT III.

DE CHARITATE ERGA PROXIMUM.

ARTICULUS I.

Exponuntur quaedam principia generalia.

96. *An et quomodo proximum diligendi adsit* ***obligatio?***

I. Utique proximum nostrum diligere tenemur: dicente Domino: « Diliges proximum tuum sicut te ipsum » (*Matt. 12*); et Iohanne (*I Io. IV*): « Hoc mandatum « habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et pro- « ximum suum ».

II. Proximum autem diligere debemus tum *positive,* scilicet 1° actu interno; 2° actibus externis; 3° sine ulla exceptione; 4° propter Deum; 5° modo ordinato: tum *negative*, abstinendo ab odio proximi, a scandalo, a cooperatione eiusdem peccatis, ab iniuriis eidem inferendis etc.

97. *Quinam est proximus noster?* Quisquis pertinet vel pertinere potest ad familiam Dei, adque adeo quisquis sit capax vel iam particeps aeternae beatitudinis; cuiusmodi sunt 1° Sancti et Angeli in coelo; 2° animae piacularibus poenis addictae; 3° iusti in hoc mundo viatores; 4° peccatores; 5° etiam haeretici et infideles. Soli daemones et damnati proximus noster minime sunt.

98. *Quid significat amandum esse proximum* ***actu interno?*** Significat non sufficere si solum externae amoris significationes ei dentur, v. g. ex hypochrysi, respectu humano, vana gloria etc. Patet ex prop. X et XI damn. ab Innoc. XI, quarum secunda dicit: « Praecepto proximum « diligendi satisfacere possumus per solos actus externos ».

99. *Quomodo probatur amandum esse proximum etiam* ***actibus externis?*** 1° Quia *probatio dilectionis exhibitio est operis.* 2° Quia (*I Io. III*) dicitur: « Qui « habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem « suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab

« eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non « diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate ».

100. *Quinam sunt huiusmodi actus externi?* Sunt imprimis consueta signa dilectionis et urbanitatis: stante autem proximi necessitate, eleemosyna (aliaque opera misericordiae corporalis); et correctio fraterna (aliaque opera misericordiae spiritualis).

101. *Cur dicitur:* ***sine ulla exceptione****?* Quia excludi nequeunt *inimici* et persecutores, dicente Domino (*Matth. V*): « Ego autem dico vobis: diligite inimicos « vestros, et benefacite iis, qui oderunt vos ».

102. *Cur dicitur:* ***propter Deum****?* Quia si proximus amaretur solum quatenus lumine rationis et propensione naturali amabilis est, huiusmodi amor neque charitatem, quatenus est virtus theologica, constitueret, neque ad homines malos et maxime inimicos, extenderetur. Amari ergo debet proximus propter mandatum Dei, amorem Dei etc.; unde (*Rom. XIII 8*) dicitur: « Implesse legem qui « diligit proximum », et (*1 Io. l. c.*) de non adiuvante proximum indigentem subditur (ut supra vidimus): « Quo« modo charitas *Dei* manet in eo? »

103. *Cur dicitur quod proximus amari debet* ***modo ordinato****?* 1° Quia homo saepe versatur in conflictu inter amorem proximi et amorem sui ipsius; unde, stante ex una parte indigentia proximi, et ex alia incommodo proprio, homo in quibusdam casibus se ipsum proximo, et in aliis proximum sibi ipsi praeferre debet vel potest. 2° Quia non omnes personas eodem modo diligere debemus.

Sed haec magis declaranda sunt, unde dicendum est aliquid enucleatius 1° De ordine charitatis; 2° de odio et malevolentia; 3° de eleemosyna; 4° de correctione fraterna; 5° de scandalo; 6° de cooperatione.

De aliis autem peccatis contra charitatem, quae cum iniuria et violatione iustitiae coniunguntur, cuiusmodi sunt furta, homicidia, etc., aliis locis opportunius sermo habebitur.

ARTICULUS II.

De ordine charitatis.

104. *Quaenam prae oculis habenda sunt, ut in ferenda ope proximo rectus ordo servetur?* 1° Gradus necessitatis proximi. 2° Gradus incommodi nostri. 3° Gradus coniunctionis inter nos et personam indigentem.

105. *Quotuplex potest esse necessitas proximi?* 1° Communis; 2° extrema; 3° quasi extrema; 4° gravis. Hac omnes necessitates possunt esse *spirituales* et *corporales*.

Communis *spiritualis* est illa in qua versantur peccatores ordinarii (qui sat facile converti et sibi ipsis providere possunt): *corporalis* vero est illa in qua versantur pauperes ordinarii, qui (attenta eorum assuefactione) vitam non adeo miseram et infelicem ducunt.

Extrema *spiritualis* contingeret quando quis versaretur in limine damnationis aeternae; *corporalis* vero quando quis iam certe vitam esset amissurus. Sed casus debet esse ita strictus, ut ex una parte neque per se ipsum ullo modo salvari possit, neque adsit aliquis qui illum salvet; et ex alia ego illum salvare valeam.

Quasi extrema contingeret quando quis a praedictis aut aliis malis gravissimis, me non occurrente, valde difficile se liberare posset.

Gravis contingeret, quando nec de gravissimis nec de ordinariis malis ageretur: tamen malum sive spirituale sive corporale specialem gravitatem praeseferret, quod, me non adiuvante, persisteret.

106. *An ordo charitatis sinere possit ut quis patiatur damna* ***spiritualia*** *ut proximo succurrat?*

I. Si agatur de peccato vere committendo etsi levissimo, negative. Hinc, si unico mendacio omnes mundi homines salvari possent, mendacium dici nequiret.

II. Si agatur de periculo peccati, homo (ad subveniendum proximo) *ordinarie* nequit illud adire, vel in illo permanere, si sit grave.

Pro his duobus casibus valet principium: *Charitas bene ordinata incipit a semetipso.*

III. Dixi *ordinarie;* dantur enim casus, in quibus homo (cum debitis cautelis) in periculo, etiam gravi, remanere potest, dummodo iusta et proportionata causa interveniat, qualis subinde erit quoque necessitas proximi sive spiritualis (v. g. ne secus magnum scandalum sequatur, aut ne christifideles sine sacramentis relinquantur etc.), sive etiam corporalis (ut potest contingere in medicis et chirurgis foeminas medentibus). Imo res eo usque procedere possunt, ut vera adsit obligatio in periculo permanendi; unde dixit S. Lig. (*VI 453*): « In necessitate « extrema spirituali proximi non solum potes, sed teneris « illi succurrere cum tali periculo probabili ».

IV. Multo magis potest homo (et subinde debet) pro salute spirituali proximi aut pro exercendo aliquo opere misericordiae, se privare bonis spiritualibus minime praeceptis (v. g. non ingrediendo religionem, deserendo contemplationem, orationem etc.), vel remanere in periculis remotis. S. Ignatius eo usque processit ut dixerit: « Si « optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere et « interim Deo inservire et proximorum saluti, quam cer- « tum eiusdem gloriae statim mori ». *Brev. Rom.* (*in festo S. Ignatii*).

107. *Quid de (ita dicto)* **actu heroico** *charitatis?* Consistit in offerendis Deo pro animabus Purgatorii omnibus operibus suis satisfactionis, necnon indulgentiis, et suffragiis sibi post mortem obventuris. Remanet tamen meritum excellentissimum pro gloria Paradisi, quod debitum poenae a se sustinendae longe superabit. Vide *Monitore* (*Vol. XIII pag. 460*).

108. *Quid de ordine charitatis si agatur de sustinendis a me incommodis vel damnis* **temporalibus** *ut proximo succurram?* Aliud est quod *possim*, et aliud quod *debeam* illa sustinere.

I. Possum (nisi aliis obligationibus, v. g. intuitu filiorum, essem defecturus) pro proximo incommodis vel damnis huiusmodi me subiicere, quamvis ego ipse in eadem vel peiori conditione versarer, aut (ei subveniendo) in illam me coniicerem. Hoc certe verum est si agatur de bonis fortunae (quorum unusquisque est dominus), unde

nihil vetat quominus pauper pauperem eleemosyna sublevet. Multi docent tantundem dici non posse de bono vitae (cuius homo non est dominus); sed alii censent vitam quoque in periculum poni posse pro bono proximi vita periclitantis, etsi vita illius non esset pretiosior; unde aiunt licitum esse proximo peste laboranti inservire, cum aeque certo mortis periculo, et in communi naufragio tabulam socio cedere. Doctrinam istam nedum probabilis sed verissima mihi videtur, et censeo id non solum licere, sed heroicum virtutis actum includere. Ita censet quoque S. Io. Chrysostomus, qui etiam de vita corporali intelligit illa Iesu Christi verba (Io. *XV*): « Maiorem hac dilectio« nem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro ami« cis suis ». Cf. Laymann (*II*. III. III *9*).

II. Sed obligatio adesse nequit nisi proximus versetur in necessitate sive altioris ordinis (v. g. spirituali, aut vitae etc.); sive eiusdem quidem gradus sed ita ut rationes speciales superaddantur (v. g. quia vita illius sit pretiosior, vel quia tu delictuose in illam necessitatem proximum conieceris, vel quia ex pietate, gratitudine, officio etc. debeas illi subvenire; vel denique quia non de uno sed de pluribus aut multis indigentibus agatur). Utique tunc vera, et subinde gravis, urgere potest obligatio cum incommodis aut damnis temporalibus (non tamen facile magnis, ut statim videbimus) subsidium ferendi. Patet ex instinctu naturali et ex divino praecepto eleemosynae (de quo infra).

109. Quaer. I. *Aderitne obligatio alicui subveniendi cum magno incommodo, v. g. cum magna iactura bonorum fortunae, si versetur in extrema* ***necessitate temporali,*** *scilicet ad liberandum illum a morte?* Respondet Scavini (*II 894. 3*): « Etsi vita proximi excellat omni« bus divitiis, attamen notant Viva et alii quod neque in « extrema necessitate pauperis teneatur dives magnam « pecuniae summam erogare ». Enimvero ne vitam quidem propriam tenetur quis mediis extraordinariis conservare (iuxta dicta *n. 95*). Hinc dici solet quod charitas non obligat cum gravi incommodo.

Hoc tamen intellige seclusa obligatione speciali (ex officio vel delicto), et nisi agatur de avertendo aliquo ma-

gno damno publico, et salva obligatione eleemosynae, quae nedum in extremis sed etiam in communibus necessitatibus urget, ut infra videbimus.

110. Quaer. II. *Daturne obligatio, etiam cum periculo et sacrificio vitae, subveniendi proximo in extrema* ***necessitate spirituali*** *constituto?* Affirmant communiter; nisi maiora mala sequerentur, v. g. si te moriente, ea de causa plurium aliorum salus periclitaretur. Casus tamen ita strictus in quo quis, ex officio (v. g. parochi) non obligatus, pro necessitate spirituali proximi vere et effective morti se exponere debeat, rarissimus et vix practicus erit. Illo autem contingente, cautissime procedere deberet confessarius in huiusmodi obligatione imponenda, si poenitens foret in bona fide, et maxime si talis obligatio prorsus evidens minime esset.

Explicatio. Fundamenta dictae obligationis sunt praecipue sequentia: 1° Ioannis (*I Ep.* III *16*) legitur: « *Quoniam ille* (Christus) *animam* « *suam* (scilicet vitam suam) *pro nobis posuit, et nos debemus pro fratri-* « *bus animam ponere* »; quod praeceptum nunquam locum haberet si ne in extrema quidem necessitate spirituali vitam pro proximo dare deberemus. 2° Augustinus (*De mend. VI*) dixit: « Temporalem vitam pro aeterna « vita proximi non dubitabit christianus amittere ». 3° D. Th. (*2. 2 XVI.* v), scripsit: « Proximum quantum ad salutem animae magis debe- « mus diligere quam proprium corpus »; et in responsione ad tertium explicat hoc verificari non solum in iis qui ex officio curam spiritualem aliorum habere debent, sed etiam forte in casu necessitatis. Quo tamen verbo *forte* subdubitare significavit.

Huius autem extremae necessitatis a theologis varia dantur exempla.

Primum est pueri sine baptismate morituri. Sed Sotus (apud Laymann (*l. c. III 3*) id negat; et reapse quis scit puerorum sine baptismate decedentium sortem futuram esse valde infelicem? Ballerini (*Op. th. V.* III *48*) dicit quod « mater non tenetur vitae periculum subire (*per ope-* « *rationem caesaream*) ut proles possit baptizari ». Et pariter dicendum videtur quod parochus, cum periculo carceris et indecentia iam ab hoc actu inseparabili, non teneatur demortuae matris ventrem secare, ut prolem (secus certe sine baptismo morituram) baptizet. Nonne insuper contingere posset quod puer sic extractus postea vivat et propter peccata sua (quod utique valde peius esset) damnetur?

Secundum est hominis qui *certe* existens in peccato mortali sine absolutione esset moriturus. Sed nonne posset per contritionem perfectam, divina gratia in tali necessitate adiutus, sibi providere? Hinc ne in hoc quidem casu talem ac tantam obligationem admittunt Ballerini (*l. c. 51*) pluresque alii apud S. Lig. (*VI 624*) et Lugo (*De Poenit. XXII. 12*).

Tertium est hominis quem dormientem vel phreneticum et certe in mortali existentem alius esset occisurus. Sed nonne contingere posset quod meae vitae sacrificio salvatus postea (propter sua peccata) in infernum esset ruiturus?

Quartum est si peste grassante, et, deficientibus parochis (qui certe etiam cum periculo vitae accurrere tenerentur), unicus adesset sacerdos. Hic mihi videtur verus casus practicus, in quo vitae periculum non sit considerandum.

Moveor non tam quia (ut aiunt) in multitudine morientium deesse nequeant plures, qui contritione perfecta sibi prospicere nequeant et sic in necessitate vere extrema versentur; quam quia in tali casu superadduntur aliae rationes, quarum praecipua est quod, si in tali gravissima necessitate sacerdos esset praesens in illo loco et nollet propter vilem timorem se praestare, id maximam conturbationem, dedecus religionis, odium contra sacerdotes, et scandalum magnum excitaret. Adde quod ipsa necessitas efficit ut, deficientibus parochis, alii sacerdotes illorum partes ex munere ipso sacerdotali, non vero ex sola charitate, adimplere et sic non obstante vitae periculo se praestare debeant. Lugo (*l. c. 13*). S. Lig. (*II 27*) aliique omnes.

Laymann (*l. c. 3*) addit casum in quo necessitas extrema aut quasi extrema causata fuisset delictuose, ut puta, si impia obstetrix infantes multos in nomine Daemonis baptizasset, neque remedium apponere posset nisi iudici se accusando et proinde extremum supplicium (prout iis temporibus contingebat) subeundo. Obligationem remedium tunc apponendi, non obstante vitae sacrificio, recognoscit idem Laymann nedum ex charitate sed etiam ex iustitia; sed dicit rem non esse evidentem; et subdit valde caute et pedetentim procedendum esse antequam indicentur obligationes huiusmodi in casibus adeo difficilibus, et non omnino evidentibus, dum poenitens in bona fide sit et de illis non cogitet. Dicit, confessarium posse absolutionem concedere, dummodo poenitens promittat se adimpleturum esse ea, quae in posterum re bene perpensa ei indicabuntur. Dein proponendam esse rem exequendam tempore opportuniori, sed ita ut absoluta obligatio non urgeatur (dicendo aliter salvari non posse) nisi confessarius de bono effectu iam satis certus esset.

111. Quaer. III. *Quid si proximi necessitas spiritualis sit* **gravis** *vel* **communis** *tantummodo?*

Si sit *communis*, obligatio alicui peccatori auxilium spirituale praebendi aderit, sed sub levi dumtaxat et sub duabus conditionibus, nempe 1° quod bona spes fructus adsit; 2° quod sine gravi incommodo auxilium ipsum dari possit.

Si sit *gravis*, tunc obligatio urgere potest sub gravi, sed non cum gravi incommodo. Attamen incommodum grave non excusaret si ex officio, vel delicto (utpote si quis haeresim docuisset) obligatio prodiret; aut (addunt plures) si necessitas gravis publica esset. Scavini (*II 894*).

112. Casus. *Sacerdos, qui degit in oppido, ubi talis sit penuria confessariorum ut incolae gravi laborent necessitate spirituali, eritne tutus in conscientia si negligat confessiones audire, aut (cum possit) ad eas excipiendas se habilem reddere?* Certe a peccato (et quidem gravi) non excusaretur si solum ad indulgendum otio aut solatiis aut negotiis temporalibus non necessariis, vel ad declinandum incommodum huic mini-

sterio intrinsecum, ab audiendis confessionibus, vel a praeparatione pro examine, refugeret. Secus vero si valde occupatus in aliis ministeriis (v. g. praedicationis, scholae etc.) iam aliis momentosis Christifidelium necessitatibus satisfaceret; et maxime si non grave dumtaxat, sed gravissimum viresque excedens incommodum subiturus esset eo quod insuper confessionali multum attendere deberet. Nunquid enim populi necessitatibus melius consuleretur, si sacerdotes qui iam multum laborant, novis oneribus adeo gravarentur, ut oppressi citius mori cogerentur? Cf. S. Lig. (*VI 625*).

113. *An adsit obligatio indigentes sive corporaliter sive spiritualiter* ***inquirendi?*** Seclusa obligatione ex officio, negative; sed sufficit si in casibus qui se praesentant auxilium feratur.

114. *Si necessitas sit communis pluribus personis, qui uni vel aliquibus tantummodo subvenire potest, quid exigitur ab ordine charitatis* ***quoad praeferentiam?*** In pari necessitate debemus extraneis praeferre consanguineos aut alia ratione coniunctos (v. g. concives), quia (ut dicit D. Th. *3 dist. q. 29 a. 7*), « charitas ordinem « naturae non mutat, sed perficit ». Nota quod dixi *in pari necessitate*; nam obligatio charitatis ex gradu necessitatis praecipue pendet.

Inter coniunctos autem ordinarie praeferendi sunt coniunctiores secundum varios gradus et naturae inclinationem. Hinc in necessitate gravi 1° est praeferenda uxor, quia est una caro cum viro et filiorum principium; 2° filii; 3° parentes; 4° fratres, sorores, propinqui, domestici, consodales, convices etc. Dixi *in necessitate gravi*: nam si necessitas esset extrema, tunc inclinatio naturalis imprimis parentes, et (quoad istos) patrem ante matrem respiceret. Venirent postea uxor, filii etc. Scavini (*l. c. Reg. 5ª*).

ARTICULUS III.

De odio et malevolentia.

115. *Quid est* ***odium*** *et* ***malevolentia?*** Odium est animi aversio inordinata contra proximum. Malevolentia autem est voluntas aut complacentia inordinata de malo proximi. Dixi *inordinata*; si enim iusta de causa, intra iustos limites et quanto minus fieri potest, quis aliquam aversionem contra proximum haberet, aut aliquod

malum ei desideraret vel etiam de facto inferret; tunc nec de odio nec de malevolentia; sed solum de iusta indignatione, de iusta repressione, de iusta correctione, de rationabili iurium tuitione etc. ageretur.

116. *Malevolentia* ***quotuplex*** *esse potest?* Potest esse totalis et partialis. *Totalis* est quando quis proximum nulla ratione amat, et nullum bonum sed tantummodo malum ei vult. *Partialis* est quando quis malum aliquod quidem proximo vult inordinate, sed nihilominus illum adhuc amat, et bonum aliquod ei exoptat.

117. *Malevolentia estne semper* ***mortalis?*** Malevolentia *totalis* (quae proprie dici solet *odium mortale*) est semper peccatum gravissimum; idque verum esset quamvis viros scelestissimos nobisque inimicos respiceret. *Partialis* autem, modo mortalis et modo venialis esse potest.

118. *Eccur malevolentia totalis potest esse peccatum, si viros scelestissimos aut nobis inique* ***inimicos*** *respiciat? Quomodo possibile erit amare personas huiusmodi? Qua de causa iisdem bene velle poterimus?* Quod sit peccatum, certissimum et notissimum est ex verbis D. N. I. C. (Matth. *V 44*); « Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros: bene« facite his qui oderunt vos...., ut sitis filii Patris vestri qui in coelis « est: qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super « iustos et iniustos ».

Quod autem eosdem diligere eisque pro malo bonum reddere possibile sit, patet quia 1° Non ratione mali sed ratione boni, quod in iis adhuc remanet, illos diligere possumus atque debemus; sunt enim et ipsi filii Dei fratresque nostri qui nobiscum ad aeternam beatitudinem pervenire possunt. 2° Amore Dei, ad placendum Deo, atque ad praemium aeternum assequendum (non vero quia ipsi meritum habeant) iisdem pro malo bonum reddere vel exoptare possumus.

119. *Quomodo haec duo componuntur, quod scilicet interdum aversionem aliquam contra proximum habere eique mala exoptare vel etiam inferre; simulque eum diligere eique bonum exoptare possimus?* Quia nihil impedit quominus una eademque persona eodem tempore propter diversos respectus nobis placeat et displiceat, eique bonum et malum facere velimus. Nonne pater filium simul verberat et amat? Sic nihil vetat quominus in proximo peccata et vitia odio habeamus, simulque propter bonas qualitates, aut saltem quia frater noster in Christo est (ut supra dicebam), illum amemus. Odium huiusmodi, ut ait S. Th. (*2. 2. 25 VI ad 1*) ad charitatem pertinet; unde vulgare effatum: — Odio habebis vitium et amabis personam —. Pariter nihil vetat quominus ex iusto motivo mala (et etiam mortem ipsam) ex iusta defensione ei inferamus, et nihilominus bona (saltem salutem aeternam) ei exoptemus.

Tota itaque difficultas reducitur in determinandis limitibus, quibus aversio aut vindicta ordinata ab inordinata distinguitur. Hoc autem sequenti modo declaratur.

120. *Quaenam servanda sunt, ut possimus proximo* ***malum desiderare vel inferre*** *absque laesione charitatis?* Oportet 1° Ut hoc fiat sub ratione boni, ut scilicet adsit finis boni maioris, aut talis quod iuxta rectum ordinem malo proximi (quod tunc tamquam medium ad obtinendum bonum consideratur) praeferre possimus. Oportet 2° Ut nullo modo excedatur, et benevolentia erga proximum tum interno animo tum externis actibus, quantum fieri poterit, servetur. Oportet 3° Ut, si forte, inferendo iuste malum proximo, scandalum sequeretur, ab eo (saltem rem declarando) caveatur.

121. *Explicatio.* Ad I. Ratio boni esset 1° *Maius bonum proximi ipsius.* Exempla. Correctio vel punitio salutaris. Desiderium infortunii temporalis quod ad emendationem deserviat. Genitores qui potius exoptant ut filii moriantur, si mali evasuri essent, vel etiam ne vitam nimis miseram diutius producant. 2° *Bonum publicum.* Exemplum. Publicis grassatoribus, vel religionis persecutoribus punitionem et subinde etiam mortem exoptare. 3° *Bonum familiae.* Exempla. Pater qui filio familiam scandalizanti et in ruinam coniicienti carcerem vel quid simile exoptaret. Mater pauperrima, quae prole iam nimis numerosa onusta, desideraret ut puer recens natus ad paradisum advolaret. Gury (*Cas. n. 213*). 4° *Iusta defensio* vitae vel aliorum bonorum. Ad iustam defensionem autem tum exigentia *reparationis damnorum* vel restitutionis honoris, tum *iusta punitio* (seu legitima vindicta) ne malefactor ad novas offensas procedere audeat, tum denique *iustae indignationis ostensio* pertinent. 5° *Adimpletio proprii muneris;* si nempe quis ex officio (v. g. iudicis, patris etc.) punire deberet. Hinc charitas sinit, imo interdum exigit, ut contra aliquem irascamur gravibusque verbis illum obiurgemus, speciatim quando delinquentis emendatio, aut honor Dei, aut bonum aliorum id exigeret, maxime vero si munus nostrum (ut modo dicebam) superadderetur. Ira, quando est rationabilis atque moderata, est etiam licita et conveniens, ut scilicet correctio promptior et fortior evadat.

E contra ratio boni maioris et finis rectus deficeret si proximus sive verbis sive factis iniuste offenderetur, aut si ex invidia, avaritia, ira iniusta, impatientia aut alia passione malum ei desideraretur. Exemplum invidiae habemus in Cain; avaritiae in filio qui ad assequendam haereditatem mortem patri exoptaret; irae iniustae in eo qui iuste correctus malum corrigenti imprecaretur; impatientiae in iis qui propriis coniunctis querulis, fastidiosis, infirmis etc. mala exoptant.

Ad II. Quod, supposita etiam rectitudine in facti substantia, sive in punitione, sive in defensione, sive in vindicta, sive in indignationis ostensione etc., excessus, atque adeo peccatum contra charitatem (et subinde etiam contra iustitiam) intervenire possit, res est per se manifesta. Observari potest quod huiusmodi excessus periculum semper secum ferunt passiones, et speciatim ira, quae, ut sit utilis, rationis ancilla et adiutrix, non vero domina, esse debet.

122. Denique dum mala proximo recte et rationabiliter desideramus vel facimus, benevolentiam erga illum servare debemus, quatenus animo

simus ita comparati, ut nullum allaturi essemus malum, si absque illo finem obtinere, scilicet nocumenta iniusta a nobis avertere possemus; unde in malo afferendo veluti aegre procedamus.

123. *Circa* ***displicentiam*** *ob iniuriam receptam, atque ostensionem iustae* ***indignationis,*** *estne aliquid notandum?* Multi poenitentes res istas cum odio confundunt, sed ab odio sunt prorsus distinguendae. In casu alicuius offensae vel iniuriae receptae, sine ulla culpabili charitatis laesione malefacti displicentiam habere, atque etiam quamdam indignationem exterius ostendere possumus, dummodo sit iusta et rei naturae proportionata. Casus practicus accidit praecipue in patre, qui, dum filia indigno, vel utcumque contra eius rationabilem voluntatem propter nimiam conditionis disparitatem, nupsit, iustam indignationem filiae ipsi ostendit, aut etiam prohibet ne alii filii illam salutent; maxime si alias filias haberet a tali malo exemplo deterrendas. Discretio tamen esset servanda, speciatim si longum tempus iam praeteriisset, et maxime si filia veniam peteret vel in egestate versaretur, vel ex indignatione nimis dura nimisque protracta scandalum oriri inciperet. Cf. Diana (*I.* IV *Res. 34*).

124. *An, salva charitate, quis petere possit* ***vindictam ab auctoritate publica*** *pro se vel aliis? Et quid de* ***vindictis privatis****?*

I. Vindictam, scilicet iustam punitionem, petere posset, ne offensor impunitus ad novas iniurias procedat, aut ne alii, eius nimia cognita bonitate, ad damna ei inferenda audaces evadant. Si tamen offensor veniam peteret, de eiusque vera resipiscentia fidendum esset, et damnorum (si quae attulisset) reparationem offerret, neque consanguinei personae offensae processuri essent ad vindictam privatam contra offensorem impunitum; tunc persona ipsa offensa veniam concedere deberet; valde enim difficile esset quod solum ex sincera voluntate prospiciendi publico bono (quae tunc esset unica ratio vindictam petendi) veniam concedere nollet. S. Lig. (*Prax. 38*).

II. Nedum ad tuendum se ipsum, sed etiam ad tuendum proximum, iusta punitio quaeri potest.

III. Interdum vindicta quaeri nedum posset sed etiam deberet, si quaerela ad bonum sive publicum sive fami-

liae necessaria esset, v. g. pro honore in Superiore, pro obtinenda reparatione damnorum etc.

IV. Vindictae privatae sunt contra bonum commune, et legibus omnibus semper prohibitae fuerunt (unde non omnia quae desiderari, etiam effici possunt).

Excipe vindictas parvi momenti (quae novas iniurias non sint provocaturae), speciatim contra pueros, filios, uxores etc. (ad salutarem et omnino convenientem correctionem). Scripsit Lessius (*II.* XLVII. IV *23*): « Permittuntur passim in Republica quaedam vindictae *parvae,* si fiant ex « incontinenti, accepta iniuria : hoc enim aliquo modo reputatur necessa- « rium ad publicam pacem, ut quisquis a minoribus iniuriis, quae ad tri- « bunalia non solent deferri, tutus sit. Hoc modo quidam Doctores eum « qui percutit alterum alapa, pugno vel baculo, dicunt statim posse reper- « cuti, ne alter audacior in posterum ad similia evadat : esse enim hoc « genus quoddam defensionis ».

Id tamen practice cum magna discretione intelligi debet ; oporteret enim ut tales parvae vindictae ad cavendas alias iniurias vere deservirent ; quod (nisi forte ageretur, ut dixi, de coercendis pueris vel de necessaria defensione) practice vix unquam accidit, sed potius novas iniurias essent provocaturae, atque efficerent ut lites nunquam finem haberent.

125. *Quid de **imprecationibus** seu **maledictionibus**?* Qui imprecantur, modo mortaliter, et modo venialiter, et aliquando nihil peccant.

Peccatum mortale contingere potest dupliciter: 1° Si ex animo malum grave, absque fine cohonestante, proximo exoptetur deliberate seu cum sufficienti reflexione ad gravem huius actus malitiam (prout contingere solet in iis qui contra aliquam personam habitualiter, aut etiam propter offensam recenter receptam, magno odio aestuant); nec valet si poenitens dicat eo solo momento exoptasse ut malum vere accideret, et postea statim poenituisse (S. Lig. *Prax. 36*). 2° Si imprecationes sine quidem animo graviter malevolo proferantur, sed graviter iniuriosae vel turbativae sint; ut puta, si filius patri praesenti, vel etiam si pater, imprecationibus non assuetus, filio praesenti iam adulto grave malum imprecaretur etc.

Peccatum veniale contingeret 1° Si imprecationes essent de malo levi. 2° Si ore tantummodo et sine gravi offensa proferrentur. 3° Si ex ignorantia vel cum defectu plenae advertentiae, propter turbationem passionis, ex ore elaberentur. (Notandum quod imprecationes in rudibus ut plurimum communissimae, veniales esse, aut saltem tamquam veniales ab iisdem haberi, solent). 4° Si non contra

proximum, sed contra alias creaturas sive animatas sive inanimatas ex ira vel impatientia (prout pariter inter rudes saepissime contingit) proferrentur. S. Lig. (*III 129*), Scavini (*II 123*) etc.

Nullum denique peccatum aderit si ex fine boni maioris, vel utcumque satis cohonestante, imprecationes iaciantur. Hinc scriptum est; « Utinam abscindantur qui vos « conturbant ». et: « Montes Gelboe, nec ros nec pluvia « veniant super vos etc. ».

126. Quaer. I. *An sit peccatum maledicere Diabolo?* Aliqua culpa adesse potest propter impatientiam; sed non eo quod maledicatur Diabolus tamqnam Dei inimicus et ruina nostra etc.

127. Quaer. II. *An imprecationes sint diversae speciei iuxta diversa mala quae in ipsis exprimuntur?* Negative ordinarie; nisi mala imprecata efficaciter procurari vellent, ut plurimum enim ex corde vel nihil vel non quatenus sunt diversa, mala illa desiderantur.

128. *Quid de **contumelia**, seu verbis aut factis proximi praesentis honori detrahentibus?*

I. Huiusmodi sunt verba pungentia et offensiva, quibus proximo praesenti facinora, aut defectus naturales, quis exprobrat. Item facta sive positiva sive negativa, quae despectum aut irreverentiam significant.

II. Interdum possunt esse immunia a quavis culpa, si nempe, v. g. ad iustam correctionem (prout facilius contingere potest in superioribus), ad salutarem et necessariam humiliationem, ad iustae et moderatae indignationis ostensionem, vel etiam ad obtinendam alicuius momentosi iuris proprii satisfactionem (si alia media deficerent, et dummodo discretio, attento etiam scandalo, servetur) dirigerentur.

III. Sed ut plurimum haec sunt excessiva vel etiam iniusta prorsus; unde in verbis et factis huiusmodi ordinarie contra charitatem, imo etiam contra iustitiam, delinquitur.

IV. Ad aestimandum gradum culpae, considerari debet an agatur de re quae graviter pungat gravemque turbationem et afflictionem in proximo productura sit, attentis circumstantiis; cuiusmodi sunt speciatim 1° Res ipsa in se considerata (aliud enim est si furem vel adulterum, et aliud si mendacem aliquem dixeris). 2° An aliis praesen-

tibus exprobratio facta fuerit (quo casu nedum contra honorem sed etiam contra famam iniuria contingeret). 3º An res exprobrata sit vera et publica, an vero calumniosa vel secreta. 4º An exprobretur perversitas in genere, an vero facta particularia cum circumstantiis indicentur. 5º Consideranda est praecipue conditio personarum; nonnulla enim verba, quae si contra personam civilem dicerentur gravissimam iniuriam continerent, fere nihil considerantur inter rudes; imo interdum sensum proprium nullatenus habent (unde ruri matres filiis suis passim exprobrant esse filios meretricis!)

V. Iniusta honoris laesio per se est reparanda. Sed quomodo? Si laesio fuisset negativa, ut plurimum sufficeret si in posterum reverentiae signa praeberentur. Si vero fuisset positiva, tunc ordinarie aliquid amplius exigeretur: nec familiaris allocutio, quae forte inter offensum et offensorem subsequeretur, reparationis debitum facile extingueret, vel a parte offensi condonationem (si de re gravi ageretur) facile significaret.

Si laesio honoris fuisset publica, reparatio quoque publica esse, aut saltem publice innotescere, deberet.

Si superior inferiorem dehonorasset, sufficere posset si illum amice salutaret, honorifico nomine appellaret etc.

Inter aequales sufficere potest invitatio ad mensam, loci honorifici cessio etc. Si autem offensa fuisset gravior, vel si inferior superiorem dehonorasset, tunc petitio veniae plerumque necessaria foret. Haec per litteras aut per intermediam personam peragi potest; sed iniuria potuit esse adeo gravis, ut offensus (et maxime superior) personalem veniae petitionem iure exigere possit.

Attamen quoad irreverentias filiorum erga parentes, condonatio a parte parentum ipsorum (seclusa quoque veniae petitione) facilius praesumitur, nisi forte de re gravissima et valde extraordinaria ageretur. Idem dic de iniuriis satis frequentibus inter coniuges, fratres etc.

Si denique simul cum honore fama quoque laesa fuisset; tunc non solum honor, sed etiam fama reparari deberet. Lhemkuhl (*I 1195*).

129. *Quid de differentia inter* ***signa benevolentiae*** *et obsequii proximo debita? Et quid si non praestarentur?*

I. Alia sunt signa et officia *communia*, cuiusmodi censentur resalutatio; responsio; preces quae fiant pro proximo in genere; salutatio anticipata erga Superiores, coniunctos, vicinos etc.; eleemosynae communes; venditio aperta omnibus; visitatio patris vel fratris infirmi; obsequia consueta erga Superiores etc.

Alia sunt signa *specialia* seu amicalia, ut inire amicitiam seu quamdam familiaritatem cum aliquo, eumque, v. g. anticipate vel festive salutare, ad convivium invitare etc.

II. A signis et officiis communibus nemo, non obstante offensa recepta, excludi potest: nisi iusta causa subsistat.

Iustae causae (ad tempus) esse possunt speciatim 1° Finis iustae (et maxime exemplaris) punitionis vel correctionis. 2° Iustae indignationis ostensio (de qua recole supra dicta *n. 120*). 3° Horror magnae iniuriae recentis. 4° Timor maioris mali, v. g. si salutatio odium vel rancorem esset renovatura, vel novas rixas provocatura, aut si de non obtinenda resalutatione timeri deberet etc.

Quod autem, praescindendo a legitimis excusationibus, signa communia praeberi debeant omnibus, atque etiam inimicis, patet quia eorundem omissio semper rancorem foveret; ordinarie offensorem pungeret et sic inimicitiam reciprocam in longum produceret; saepe denique scandalo locum daret.

III. Quoad signa specialia, theologi dicunt nullam adesse obligationem ea praebendi. Sed haec doctrina cum mica salis accipi debet. Contingere enim potest 1° quod quis quaerere debeat inimicum pro reconciliatione; 2° quod amicus non debeat contristare amicum privando illum sua amicitia et salutatione, v. g. propter levissimam offensam vel amicabilem admonitionem receptam, et quin (uno verbo) id meritus fuerit.

IV. Non facile iudicandum de peccato mortali propter solam omissionem salutationis vel etiam resalutationis; facile enim vindicta illicita erit, sed non facile gravis. Attendendae sunt itaque circumstantiae. Videndum impri-

mis an salutatio et consequens resalutatio prius locum habuisset propter specialem amicitiam, et quis non amplius salutet vel resalutet ad amicitiam eandem (ad quam non teneatur) abrumpendam, absque alia gravi malitia; et tunc peccatum mortale intervenire nequiret. Secus esset si salutatio (maxime vero resalutatio) independenter ab huiusmodi speciali amicitia adhiberi deberet; tunc enim de gravi peccato agi posset. Decisio autem pendet praecipue 1° a diuturnitate temporis; 2° a qualitate personarum (ut puta, si ageretur de religiosis vel monialibus vel sacerdotibus, aut de personis stricta parentela coniunctis, aut de subditis sic deficientibus contra Superiores etc.); 3° a scandalo; 4° a totali deficentia cuiuslibet iustae causae, vel ab excessu iam manifeste gravi; 5° a malis consequentiis quae pertimesci deberent.

130. *Quaenam sunt media* ***reconciliationis*** *exequendae, nempe externis discordiis finem apponendi?* Aliquando exigitur reconciliatio formalis (it. *far le paci*); idque contingere solet si iniuriae atroces intercesserint, vel utcumque si odium (quavis abrupta relatione) fuerit profundum et diuturnum. Aliquando autem media minora sufficiunt, v. g. cessare ab iniuriis, et litigiis; aut aliquod ostendere reconciliationis desiderium, v. g. aliquid mutuum ab inimico ope filiorum petendo etc. Hoc facile sufficit et expedit quando offensae non adeo magnae fuerunt, aut quando reconciliatio formalis, propter probabilem in illa ipsa repetitionem offensarum (prout in litigiis foeminarum ordinarie contingeret), inutilis futura esset.

131. *Quotuplici ratione reconciliatio potest esse* ***necessaria?*** 1° Ad cessandum a rancoribus et offensis praesentibus; 2° ad praecavenda pericula futura; 3° ut cesset scandalum; 4° ut satisfiat personae offensae.

132. *Quis debet* ***esse prior*** *in reconciliatione quaerenda?* Offensor. Si autem offensae fuerint mutuae, tunc qui magis; et, si fuerint aequales, tunc qui prior offendit. Si non distingueretur quisnam plus aut quisnam prius offenderit, tunc eodem modo tenerentur ambo.

Sed quid si offensor, aut qui utcumque deberet esse prior, reconciliationem non quaereret? Tunc (ob primas

tres rationes praedictas) tenebitur alter. Excipe nisi gravi et proportionato incommodo excusetur; prout forte contingeret si ex una parte offensa recepta fuisset atrox, et ex alia ipse (quasi reus pacem petendo) nimis se humiliare deberet; quod tamen incommodum facile declinari solet curando ut tertia persona (quae motu proprio procedere fingat) se interponat.

133. *Quid si offensus ab offensore* ***veniae petitionem*** *exigeret?* Offensor sic etiam deberet offenso satisfacere, nisi iam alio modo aequivalenti (v. g. se humiliando, se retractando, poenam luendo etc.) ei satisfecisset; aut nisi veniae petitio eius gradui (cum detrimento auctoritatis, atque adeo cum damno publico) conveniens non esset, ut puta, si de Superiore, qui ad offensam atrocem non processisset, ageretur.

Etsi autem offensor ad veniam petendam induci nequiret, contingere posset quod offensus, ad evitanda mala quae ex inimicitiae continuatione pertimescerentur, nihilominus ad reconciliationem devenire debeat (charitas enim non quaerit quae sua sunt).

ARTICULUS IV.

De operibus misericordiae corporalis, et speciatim de eleemosyna.

134. *In quo consistunt opera misericordiae* ***corporalis?*** In subsidiis gratuitis, quae proximo corporaliter indigenti ex motivo christianae charitatis suppeditantur. Ut plurimum consistunt in eleemosyna; sed consistere possunt etiam in aliis rebus, v. g. vadimoniis, mutuis; vel si quis procuret ut pauperes subsidia habeant ab aliis; vel si medicus, advocatus etc. gratis se praestet; vel si operariis et artificibus operae suppeditentur etc.

135. *Eleemosyna (et in genere sublevatio indigentium) caditne sub vera* ***obligatione?*** Utique.

Patet 1° ex praecepto diligendi proximum; nunquid enim amaret proximum, qui illum indigentem commode sublevare posset neque sublevaret? Patet 2° ex pluribus textibus Sacrae Scripturae « Qui habuerit « substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere,

« et claûserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? » (*I. Io.* III). « Divitibus huius saeculi praecipe facile tribuere « (*I Tim.* VI). « Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas similiter « faciat » (*Luc. III*). « Quod superest, date eleemosynam » (*Luc. XI*) « Ve- « stra abundantia illorum inopiam suppleat » (*2 Cor VIII*). « Eleemosynam « pauperis ne defraudes » (*Eccl. IV*). « Discedite a me maledicti in ignem « aeternum....; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc. » (*Matt. XXV*). Patet 3° ex scandalo et infamia illorum divitum qui eleemosynas non faciunt. Patet 4° ex peccatis innumeris, quibus (miserias non sublevando) occasio datur. Patet 5° ex prop. damnata ab Innoc. XI (*n. XII*) quae dicebat; « Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum « statui; et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tan- « tum ex superfluo statui ». Patet denique ex Patribus. S. Ambrosius, v. g. (*De Off. I 31*) dixit; « Grandis culpa est, si, te sciente, fidelis egeat; « si scias eum fame laborare, aerumnam pati, praesertim si mendicare « erubescat ».

136. *An adsint personae, quae pauperum curam specialem habere teneantur?* Affirmative; scilicet sacerdotes; maxime vero episcopi, parochi et concionatores.

De Episcopis et parochis dicit Tridentinum (*XXIII.* I): « Cum prae- « cepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa « est,.... pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam « gerere etc. ». Et Caeremoniale Episcoporum de Episcopo moribundo dicit; « Convocet canonicos, parochos et curatos omnes... et... commendet « illis pauperes, viduas, orphanos et loca pia ».

Sanctissimus autem D. N. Leo XIII in sua novissima et celeberrima Enc. *Rerum novarum* in memoriam revocat primos diaconos, quibus ab Apostolis datum fuit negotium ut quotidianae beneficentiae exercerent munia, quaerendo pauperes eisque distribuendo pecunias a christianis in unoquoque conventu ultro collatas, quas Tertullianus *deposita pietatis* nuncupat; unde tunc nullus *egens erat inter illos* (*Act. IV 34*). Imo subdit Summus Pontifex quod Paulus Apostolus, etsi sollicitudine districtus omnium Ecclesiarum, nihilominus dare se in laboriosa itinera non dubitavit, quo ad tenuiores christianos stipem praesens efferret. Loquens autem de sacerdotibus omnibus et speciatim de concionatoribus, dixit: « Intendant omnes « animi industriaeque vires ministri sacrorum, vobisque, Venerabiles Fra- « tres, auctoritate praeeuntibus et exemplo,.... omni qua possunt ope pro « salute populorum contendant, potissimumque studeant et tueri in se, et « excitare in aliis, summis iuxta atque infimis, omnium dominam ac regi- « nam virtutum, charitatem ».

137. *Quid exigitur ut eleemosynae obligatio subsistere possit?* 1° Possibilitas in dante. 2° Necessitas in recipiente. De hac necessitate iam declaravi supra (*n. 105*) quod potest esse extrema, vel quasi extrema, vel gravis, vel communis.

138. *Quandonam aderit **possibilitas in dante**?* Quando sat commode dare possit. Equidem si de magnis et extraordinariis malis publicis (nostri loci) ageretur, con-

tingere posset quod etiam cum gravi vel gravissimo incommodo (si opera nostra necessaria et utilis futura esset) eis succurrere teneremur; sed, loquendo de necessitatibus huic vel illi particularibus, iam vidimus (*n. 109*) quod nemo tenetur pro alio (etiam extreme indigenti) subire incommodum valde grave quod ne pro sua quidem vita subire teneretur. Pro malis autem publicis, etsi non extraordinariis, aderit quidem obligatio contribuendi ultra id quod pro uno dumtaxat (etiam extreme indigente) contribuendum esset; sed non ita ut onera intolerabilia quisquam sustinere debeat, prout communi sensu (et ex necessitate quod in societate adsint divites et pauperes) manifeste patet. Ex hoc autem duae sequuntur consequentiae.

I. Ordinarie (ut supra innui *n. 113*) non adest obligatio inquirendi pauperes et indigentes; sed potest expectari petitio. Dixi *ordinarie;* excipi debet enim 1° Casus episcopi et speciatim parochi, qui pauperum curam paternam habere debent, ut supra vidimus, atque adeo (speciatim si de magna indigentia familiae verecundae suspectum habeant) inquirere tenentur. 2° Casus in quo quis de necessitate vere extrema certus sit vel grave dubium habeat (Cf. Ballerini *Op. Th. l. c. n. 127 et seqq.*). 3° Casus divitis, a quo, propter notissimam avaritiam et firmum usum denegandi eleemosynam, iam nemo illam petere audeat.

II. Non cuilibet eleemosynam vel subsidium petenti subvenire tenemur.

Scripsit D. Th. (*Quodl. VIII 12*); « Si non appareant (signa extre- « mae necessitatis) tunc non tenetur (dives) dare pauperi petenti; quia, « quamvis teneatur dare superfluum (*intellige partem superflui, ut sta-* « *tim videbimus*) pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, nec huic « dare, sed tenetur distribuere secundum quod sibi visum fuerit oppor- « tunum ».

139. *An qui non est dives, ad subveniendum proximo, etiam ope eleemosynae, teneri possit?* Affirmative. Sed, ut bene hoc intelligatur, praenotandum est quod alia sunt bona stricte necessaria vitae (quibus scilicet ad alendum se ipsum et familiam quis prorsus indigeat); alia vero sunt bona superflua vitae, sed necessaria statui praesenti (quibus scilicet nedum utcumque sed decenter iuxta praesentem suam conditionem quis vivere possit);

alia denique sunt superflua etiam statui praesenti, etsi ad comparandum statum altiorem deservire possint. Qui autem non est dives posset habere 1° sola bona necessaria vitae; 2° sola bona necessaria vitae et statui; 3° etiam bona superflua statui. His praemissis, sic dico:

I. Si proximus versetur in necessitate extrema, tunc (dicente S. Ambrosio: *Pasce fame morientem; si non paveris occidisti*) adest obligatio (etiam in non divite) eidem succurrendi, non equidem ex bonis necessariis vitae (omitto quaestionem si persona a morte salvanda esset necessaria aut quam maxime utilis religioni vel societati. Baller. *Op. th. V. 110*); sed ex bonis necessariis statui; ita tamen ut quis non iam a statu suo prorsus decidere (v. g. artifex ad mendicitatem se reducere; ad quod nequidem pro se aut filiis quisquam teneretur (1); bene vero alicui non magno detrimento circa res statui suo necessarias (si id oporteat) se subiicere teneatur; ut optime explicat Viva (*Pr. XII* Innoc. XI *n. 6*). Casus esset si ad redimendam personam a latronibus illam certe occisuris, quis deberet solvere aliquam non magnam summam, qua caeteroquin indigeret ad novas vestes iuxta suum statum sibi comparandas, unde vestibus aliqualiter detritis per nonnullos menses vel annum cum aliquo dedecore adhuc uti cogeretur.

II. Quod de necessitate extrema dictum est, de necessitate quoque gravissima et quasi extrema dici debet. Ita communius cum Viva (*l. c. 8*).

III. In necessitate gravi dumtaxat, et a fortiori in necessitate communi, succurrendi cuiquam ex bonis necessariis statui non datur obligatio. Viva (*l. c.*). Si tamen quis (etsi non dives) superflua statui haberet, et gravem aliquam proximi sui necessitatem conspiceret, dicerem quod (deficientibus aliis) eidem subsidium (si quid modicum sufficeret) praebere deberet.

---

(1) Nec valet ratio boni maioris; quod scilicet vita alterius praevalet nostris bonis fortunae; in contrarium enim est quod charitas incipit a semetipso, et quod nemo tenetur recidere sibi brachium ad salvandam suam vitam, ut scite notat Viva.

140. *An et quando obligatio faciendi eleemosynam urgeat **sub gravi** quoad divites?*

Hoc in puncto confusio magna invenitur apud theologos, quorum plures dicunt non constare de obligatione gravi in communibus vel etiam in gravibus pauperum necessitatibus; sed sufficere (ad evitandum peccatum mortale) si divites solis necessitatibus extremis prospiciant. Auctores qui ita sentiunt, citantur a S. Lig. (*II 31 Resp. 2 et 32*) et a Ballerinio apud Gury (*I 228*). Sed haec doctrina tamquam falsa et perniciosissima reiici debet.

I. Ego (cum eodem S. Ligorio, censeo divites omnes, qui habeant *superflua statui* praesenti, teneri sub gravi eorundem superfluorum partem (prout infra explicabitur) quotannis distribuere pauperibus; ita tamen ut possint negligere necessitates communes, sub conditione quod vel praeferant necessitates graves (et multo magis extremas vel quasi extremas), abundantius in illis contribuendo; vel accumulent capitalia ad fundanda opera pia (prout pariter mox infra explicabitur).

Rationes sunt sequentes: 1° Sola conscientia gravis obligationis efficere potest ut divites eleemosynae oneri (quod utique per se est satis incommodum) se subiiciant; patet enim ex facto, quod pari passu quo talis evanescit conscientia, charitas quoque evanescit, et miseria horribiliori modo semper adaugeretur. Sic autem (ut bene notat Viva *l. c. IV*) nonne pauperes innumeri ex ordinariis in gravissimas et quasi extremas necessitates prolaberentur? 2° Doctrina de restringenda obligatione ad necessitates extremas (qui casus est vix practicus) quomodo componi potest cum verbis supra citatis Apostoli dicentis: « Divitibus praecipe *facile* tribuere? » et si obligatio non esset gravis, eccur dixisset Ioannes (*l. c.*): « Quomodo « charitas Dei manet in eo? ». Imo qua ratione Iesus Christus supposuit denegationem eleemosynae esse peccatum valde commune et dignum damnatione aeterna, dicendo: « Ite maledicti in ignem aeternum; esurivi « enim etc.? »

II. Quod autem divites *non totum* superfluum teneantur dare pauperibus, patet tum communi sensu theologorum; tum quia, sublata facultate adaugendi propria capitalia, ipsi animo deiicerentur, et (cum damno communi) fundorum melioramenta bonaeque agriculturae regulas negligerent, et otio vitiisque magis magisque indulgerent. Adde scrupulos et conscientiae angustias, si meticulosi simulque non plus quam mediocriter divites essent.

III. Probabile autem est sufficere si *quinquagesimam partem* scilicet 2 pro %, ex fructibus superfluis annuatim elargiantur, et interdum etiam minus; dicente S. Lig. (*Hom. Ap. IV 19*): « Sufficit si detur quinquagesima pars annuo-

» rum proventuum, qui supersunt, ut probabiliter dicunt « multi Doctores...: et, si redditus sint pinguiores... minus « quinquagesima parte «.

IV. Ad determinandam quantitatem reddituum, quae ad decentiam status conservandam necessaria est, valent sequentes advertentiae: 1° Ad hanc decentiam conservandam pertinent ea omnia quae requiruntur non solum ad filios et famulos decenter sustentandos, sed etiam ad hospites excipiendos, atque ad convenientes donationes, convivia, et moderatas munificentias exhibendas (S. Lig. *II 32*). 2° Ea autem quae in fastu excessivo, vel in vitiis insumerentur, certe non essent computanda, et perinde foret ac si adhuc extarent. 3° Item nihil vel parum sunt computanda infortunia quae facile statim vel tractu temporis resarciri possint (Ballerini (*Op. th. V 109*); et similiter non erit computandum aes alienum quod in emendis novis possessionibus contractum fuisset; et solum ea pars possessionum ipsarum quae aeri alieno correspondet, tamquam non existens considerari poterit. 4° Praecise determinare summam necessariam ad decentiam status (eo quod res ista magnam et subinde maximam latitudinem habere possit) impossibile est; et proinde arbitrio et discretioni viri prudentis iudicium remitti debebit. Cf. Baller. (*l. c. 108*).

V. Piae matronae quae manu propria laborant pro pauperibus (v. g. ad vestes eis conficiendas), certe hunc laborem inter eleemosynas computare poterunt.

VI. Dixi supra permitti posse ut, loco faciendi minutas eleemosynas, accumulentur capitalia *ad pium opus instituendum*. Hoc docet etiam S. Lig. (*Hom. Ap. l. c.*) cum aliis. Id autem intelligi debet non solum de piis operibus ad pauperum levamen immediate directis, sed etiam de aliis quae ad cultum divinum vel ad iuvenum educationem dirigerentur, unde Suarez (*De Char. VII.* III *9*) indicat etiam aedificationem templi vel institutionem collegii. Haec enimvero indirecte quidem sed potentissime (sensus christianos fovendo) pauperibus etiam iuvarent. Sed haec doctrina cum debita discretione intelligi debet; valet enim solum (prout ipsi theologi notant) quando pauperum necessitates sint ordinariae; non vero quando graves vel gra-

vissimae, atque admodum diffusae essent; tunc enim ad illas sublevandas concursus universalis urgentissimus evasisset, illisque neglectis magnas summas potius pro cultu divino (cui aliter iam sufficiente provisum fuisset) scandalum ingereret, nec tunc esset casus dicendi miserrimo populo quod oblationes factae Ecclesiae ei proderunt, iuxta illud (*Matt. XXV 5*): *Munus quodcumque est ex me tibi proderit;* sed potius dici deberet quod directum pauperum levamen tunc est de praecepto, et praeceptum consilio praevalet.

141. *Regula quod sufficiat dare pauperibus praedictam exiguam partem superfluorum, valetne etiam* ***quoad beneficiatos?*** Negative. Ipsi superflua omnia, scilicet quidquid de fructibus beneficii superest honestae sustentationi, erogare tenentur ex toto in usus pios. Episcopi autem et parochi non in quemcumque usum pium, sed, saltem in parte, in levamen pauperum sibi subditorum ea erogare debent, prout suo loco melius videbimus.

142. *An aliqui pauperes ab eleemosynis* ***debeant excludi?*** Affirmative; si nempe eleemosyna in malum redundet; prout contingere solet in fictis pauperibus qui, ut otio et vitiis indulgeant, eleemosynam quaerunt; aut in quibusdam mulieribus quae sinistris intentionibus vel certe cum magno periculo in gyrum se conferunt etc. Scrupuli tamen non essent iniiciendi si ex eleemosynae recusatione molestiae sequerentur et nihil boni obtineretur, remanente semper obligatione veris pauperibus subveniendi.

143. *An quis ab eleemosynis possit* ***excludere inimicum*** *suum?* Ex vindicta excessiva (prout certe contingeret si inimicus in extrema necessitate versaretur), negative. Ex fine rationabili (v. g. ad correctionem salutarem vel ad ostendendam iustam indignationem per aliquod tempus), affirmative.

144. *Quaenam sunt rationes* ***praeferendi*** *pauperem alteri pauperi?* Per se praeferri deberent pauperes magis indigentes (quales praecipue esse solent qui verecundantur). Dixi *per se:* interdum enim praeferri possunt minus indigentes propter maiorem coniunctionem (v. g. si pauper esset consanguineus, benefactor, amicus etc.); vel propter maiorem bonitatem; vel propter motiva spiritualia (v. g. ne pauper subiiciatur periculo peccandi); vel

denique propter maius meritum, si nempe pauper esset noster inimicus, tunc enim maior difficultas, et pura ratio illum sublevandi ex solo amore Dei, utique efficiunt ut meritum adaugeatur (D. Th. *2. 2 XXVII.* VII).

145. *Quid de **pauperibus voluntariis**?*

I. Si hic et nunc proprio labore possunt victum sibi procurare, et ex solo fine laborem declinandi, vagabundos se constituendo, eleemosynas quaererent, etsi caeteroquin vitiis non indulgerent, subsidio indigni essent.

II. Si hic et nunc proprio labore sibi providere nequirent, eleemosyna digni essent, etsi ex propria culpa in huiusmodi circumstantias se coniecissent.

III. Religiosi, qui ad sequendum Christi consilium omnibus suis rebus renuntiant, et paupertatis voluntariae votum emittunt, non solum ex motivo gratitudinis (quia scilicet pro populo orant vel alia spiritualia ei ministrant), sed etiam ex motivo christianae charitatis (quia scilicet revera sunt pauperes, eorumque paupertas nullatenus est reprobanda) eleemosynas merentur (Baller. *l. c. n. 143*).

146. ***Ex quibus bonis** eleemosynae fieri possunt?* 1° Ex bonis propriis, quorum libera habeatur administratio, atque in hunc finem sint ita disponibilia, ut alia officia graviora non laedantur. 2° Etiam ex bonis alienis in duobus casibus. Primus est si praesumptus domini consensus interveniat. Secundus est si proximus in extrema necessitate versetur. In hoc postremo casu omnes (qui rem animadverterent) tenerentur pro rata (Cf. Gury (*I. 228 q. 4 c.*).

147. Hinc *uxores, filii familias* et quandoque etiam *famuli,* ex bonis mariti, patris, et heri, facere poterunt eleemosynas iuxta expressum, vel tacitum, vel praesumptum eorundem consensum; sed non ultra, ita tamen ut excipienda sit uxor, quae ad faciendas aliquas eleemosynas statui suo omnino convenientes (non obstante irrationabili contradictione mariti) ius haberet. Idem consensus exigitur pro uxoribus quoad bona dotalia, et pro filiis familias quoad bona adventitia: administratio enim illorum ad maritum, et istorum ad patrem spectat. Uxores tamen ex fructibus bonorum extradotalium, nec non ex pensione (si illam habeant) quae it. dici solet *spillatico* (si post expensas necessarias, v. g. pro vestitu, aliquid supersit), eleemosynas libere facere poterunt; quod dicendum est etiam de filiis familias, si habeant bona profectitia.

Tutores et *Curatores* possunt facere solum modicas eleemosynas ex bonis pupillorum vel minorum, quae administrant, quales nimirum ex

stricta obligatione pupilli vel minores ipsi facere tenerentur; non vero abundantius.

Administratores locorum piorum, conventuum, collegiorum etc., quorum bona non ad eleemosynas faciendas, sed ad alios fines destinata sunt, nullas ex iisdem bonis eleemosynas facere possunt. Baller. (*Op. th. V 144*).

148. Dixi quod bona in eleemosynis elargienda debent esse *ita disponibilia ut alia officia graviora non laedantur*. Tobias dicebat: « Quo modo « poteris esto misericors »; quid enim v. g. si quis, ultra vires eleemosynas faceret, vel propter illas ad restitutiones exequendas, ad debita solvenda, ad familiam alendam etc. se impotentem redderet?

149. ***Quo modo** eleemosynae fieri debent, ut vere fiant ex christiana charitate et pariant meritum?* 1° Amore Dei (non vero ex respectu humano, aut vanagloria, aut philantropia et sola naturali compassione). 2° Libenter, non vero aegre atque unice ad vitandam molestiam. 3° Occulte (scilicet quoad eleemosynas momentosas vel pauperes verecundos); *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* 4° Caute. Intellige si aliquod inconveniens oriri posset; v. g. ne subveniendo mulieri suspectae, suboriatur scandalum, aut ne eleemosynae momentosae evadant inutiles vel noxiae etc.

150. Casus. *Quid si parochus quamdam summam (v. g. relictam a divite defuncto) omnibus paroeciae suae pauperibus in eleemosynam distribuere debeat?* Invitet pauperes, eorumque advenientium nomina scribat. Deinde scribat etiam nomina pauperum verecundorum (si adsint) qui se non praesentaverint. Faciat divisionem, et sine differentiis (quae nimiis contentionibus locum darent) suam quotam unicuique tribuat.

151. ***Quomodo dimittendi** sunt illi pauperes, quibus petentibus eleemosyna fieri non possit?* Non dure, sed bonis modis procedendum. Ipsis pauperibus fictis obiurgationes ordinarie non sunt faciendae. Ut plurimum expedire solet ut eis prima vice aliquid tribuatur; et postea diminutio ita fiat, ut ille, cui amplius subsidium dari non vult, per se ipsum cesset.

152. *Quid de locis, ubi in hospitiis mendicitatis pauperes publicis stipendiis aluntur: atque sub poena carceris pauperibus **eleemosynae petitio interdicitur**?*

I. Illuc pauperes imminuentur, sed miseriae plurimae adhuc restabunt; imo aliquae valde graviores evadent. Non obstante autem interdictione petendi eleemosynam, miseriae ipsae patebunt.

II. Exercitio itaque christianae charitatis adhuc locus remanere, et adhuc sub obligatione illa cadere poterit.

III. Sed taxae, quas Gubernium vel Municipium in hunc finem coacte exigit, possuntne tenere locum eleemosynarum, quae ex christiana charitate fieri debent? Ballerini (apud Gury *n. 229 a*) dicit illas in hunc finem plus vel minus valere posse. Idque mihi quoque verum videtur, dummodo 1° hac bona intentione solvantur; 2° pauperibus detur reliquum, si quod pro taxa solvitur non pertingat ad summam, quae in eleemosynis impendi deberet. In dubio (si nempe ignoretur quaenam summa pro pauperibus in taxis solvatur) in favorem pauperum (maxime in necessitatibus non communibus) iudicandum erit.

153. *Quid de collectis, quae in pauperum levamen non ex charitate christiana, sed ex moderno naturalismo, seu fine philantropico, variis modis ab hodiernis liberalibus fieri solent? Licetne ad collectas huiusmodi concurrere?* Praenotandum quod philantropi isti ut plurimum in operibus suapte natura bonis mala (et quidem saepe magna) immiscere solent. Unde sic dico.

I. Si catholici habeant opera ad eundem finem talis vel talis miseriae sublevandae directa: tunc ordinarie ad sua, non vero ad vitiata illa opera concurrant. (Nefas enim est concurrere ad malum, nisi excusatio legitima subsistat).

II. Si catholici opera similia non habeant, tunc vel malum commixtum est tale ac tantum ut melius esset quod opus illud (pro quo collecta fit) non subsisteret; vel e contra (non obstante commixtione mali) melius est ut opus ipsum adsit. In primo casu concurrere non licet; in secundo licet.

154. *Quid de concursu ad publica solatia (v. g. comoedias, choreas, cantum, musicam, lotheriam etc.), quae* ***beneficentiae*** *dicuntur; in quibus scilicet quod solvitur pro interventu, ad subveniendum alicui humanae miseriae, in toto vel in parte erogabitur?* In hoc quoque casu vix concipitur quomodo charitas christiana locum habere possit. Ubinam amor Dei? Ubinam tristitia de malo proximi? Ubinam sacrificium in rebus huiusmodi? Non nego tamen quod, si de simplici lotheria aut aliis rebus innoxiis agatur, charitas christiana locum habere posset, speciatim quoad promotores, maxime si alia media necessitati vel pio operi nullatenus aut non ita copiose deservirent.

155. *Qui ex vanagloria, vel quadam coactione, vel fine philantropico, seu (uno verbo) absque fine christianae charitatis, pauperibus subsidia tribuerit, tenebiturne ad novas eleemosynas elargiendas perinde ac si nihil hucusque pauperibus tribuisset?* Mihi videtur quod meritum quidem non habuerit; sed, si miserias levamine dignas sublevaverit, ad iteranda subsidia (perinde ac esset de eo qui restitutiones coacte adimplevisset) non

teneatur. Dixi si miserias levamine dignas sublevaverit: aliud enim esset si subsidia illa ad alendos otiosos vel ad provocandas aut tuendas iniquitates, erogata, vel si ex toto vel ex parte direptionibus (prout contingere solet) exposita fuissent.

N. B. De hoc argumento vide plura alia in *Casibus conscientiae* a me solutis an. 1892 (*Cas. VII*).

ARTICULUS V.

De correctione fraterna.

156. *Quid est correctio fraterna?* Est veluti eleemosyna spiritualis, et definiri potest: *Monitio qua quis ex christiana charitate peccatorem a peccato avertere conatur.*

157. *Potestne cadere sub* ***obligatione?*** Affirmative. 1° Ex lege naturali; si enim proximo temporaliter indigenti succurrere tenemur, quanto magis si spiritualiter indigeret? 2° Ex praecepto positivo: « Corripe ami- « cum.... ne iterum addat facere..... Corripe proximum.... « ne forte iteret » (*Eccl. XIX 13*).

Adducitur textus Matth. (*XVIII 15*): « Si peccaverit in te frater « tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lu- « cratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc « unum vel duos testes etc. ». Equidem his et sequentibus verbis Iesus Christus loquitur de modo reconciliationis efficiendae et iustae iniuriarum reparationis obtinendae. Attamen interpretes communiter ad probandam quoque obligationem correctionis fraternae faciendae hoc textu utuntur.

158. ***Quotuplex*** *esse potest correctio?* 1° Expressa et aperta; 2° tacita, scilicet facto aliquo (v. g. turbatione vultus) manifestata; 3° indirecta (v. g. fingendo loqui de aliis, vel impellendo ad confessionem, concionem etc.); 4° secreta; 5° publica vel coram aliis.

159. ***Quinam*** *teneri possunt ad aliquem corrigendum?* 1° Superiores; qui nedum propter rationes praedictas, sed etiam ex officio ad corrigendum tenentur. 2° Personae privatae, quae tamen modo per se et modo per superiores (eis rem denuntiando) proximi emendationem procurare possunt.

160. *Loquendo de personis privatis, quid exigitur ut quis ad correctionem expressam et apertam faciendam **obligari** possit?* Exigitur 1° ut non debeat magis formidari quod correctio futura sit noxia (tunc enim potius ex charitate omitti debet); 2° ut existimari non debeat certe inutilis; 3° ut sit necessaria; 4° opportuna; 5° sat facilis (saltem ordinarie). De his iudicandum erit ex circumstantiis.

161. *Quaenam circumstantiae suppeditare poterunt motiva valde formidandi quod correctio futura sit **noxia**?* 1° Delicti exprobrati incertitudo et gravitas. 2° Personae corrigendae dignitas, maxime vero indoles superba, iracunda, perversa, aut prorsus ignota. 3° Personae corrigentis inferior conditio, vel nulla familiaritas, nulla amicitia; maxime vero positiva discordia. 4° Correctionis publicitas vel durities, dum potius secreto et bonis modis fieri deberet.

Haec omnia facile efficere possunt ut correctio in malam partem accipiatur, atque id unum accidat quod correctus contra corrigentem et delatores (sive cognitos sive suspectos) odium concipiat, et non iam se emendet (quod enim offendit non convertit), sed forsan peius faciat. Tunc autem correctio omitti nedum poterit, sed debebit, ut dixi.

Correctio tamen ut noxia consideranda non esset, si nocumentum quod timetur (v. g. momentanea excandescentia) in comparatione boni quod speretur, parum foret aestimandum; maxime vero si ageretur de casu magnae necessitatis, v. g. de (secus) certe morituro in evidenti peccato mortali.

162. *Cur dixisti correctionem (ut illam peragendi obligatio subsistat) existimari non debere inutilem; et quandonam ut **inutilis** habenda erit?* Iam per se patet quod ad correctionem certe inutilem (quamvis non noxiam) nemo teneri potest; unde (loquendo semper de solis personis privatis) oportet ut evitatio delicti et emendatio delinquentis saltem ad tempus speretur.

Inutilis autem ut plurimum censenda est, si de iis agatur, qui aut 1° non iam ex fragilitate vel ignorantia, sed ex profunda malitia peccent (*Perversi difficile corriguntur.* Eccl. *I 15*); aut 2° vitio antiquo laborent; aut 3° iam alias inutiliter correcti fuerint; aut 4° multas con-

ciones (contra illud vitium directas, aut circa aeternas veritates) frustra audierint; aut 5º superbi et praepotentes sint. Idem dic 6º si qui corrigit eodem vitio notorie laboraret; vel 7º a delinquente nihil aestimaretur, vel 8º si utcumque esset ad corrigendum ineptus.

Perinde ac inutilis censenda esset quoque correctio, si aeque sperandum et timendum foret. Dixi *aeque;* supposita enim praeponderantia manifesta, si spes boni effectus excederet timorem mali maioris, tunc correctio tamquam utilis haberi deberet.

163. *Cur dixisti correctionem debere esse* ***necessariam?*** Quia obligatio correctionis adesse nequit, si proximus aequale vel maius auxilium habebit ab aliis, vel si per se ipsum sibi prospiciet. Si autem futurum sit ut sibi non prospiciat, hoc duplici modo accidere potest; vel enim (v. g. propter magnam vim tentationum, difficultatem accedendi ad sacramenta, ignorantiam etc.) difficile, vel e contra facile sibi prospicere valeret. In primo casu obligatio correctionis valde urgere potest, sed in secundo multo minus.

164. *Cur dixisti correctionem debere esse* ***opportunam?*** Quia, si futurum sit ut correctio alio tempore (v. g. quando ira erit sedata), alio loco, vel ab alia persona, cum maiori efficacia et securitate peragatur; tunc nequit adesse obligatio illam peragendi; imo interdum differri deberet, quamvis relapsus praeviderentur. Exemplum habes in marito vel hero, qui expectent reperire uxorem vel famulum in flagranti etc.

165. *Cur denique dixisti correctionem (ut sub obligatione cadat) ordinarie debere esse* ***satis facilem?*** Quia, exceptis casibus gravissimis (v. g. magni scandali, aut imminentis periculi damnationis aeternae), charitas non obligat cum gravi incommodo. Hoc valet speciatim 1º si fructus parum speraretur; 2º si peccator facile et cum minori incommodo sibi prospicere posset. Notandum quod inter graves difficultates recensenda est etiam magna verecundia vel naturalis repugnantia, maxime si ageretur de inferiore qui superiorem corrigere deberet.

166. *Obligatio correctionis fraternae potestne urgere frequenter?* Negative; ut plurimum enim esset vel noxia, vel inutilis, vel non necessaria, vel non opportuna, vel nimis incommoda; imo, si frequenter urgeret, iam ex hoc ipso nedum nimis incommoda, sed iam prorsus intolerabilis evaderet.

Hinc I. Propter sola peccata venialia ordinarie sub obligatione (secluso officio, de quo infra) cadere nequit. Dixi *ordinarie;* aliquando enim, stante magna familiaritate et confidentia (et maxime si timendum esset de transitu ad mortalia; proverbium enim dicit: *principiis obsta*) aliqua obligatio intervenire posset. Ballerini (*Op. th. V 156*).

II. Scrupulosi (qui, si ad correctiones faciendas obligarentur, infinitis angustiis subiicerentur, et innumeras imprudentias committerent) ab hac obligatione (excepto casu evidentissimo) eximuntur.

III. In personis privatis non adest obligatio inquirendi peccatores, et indagandi facta aliena. Imo talis exploratio vitiosa est, quia odia et dissensiones provocat; homines enim moleste ferunt sua alios facta scrutari; imo suapte natura talis inquisitio iniuriam infert proximo, cuius pacem turbat atque illius honori et aestimationi adversatur, quam de se optimam omnes habere cupiunt. S. August. (*De Verb. Dom. XVI*) dixit: « Admonet nos Dominus noster non negligere invicem peccata nostra, non « quaerendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas ». Et (*Prov. XXIV 15*) legitur: « Ne quaeras impietatem in domo iusti, et non vastes « requiem eius ».

167. *Quinam itaque essent* ***casus practici,*** *in quibus fraternae correctionis obligatio vere occurrat?* Casus huiusmodi occurrunt speciatim inter consanguineos amicos, familiares etc. v. g. ut magnum aliquod delictum impediatur: ut pax aliqua concludatur; ut matrimonium ecclesiasticum, non vero civile tantummodo, celebretur; ut in paschate, maxime vero in morte, sacramenta recipiantur etc. Dixi *speciatim inter consanguineos et amicos*; interdum enim casus huiusmodi verificantur etiam in aliis, v. g. inserviendo infirmis, vel utcumque data opportunitate, sermone casu introcudto etc.

168. *An* ***inferior*** *teneri possit ad corrigendum superiorem?* Affirmative, etsi rarius, atque adhibito debito respectu. Casus contingere potest speciatim in uxoribus (erga maritum), et in filiis adultis (erga genitores).

169. *An adesse possit obligatio correctionem* ***iterandi?*** Affirmative, si speretur fructus. Chrysosthomus scripsit; « Dixisti semel et non audivit: dic bis et ter et toties donec persuaseris ».

170. *An obligatio correctionis in re gravi urgeat* ***sub gravi****?* Loquendo semper de personis quae non ex officio sed ex sola charitate corrigere tenentur, raro vel

rarissime urget sub gravi. Enimvero 1° iam vidimus quod obligatio corrigendi raro urget; 2° homo sub gravi teneri quidem poterit ad corrigendum si haberet magnam spem obtinendi emendationem mali habitus, non vero solum ad impediendum aliquod peccatum mortale, nisi gravissimum, vel multorum malorum causa esset; 3° contingere potest quod incommodum correctionis faciendae sit tale, ut non a culpa totaliter sed ab eius gravitate excuset; 4° contingere potest etiam quod quis paratus ad corrigendum quando sub gravi ad id teneretur, aliquantulum lente procedat et sic venialiter peccet (Cf. D. Th. *2. 2 XXIII.* II); 5° auctores sic communiter docent, inter quos Sà dixit: « Omittere correctionem fere semper veniale peccatum est ».

171. *Correctio habetne pro obiecto solum bonum delinquentis?* Saepe respicit etiam bonum aliorum; si nempe delinquens scandalum inferret, vel alia mala contra proximum vel religionem machinaretur. Hinc tria consequuntur: tunc scilicet 1° correctio gravius obligaret; 2° contingere posset quod fieri deberet non obstante exigua spe fructus; imo 3° quamvis delinquenti prorsus inutilis futura esset, si nihilominus scandalum destruere vel imminuere apta foret, ut puta, si quis impiis sermonibus religionem impeteret magnumque audientibus scandalum inferret, et tu cum triumpho illum confutare, obiurgare et plene confundere posses.

172. *Quid de* ***denuntiatione*** *ad superiores?* Haec cadit sub obligatione 1° si leges positivae (ut in casu confessarii sollicitantis), vel regulae Communitatis illam exigant; 2° si lege naturali praecipiatur.

Ut autem ex lege naturali fieri debeat, oportet 1° ut non sit censenda inutilis (prout si praesumendum esset quod superior iam rem sciat, vel nullum remedium apponere possit); 2° ut sit necessaria vel saltem magis utilis; si enim correctio fraterna aeque deserviret, tunc denuntiatio evitari nedum posset sed deberet. (Notandum quod si res certum et promptum remedium omnino exigeret et correctio fraterna dubii exitus foret; tunc illa non esset tentanda, sed directus recursus ad superiorem fieri debe-

ret). Oportet 3° ut denuntiatio ex nimio incommodo aliisve malis consequentiis non excusetur.

Ad iudicandum autem an tale vel tale incommodum excuset, quanta sit tum rei gravitas et urgentia, tum spes remedii a superiore apponendi, considerari debebit. Quia autem denuntiationes, si deberent esse frequentes, nedum ex hoc ipso valde incommodae essent, sed etiam malas consequentias (scilicet odia, vindictas, persecutiones etc.), et saepe sine ullo fructu, provocaturae forent; ideo earumdem obligatio nonnisi in casibus raris urgere potest.

Casus in quibus haec obligatio communiter recognoscitur, verificari solent speciatim in collegiis et seminariis, et aliquando etiam in scholis, familiis et paroeciis, si forte aliquid occulte machinaretur vel perpetraretur, de quo rector, magister, pater, aut parochus nullo modo aut non ita cito notitiam habere posset, et res eiusmodi esset, ut promptum validumque remedium exigeret. Haec autem obligatio tunc sub mortali atque adeo sub poena denegandi absolutionem facile urgebit. Alius casus esset si sacerdos quoad mores aut fidem petra scandali foret, et coniici posset quod Episcopus ex una parte nullam informationem habuerit vel tempestive habiturus sit, et ex alia a te certior factus remedium apponere valeret.

In his tamen et similibus casibus caute procedendum, ne forte innocens, vel ex fragilitate semel aut raro lapsus, vel iam emendatus, vel quin de scandalo timendum sit, cum gravissimo suo damno apud superiorem infametur, maxime vero si superior non multa prudentiae laude gauderet. Et ratio est quia charitas, si nos obligat ad procurandum bonum proximi, nos obligat etiam ad vitanda eius damna, quantum fieri potest.

173. *An correctio fieri possit vel debeat etiam* **propter peccata materialia,** *quae quis ex mera ignorantia committat?* Correctio huiusmodi (quae potius dici deberet instructio) speciali modo potest esse noxia propter periculum ne subiectus ex peccato materiali in formale coniiciatur. Quatenus autem id tantummodo expectandum esset, vel timor huius mali magis aestimandus foret quam spes fructus; tunc, ex ipsa lege charitatis, admonitio non iam fieri sed omitti deberet. Exemplum datur in coniugibus, qui matrimonium invalidum contraxissent, eoque bona fide uterentur, credendo esse validum. (Posset tamen adesse obligatio revalidationem procurandi).

At vero in quibusdam casibus, quando scilicet vel nihil mali timeatur, vel bonum quod speratur malo quod timetur praevaleat, correctio tamquam utilis haberi debet; illiusque obligatio, attenta maiori vel minori rei gravitate, et attento maiori vel minori incommodo, modo aderit, modo non aderit, et modo sub gravi, modo sub levi urgebit.

Agi potest de re magnae gravitatis speciatim in sequentibus casibus: 1° Si sequatur scandalum aut damnum commune (ut puta, si quis distribuere vellet libros impios, credendo esse sanos; vel si superior ex ignorantia muneribus suis non satisfaceret). 2° Si sequatur aliquod magnum damnum tertii (ut puta, si quis de homicidio accusaturus esse innocentem, credendo esse reum; aut daturus esset venenum, credendo esset medicinam). 3° Si sequatur magnum damnum subiecti ipsius (ut puta, si quis ignoraret res necessarias ad salutem aeternam; vel daturus esset nomen sectae impiae cuius impietatem ignoraret; vel contraheret habitudinem, v. g. se polluendi, quam postea, cognita malitia, difficile rumpere poterit). In his et similibus circumstantiis admonitionem faciendi ex charitate sive erga materialiter peccantem (ut in 3° casu), sive erga alios (ut in primis duobus casibus) ordinarie obligatio aderit, et quidem *a)* sub gravi; *b)* cum incommodo plus vel minus notabili; *c)* quamvis non magna esset spes fructus: spes enim, etiam levis, avertendi mala magna, valde aestimatur, et timori coniiciendi personam ex peccato materiali in formale, atque ita ei damnum inferendi, facile praevalet.

Ageretur autem de re non magnae gravitatis, v. g. si quis, non reflectendo hunc diem esse festivum vel esurialem, Missam non esset auditurus, aut carnes (sine scandalo) esset comesturus. Tunc admonitionis obligatio adesse quidem poterit facile, sed solum sub levi, et secluso incommodo, atque supposita nedum spe sed certitudine fructus.

174. *An possit adesse obligatio impediendi ruinam spiritualem proximi non solum correctione, sed etiam* ***aliis mediis?*** Utique, et casus sunt praecipue sequentes: 1° Destruere conscientiam erroneam in eo qui peccat credendo esse peccatum quod non est, vel credendo esse mortale quod est veniale tantummodo. 2° Subtrahere peccatori media (v. g. complicem, arma, pecuniam, vinum, libros, vestes etc.), quibus subtractis iam amplius peccare non possit. Interdum aliqua quoque momentosa violentia (v. g. vi detinendo volentem occidere) licita et obbligatoria esse posset. 3° Auferre pericula et occasiones, v. g. mittendo puerum ad alium locum ne a turpiter loquentibus in malitiam coniiciatur. 4° Adhibendo patientiam, ne alter irascatur vel blasphemet etc.

175. *Quid de correctione in superioribus, qui* ***ex officio*** *ad illam tenentur?*

I. Huiusmodi sunt patres familias, episcopi, parochi, rectores communitatum, confessarii, tutores, mariti, heri, magistri etc.

II. Isti quoque debent abstinere a correctionibus noxiis et inopportunis, nec tenentur procedere ad correctiones certe inutiles aut non necessarias.

III. Differentiae tamen adsunt, et sunt sequentes. 1° Tenentur vigilare et inquirere; non tamen excessive, et excepto (uti patet) confessario. 2° Longe facilius imo ordinarie possunt sperare fructum, si paterno modo procedant, vel si (in casibus gravioribus) poenas minitari vel infligere possint. Hoc sedulo advertant speciatim Episcopi quoad suos parochos et sacerdotes; correctiones enim recte factae solent esse medium validissimum, in iisque valde confidere oportet. Quot mala sic impedirentur, et quot bona obtinerentur! Quamvis autem fructus non sperarent, interdum corrigere deberent ad terrorem aliorum; et ne partiales aut conniventes viderentur. 4° Ipsa correctio solet esse magis facilis et minus incommoda (speciatim quoad patres familias, rectores Communitatum etc., qui sunt cum subditis in eadem domo). 5° Ad correctionem tenentur strictius, quia nedum ex charitate, sed etiam ex munere speciali ad illam obligantur. 6° Rectores Communitatum teneri possunt sub gravi ad corrigenda etiam peccata levia aut solum materalia, si ex illis relaxationes vel turbationes notabiles secuturae essent. 7° Confessarii etiam strictius tenentur edocere poenitentes si ex conscientia erronea credant esse peccatum quod non est, aut viceversa.

Dixi *confessarium excipiendum esse ab onere faciendi inquisitiones*. Confessarius poterit quidem inquirere a poenitente ea quae pertinent ad poenitentem ipsum ut illum corrigat; non vero ea quae pertinent ad alios, ut alios corrigat. Hinc confessariis vetitum est non solum a poenitente exquirere nomen complicis, sed etiam exquirere ea quae ad alios suos poenitentes spectant. Sic enim (ut rectissime scripsit Ballerini *Op. th. V 185*) « viderentur potius exploratores, qui non modo per os poenitentis « sed per alios vellent rescire statum illius, quasi de illius fidelitate et « sinceritate dubitarent. Atqui hoc vel maxime exosam redderet confessio- « nem; et, cum facile hac indagine permoveri viderentur ex auditis in « confessione, peccarent etiam contra legem vetantem ne confessarius uta- « tur notitia confessionis in gravamen poenitentis ».

ARTICULUS VI.

De scandalo.

PUNCTUM I.

De natura scandali.

176. *Quid est scandalum?* Praemittendum quod distinguitur inter *activum* (seu *datum*), et *passivum* (seu *acceptum*).

Activum **definitur** — dictum, vel factum (quo nomine intelligitur etiam omissio) sive malum sive minus rectum, praebens proximo occasionem spiritualis ruinae (praebens scilicet tentationem peccati formalis redundantis in animae ruinam) —.

Dicta vel facta *mala* essent, v. g. blasphemiae, turpes sermones, nuditates etc.; *minus recta* essent imprudentiae et incautelae, ut puta si quis ex causa occulta excusatus comederet carnes diebus vetitis coram aliis, non manifestando se esse excusatum, quando id manifestare deberet.

Passivum est tentatio quae occasione alicuius dicti vel facti in proximo exoritur. Sed hoc non est proprie peccatum scandali; bene vero effectus illius.

177. Adsunt etiam aliae distinctiones, nempe sequentes.

Scandalum activum potest esse *directum* (quaerendo proprie peccatum proximi), et *indirectum*; prout in puncto sequenti melius explicabitur.

Directum interdum evadere potest (uti aiunt) *diabolicum*, prout pariter statim explicabitur.

Tam directum quam indirectum aliquando potest esse *datum et non acceptum*; quando nempe proximus (secus ac praesumi debuisset) ex illo nulli periculo subiicitur.

Si periculum ruinae spiritualis oriatur ex aetate puerili, vel ignorantia, vel simplicitate, vel speciali fragilitate proximi (ita tamen ut exinde adsit obligatio a tali dicto vel tali facto abstinendi), tunc scandalum dicitur *pusillorum*.

Scandalum passivum ut plurimum oritur ab activo (ut dixi): sed interdum ruina spiritualis accidit in proximo etiam ex occasionibus nullo pacto scandalosis et quin

ulla haberetur obligatio ab illis abstinendi. Tunc scandalum dicitur *acceptum et non datum.* Hoc autem provenire potest tum ex speciali fragilitate (ut puta, si quis ex aspectu cuiuslibet foeminae ornatae, etsi modestissime, peccaret); tum ex mera malitia animique perversitate (ut puta, si operarius ad excessivam mercedem extorquendam blasphemaret); et in hoc postremo casu scandalum diceretur *pharisaicum.*

PUNCTUM II.

De scandalo directo.

178. *Quandonam accidit scandalum* ***directum,*** *et quomodo distinguitur ab* ***indirecto?*** Directum accidit quando quis proximi peccatum (ordinarie *determinatum*) quaerit ac intendit. Est (uti patet) intrinsece malum. Hoc autem intellige de peccato *formali* quod mala intentione quaeratur. Distinguitur ab indirecto quia in isto peccatum praevidetur quidem, sed non intenditur. Sic expressa provocatio ad peccatum est scandalum directum. Malum exemplum autem esse solet tantummodo scandalum indirectum.

179. *Quid si quis simpathiam periculosam, non vero peccatum, intenderet?* Res ista non esset intrinsece mala, et proinde si iusta causa simpathiam quaerendi (v. g. ex fine honesti matrimonii) interveniret, tunc nihil mali esset, ut patet etiam ex facto Iudith. Secus, si iusta et proportionata causa deficeret, ut puta, si quis cum praevisione multorum peccatorum, adolescentulas valde simpathicas in hospitio vel negotio teneret, ut maiorem concursum procuraret.

180. *Quot modis quis peccatum alienum mala intentione quaerere ac intendere potest?* Duobus: 1º Ad satisfaciendum propriis aut alienis passionibus. 2º Ex mero desiderio proximum pervertendi, quo casu scandalum dicitur (ut supra innuebam) *diabolicum.*

181. *Cur dicitur quod peccatum intentum debet esse formale?* Quia peccatum materiale per se nequit esse obiectum scandali; unde qui dementem inducit ad peccatum, peccat quidem; sed non in ratione scandali, deficiente ruina spirituali. Dixi *per se,* si enim ex causa illius peccati materialis peccata formalia in posterum subsecutura praeviderentur (ut in casu inducentis ad peccatum puerum vel aliam personam simplicitate laborantem); tunc, propter haec ipsa peccata praevisa, scandalum subsisteret. An autem directum vel indirectum tunc dici deberet, parum refert.

182. *Cur dixisti adesse debere malam intentionem ut scandalum directum subsistat?*

Quia interdum ad evitanda mala maiora (si alia media deessent) aliquod peccatum proximi potest desiderari, et aliquo modo quaeri. Scilicet 1° Absolute determinato ad malum perpetrandum, potest dari consilium conditionatum minoris mali, dicendo v. g. si omnino vis peccare cum foeminis, declina honestas et vade ad meretrices. 2° Potest ex industria apponi occasio peccandi, ut peccator melius corrigatur et emendetur, seu utcumque ut maiora mala impediantur. Exemplum habes in hero qui, ad famulum de furto suspectum efficaciter corrigendum, arcam pecuniae apertam (in flagranti sic eum inveniendo) relinqueret etc.

Attamen bona intentio non suffragaretur in aliis casibus; unde, v. g. non liceret foeminam ad peccandum expresse invitare, etsi qui invitat, consensu foeminae habito, non iam peccare, sed illam efficaciter corrigere intenderet. Quum tamen in hoc casu ruina minor quaereretur ad evitandam maiorem, videri posset quod peccatum quidem contra castitatem, sed non contra charitatem subsisteret, atque adeo quod malitia scandali (quia in substantia non ruina sed salus spiritualis quaereretur) non interveniret. Sed in hac quoque quaestione non refert immorari.

PUNCTUM III.

De scandalo indirecto, nec non de scandalo accepto et non dato; scilicet de culpa in actione, quae praeter intentionem proximo occasio peccandi sit.

183. *An ad scandalum indirectum constituendum sufficiat peccare coram aliis?* Negative, sed oportet ut adsit saltem notabile periculum ut *vi* pravae actionis peccata aliorum subsequantur.

Hinc peccata saecularium in plurimis casibus veri scandalum malitiam comitem non habent.

Hinc etiam peccare coram valde vitiosis (qui ex malitia propria, non vero ex malo exemplo ad peccandum inducantur) scandalum non est. Et idem dic si quis peccaret coram valde virtuosis, de quibus timeri nequeat quod ex tali occasione peccaturi sint. Quid enim si quis blasphemeret coram monialibus? Scandalum itaque a simplici *horrore* vel *admiratione* distingui debet.

184. *An et quando actio, ex qua proximus accipit occasionem peccandi, sit peccatum?*

Praemittendum quod huiusmodi actio potest in aliis occasio peccandi esse 1° *per se*; 2° *per accidens*.

Actio potest esse occasio *per se* duobus modis. Primus est si, secluso etiam scandalo, peccatum subsisteret (v. g. concubinatus). Secundus est si,

secluso scandalo, peccatum quidem non subsisteret, attamen tentationem induceret generaliter. Haec inductio ex duplici causa contingere potest. Prima est si actio habeat speciem seu apparentiam mali (v. g. publica comestio ciborum vetitorum cum occulta dispensatione). Secunda est si actio non propter apparentiam mali, sed ex vi propria generaliter tentationem plus vel minus inducat. Actio autem ex vi propria, tentationem generaliter inducere potest 1° excusante generali necessitate (v. g. ornatus foeminarum); 2° nulla generali necessitate excusante (v. g. turpis nuditas).

Esset autem actio occasio *per accidens* quando generaliter tentationem minime afferret (v. g. cohabitare vel dormire cum persona eiusdem sexus, vel ius suum exigere etc.); et solum, propter alicuius specialem fragilitatem aut pharisaicam malitiam, peccandi occasionem praeberet.

His praenotatis statuuntur regulae sequentes.

185. **Regula I.** Si, secluso etiam scandalo, actio peccaminosa esset, a fortiori peccaminosa erit si scandalum subsistat.

Hoc contingit non solum quando quis, delinquendo contra legem Dei vel Ecclesiae, ansam dat peccandi in eodem genere; sed etiam quando aliquo peccato dat aliis occasionem committendi peccata diversi generis. Casum habes in uxore quae debitum coniugale iniuste denegando dat marito occasionem adulterii; in filio qui inobediendo dat patri occasionem blasphemandi; in superiore qui, officio suo non recte fungendo, dat subditis occasionem murmurandi etc.

186. Aliud tamen est peccato proprio scandalum dare, et aliud peccati alieni scandalum permittere. Interdum enim superiores peccata et scandala tolerare possunt, ne mala maiora sequantur.

Exemplum habes in tolerantia lupanarium, falsorum cultuum etc. Videndum tamen an huiusmodi tolerantiae sint vere necessariae, atque insuper cautelae adhiberi debent ut scandala sic toleranda quanto minus fieri potest noceant. Gubernia moderna liberalismo infecta hoc etiam iam in puncto a recto tramite valde aberrare solent.

187. **Regula II.** Nulla datur obligatio abstinendi ab actionibus quae per se nullam tentationem inducunt, etsi quis *ex mera malitia* propter illas peccet, quamvis scilicet ex iisdem scandalum *pharisaicum* sequatur.

Hinc malitiose ingeminantibus blasphemias ut aliquid a te indebite extorqueant, obsequi non teneris; nec ab operibus tuis neque malis neque ullam mali speciem praeseferentibus, propter malignitatem eorum qui omnia transversim interpretantur, abstinere cogeris.

Ratio est quia non solum de incommodo intolerabili ageretur, sed etiam lex id exigens peccata non iam impediret sed provocaret.

188. **Regula III.** Ab actionibus quae per se nullam tentationem inducunt; aut, si aliqualiter inducant, generali

necessitate excusantur, generatim (scilicet propter possibilitatem, vel etiam confusam praevisionem peccatorum in aliis), nulla datur obligatio abstinendi. Si tamen conspiceretur in particulari quod aliquis ex sua speciali fragilitate scandalum subiret: tunc obligatio (saltem ad modum eleemosynae spiritualis) ab eodem praecavendi adesset, si efficaciter simulque satis commode fieri posset.

Hinc mulieres possunt decenter iuxta patriae morem se ornare, non obstante praevisione confusa peccatorum in viris. Si tamen aliqua mulier animadverteret se esse occasionem peccatorum alicui in particulari, aliquam cautelam adhibere teneretur, si haec ad scandalum istud eliminandum sufficeret et commode praestari posset.

Maior autem obligatio adesset si ageretur de moribundo, si nempe v. g. personae (etsi pudicissimae) adventus in eiusdem cubiculo occasio damnationis ei esse posset.

Hinc etiam genitores possunt quidem permittere ut filii eiusdem sexus in eodem lecto dormiant; sed si eos esse sibi invicem scandalo animadverterent, separationem (si possent) procurare deberent.

De scandalo in choreis et speciatim propter semi-nuditatem foeminarum, vide *De occasionariis* (*n. 178*).

189. **Regula IV.** Ab actionibus speciem mali habentibus, et a scandalo pusillorum, quasdam nempe personas (v. g. pueros) ex speciali debilitate in peccatum inducente, vera datur obligatio praecavendi. Patet ex lege charitatis, atque ex Apostolo (*I Cor. VIII 22*) dicente: « Si esca « scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in « aeternum ».

Tria tamen advertenda sunt.

I. Ad mali apparentiam avertendam saepe sufficit declarare quomodo res se habeant (v. g. quod carnes manducantur ex legitima dispensatione). Declaratione autem facta (dummodo sit credibilis et sufficienter notificata) scandalum aut cessabit, aut pharisaicum (atque adeo spernendum) evaderet.

II. In quovis scandalo (nisi forte de scandalo publico, eoque magno ageretur) grave incommodum excusat. Exemplum habes in matrimoniis conscientiae; in temporanea dilatione retractationis quae hic et nunc absque gravi incommodo fieri nequeat; in retinendis pueris ubi genitores dormiunt, quando aliter fieri non potest etc.

III. Scandalum publicum valde attendendum est, speciatim si inde diffunderetur dogma falsum, v. g. conferendo

Sacramenta haereticis ex secta, quamvis essent in bona fide etc. — iuxta dicta *n. 62*.

190. **Regula V.** A fortiori adest obligatio abstinendi ab actionibus quae ex vi propria valde alliciunt et scandalum praebent (huiusmodi sunt v. g. nuditates, imagines inverecundae etc.).

Attamen in his quoque excusat necessitas. Patet quia (ut per se manifestum est) licet v. g. 1° Agere de rebus turpibus in theologia morali. 2° Accusare confessario peccata turpia. 3° Ostendere partes secretiores medico ad remedium habendum etc.

Peccatum scandali deesset quoque si ageretur de personis, quae propter senilem aetatem, specialem frigiditatem, loci consuetudinem etc., de quibusdam rebus, quae aliis impressionem facerent, minime scandalizarentur.

191. **Regula VI.** Ad aestimandum an talis vel talis necessitas aut causa a peccato scandali excuset, considerari debent circumstantiae: aliud enim est si multum (ut turpitudines), et aliud si parum vel minus (ut generatim choreae, spectacula, larvae, imagines paullo inverecundiores sed non obscoenae etc.) res sint ex se se natae aptae ad scandalizandum; item aliud est si cautelae adhibeantur, et aliud si non adhibeantur. Ut plurimum regula tutior ex sensu communi timoratorum habebitur.

Casus. Officiales postales, qui chartulas etiam inverecunde (non tamen obscaene prorsus) illustratas ex officii sui regulis deferre coguntur, sufficienti necessitate excusantur; sed non item publici venditores qui sponte illas publice exponunt.

Quaestio. An puella possit deservire nuda pictoribus pro exemplari (it. *modello*), vide *De Occasionariis n. 296*.

Alia quaestio. *An omitti possit vel debeat adimplementum alicuius praecepti, si hoc ad proximi peccata evitanda necessarium esset?* Sunt praecepta quae vel obligant semper et pro semper (v. g. praeceptum non mentiendi), vel tanti sunt momenti ut praecepto vitandi scandalum ordinarie praevaleant (v. g. praeceptum non surripiendi rem alienam). In primo casu nunquam, et in secundo vix unquam praeceptum omitti poterit. Dixi *vix unquam*; nonne enim possem surripere vestem alienam (etiam invito domino) si secus nudus in platea remanere deberem? E contra aliqua praecepta minoris momenti esse, et in conspectu scandali cessare solent. Exemplum habes in debito matrimoniali, si in circumstantiis peteretur in quibus scandalum interveniret: vel in sacerdote qui in mortale incidisset neque copiam confessarii haberet, et Missam sine scandalo omittere nequiret. Interdum autem res possunt esse ita confusae ut non appareat quid praevaleat, ut in muliere quae advertisset se esse alicui occasionem scandali dum ad Missam die festo se confert, quo casu theologi disputant an una vel altera vice (si hoc sufficeret) Missam ipsam omittere teneatur. Certe tamen non teneretur Missam omittere multoties, quia ex hoc ipso grave incommodum subitura esset. Gury (*n. 236*).

PUNCTUM IV.

De gradu culpae in scandalo.

192. *Scandalum estne* ***peccatum mortale?*** Quamvis scandalum admittere possit parvitatem materiae, tamen ex genere suo (scilicet si materia sit gravis, et sufficiens advertentia subsistat) est peccatum mortale. Christus Dominus (Matt. *XVIII*) dixit: « Qui autem scandalizaverit « unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei « ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur in profundum maris. Vae mundo a scandalis... Vae « homini illi per quem scandalum venit! ».

193. *Quum scandalum, propter gravitatem vel levitatem materiae, modo sit peccatum mortale et modo veniale, quomodo practice casus a casu distinguitur?* Imprimis, si forte scandalum derivet a malo exemplo, ad dimetiendam scandali gravitatem, regula non est sumenda a gravitate vel levitate actionis quae scandalum praebet; contingere enim potest quod illa sit peccatum grave in se, et leve in ratione scandali; et viceversa quod in se sit peccatum leve vel etiam nullum (quatenus speciem tantum mali habeat), et nihilominus in ratione scandali grave sit. Ad vere cognoscendum an scandalum sit peccatum mortale vel veniale, tria inspicienda sunt: 1° Quantitas influxus in spiritualem proximi ruinam. 2° Quantitas ruinae ipsius. 3° Qualitas causae ad actionem illam scandalosam impellentis. Sed haec sunt explicanda.

194. *Quantitas influxus.* Si influxus peccatum veniale respiceret, utique tunc de scandalo graviter peccaminoso agi non posset. Si autem respiciat peccatum mortale, tunc distinguendum est inter influxum gravem, qui voluntati vim magnam; et levem qui voluntati vim parvam ex se inferat.

Si influxus sit gravis, tunc certe scandalum est mortale. Exemplum habes in uxore quae magna atque intolerabili petulantia maritum, qui sat patiens sit et blasphemare non soleat, ad blasphemias quasi omnino cogat.

Si vero influxus sit levis, tunc ordinarie peccatum, in ratione scandali, veniale erit. Exempla. Uxor quae aliqua modica petulantia occasionem praebeat blasphemandi marito iam facillime pro nihilo blasphemanti. Mulier quae ornatu non inverecundo sed solum superfluo desideria virorum praevideat. Sermones paullulum liberiores, vel si puella, audiendo turpes ser-

mones subrideret et sic ad prosequendum in ipsis aliquam ansam praeberet. Huc pertinet doctrina multorum theologorum, qui (ut videre est apud S. Lig. *II 47*), contra alios, censent peccatum *in ratione scandali* non esse grave, quando sive indirecte sive etiam, directe peccandi ansa datur personis, quae ad peccandum iam sunt semper paratae habitualiter. Exemplum habes in dantibus eleemosynam pro Missa sacerdotibus in malo statu viventibus, vel in accedentibus ad illos pro confessione, vel in petentibus mutuum (ad habendam pecuniam pro ludo) ab usurario, vel etiam in accedentibus ad meretrices; quo postremo casu provocatio esset directa, et certe mortalis contra castitatem; sed (iuxta dictos theologos) non mortalis in ratione scandali.

Hanc tamen doctrinam (de peccato levi propter influxum levem) veram esse censeo ordinarie, sed non absolute. Excipiendi enim sunt duo casus: 1° Si obligatio correctionis fraternae erga personam sic habitualiter ad peccandum dispositam tunc urgeret sub gravi (quid enim si tunc, loco corrigendi, ad peccatum impelleres?). 2° Si, non de aliquo ex ordinariis peccatis mortalibus, sed de maiori alia ruina ageretur: ut statim explico.

195. *Quantitas ruinae spiritualis.* Propter magnitudinem ruinae spiritualis, scandalum esset semper mortale 1° Si in malitiam coniicerentur pueri vel aliae personae innocentes. 2° Si mulier (etsi non innocens) ad concubinatum vel prostitutionem pertraheretur. 3° Si ad delictum extraordinarium et enorme (v. g. homicidium, vel suicidium perpetrandum) ansa daretur. 4° Si de scandalo publico (eoque gravi) ageretur. 5° Si peccator ad conversionem inclinatus ab illa deterreretur; vel iam conversus ad redeundum ad pristinum statum impelleretur. 6° Si ageretur de moribundo.

196. *Qualitas causae.* Causa scandalum ex gravi potest reddere leve. Genitores retinent filios iam grandiusculos in proprio lecto cum periculo quod in malitiam coniiciantur. Si id faciant sine causa, peccatum erit grave; si vero ex causa notabili (etsi non prorsus excusante) peccatum poterit esse leve. E contra causa scandalum ex levi potest reddere grave. Mulier advertit se turpiter concupisci a quodam iuvene dyscolo propter aliquem superfluum ornatum, a quo causa vanitatis non abstinet. Sic peccabit leviter. Si vero rem advertens, causa iocum sumendi de illo, studiose variis modis se ornaret atque illius conspectui se offerret, tunc graviter peccaret: ex mero enim ioco peccata alterius (etsi iam magni peccatoris) provocare, quaedam spiritualis crudelitas esset.

PUNCTUM V.

De peccatis scandali quoad numerum et circumstantias speciem mutantes.

197. *Quid notandum circa numerum?*

I. Si qui hodie unam et cras aliam personam graviter scandalizaret, sufficeret si (attento peccato in sola ratione scandali) in confessione diceret: *scandalum grave dedi bis*; nec oporteret (quandoquidem sic speciem, numerum et

gravitatem peccati iam accusasset) ut personas scandalizatas fuisse duas significaret.

II. Qui unico actu (v. g. unico sermone) scandalum praebet v. g. duabus vel tribus personis, committit peccatum aequivalens duobus vel tribus, et perinde (imo forte peius) est ac si eandem personam bis vel ter scandalizasset; unde (non secus ac ille qui unico ictu duos vel tres homines occidisset) hanc circumstantiam (si scandalum fuisset grave) in confessione exprimere deberet.

III. Qui unico actu scandalizat multitudinem confuse apprehensam ad modum unius, vel scandalum publicum dat, unicum quidem peccatum committit, sed aequivalens multiplici; unde in confessione hoc exprimere deberet, nec satis se accusaret dicendo se una vice scandalum dedisse.

198. *Quid de aliis* ***circumstantiis*** *in scandalo sive speciem mutantibus, sive utcumque in confessione explicandis?*

I. Imprimis oportet ut confessarius intelligat quod scandalum vere subsistit, eiusque gravitatem cognoscat, quod interdum pendet a quibusdam circumstantiis, quod scilicet poenitens sit v. g. sacerdos, vel laicus quidem sed dignitate vel existimatione eminens etc.

II. Si poenitens esset reus scandali **directi** et proinde procurasset inducere ad tale vel tale peccatum, non sufficeret ut diceret *scandalum dedi*, sed deberet explicare quod de peccato illo agebatur et quidem cum circumstantiis eidem connexis, ut puta, si personam consanguineam aut voto ligatam in peccatum induxisset. Hinc explicare etiam deberet circumstantiam *finis specialis* quem forte habuisset, v. g. si scandalum fuisset *diabolicum*, vel intentio fuisset avertendi a fide etc.

Si vero **indirecti** tantummodo scandali reus fuisset, et proinde peccata aliena praevidisset quidem sed non intendisset, tunc, iuxta sententiam communiorem et probabiliorem, accusatis peccatis propriis, non teneretur explicare cuiusnam speciei fuissent peccata quibus, sic praeter intentionem, occasionem dedisset, et confessioni satisfaceret addendo in genere: *scandalum dedi*. Patet quia dans scandalum indirectum in materia furti, peccaret quidem contra

iustitiam et teneretur ad restitutionem propter furta a se ipso commissa, sed non propter furta ab aliis, occasione sui mali exempli, perpetrata. Vide Gury (cum notis Ballerinii *Vol. I n. 236 q. 3°*).

III. Qui (prout in stupro) vi, aut metu, aut dolo personam scandalizat, nedum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam peccat.

IV. Consanguineus qui consanguineum, v. g. pater qui filium, scandalizat, nedum charitatem sed etiam pietatem laedit. Item parochi aliique superiores qui ex officio bonum exemplum praebere debent, si scandalum praeberent, contra iustitiam peccarent.

Attamen si subditi sic indirecte scandalizati ad iniustitias procederent, non ideo superiores ipsi (quia non causa sed solum occasio damni fuissent, et ipsorum officium ex iustitia adimplendum spiritualia non vero temporalia bona respicit) ad restitutionem tenerentur.

199. *Quando quis nedum cum alio peccavit, sed ipse prior illum seduxit, debetne in confessione seductionem istam indicare et dicere* ***se fuisse primum?*** Hoc in puncto (ut videre est apud S. Lig. *II 46*) theologi non conveniunt. Plures cum Lugo negant, quia iam ambo sibi invicem scandalum inferunt, unde circumstantia seductionis non iam speciem mutans, sed solum aggravans (atque adeo non necessario accusanda) esse potest. Alii cum Sanchez affirmant, quia aliud est seducere et aliud seduci. Ego censeo inter seductorem et seductum differentiam posse esse ita gravem ut scandalum a parte seductoris sit magnum vel maximum, et a parte seducti sit parvum et vix perceptibile. Exemplum habes, si quis puellam innocentem, aut foeminam honestam et valde reluctantem, in peccatum induxerit. Etsi itaque dicamus circumstantiam seductionis esse solum aggravantem, recolendum est quod circumstantiae aggravantes (ut theologi dicunt) *in infinitum*, seu reddentes peccatum ex veniali mortale, accusari debent. Vide etiam (circa circumstantias *enormiter* aggravantes) quae (cum Suarez) dicuntur in *Cas. conscientiae* (*an. 1894*) et in Appendice *Vol. II* operis cui titulus *Examen*.

PUNCTUM VI.

De obligatione eorum qui scandalum dederunt.

200. *Qui scandalum dedit ad quid tenetur?* 1º Si scandalum proveniat a peccato, semper cessare debet ab illo. 2º Si proveniat ab actione speciem mali habente, debet vel cessare ab actione eadem, vel satagere ut ipsa speciem mali non amplius habeat. 3º Interdum procurare debet ut mali effectus scandali dati cessent vel minuantur.

201. *Si scandalum proveniat ab actione speciem mali habente, quid de obligatione vel cessandi ab actione eadem, vel satagendi ut ipsa speciem mali non amplius habeat?*

I. Si ope declarationis vel aliorum signorum species mali ita destruatur, ut scandalum apud personas prudentes iam amplius non subsistat, tunc ordinarie ab actione ipsa cessandi nulla aderit obligatio; nec de aliquibus, qui temere adhuc scandalizentur, curandum erit.

II. Si vero (v. g. quia declaratio credibilis fieri nequeat) scandalum subsistere pergat (prout contingere posset in hero, de quo, propter peccata olim commissa vel magnas imprudentias, fama exivisset quod cum ancilla peccet), tunc ab actione speciem mali habente cessandum erit. Excusat tamen incommodum, sub duabus conditionibus. Prima est quod sit proportionatum. Secunda quod meliori modo possibili apparentia illa mali (v. g. frequentando sacramenta) imminuatur.

Dixi incommodum *debere esse proportionatum.* Magna enim differentia fieri debet inter casum, in quo species quidem mali sed malum numquam interfuerit, vel de solo suspectu, vel de persona saeculari agatur, vel causa excusans (a cessando ab illa actione) plus vel minus pateat; et casum in quo populus propter delicti evidentiam scandalizatus fuerit, nec emendationem (etsi de facto existentem) praesumere possit, nec ullam videat adesse causam, quae scandali remotionem impediat; maxime vero si de sacerdote vel parocho ageretur. In dubio exigeretur consilium viri prudentis, quia nemo iudex in causa propria.

202. *Quid de obligatione procurandi ut mali effectus scandali dati cessent aut minuantur?* Si obligatio impediendi mala proximi in qualibet persona urgere potest,

a fortiori urgere poterit in illo qui mala ipsa scandalis suis provocavit, cui etiam occasio opportunior illa impediendi se offerre solet. Sed quomodo huic obligationi satisfaciet? Practice distinguendum est inter scandalum privatum et scandalum publicum.

Si scandalum fuerit privatum, videndum an de re antiqua, an vero de recenti agatur. In primo casu, ut plurimum nulla obligatio subsistit; nimis enim molestum est et ordinarie inutile de rebus antiquis huiusmodi sermonem instituere. Non ita est si de re recenti agatur; tunc enim satagere ut scandali influxus destruatur vel imminuatur utile et facile esse solet. Intellige si scandalum fuerit magni momenti. Modi magis practici sunt sequentes: 1° Curare ut persona, quae propter scandalum acceptum in malo statu (certe vel probabiliter) versetur, ad sacramenta accedat vel conciones audiat. 2° Eidem de scandalo dato veniam petere. 3° Si mandatum vel consilium pravum datum fuerit, cuius executio in futurum pendeat, illud retractare etc.

Si scandalum fuerit publicum; tunc videndum an in haeresibus, impietatibus, principiis immoralibus aut subversivis, calumniis etc.; an vero in sola morum perversitate consisterit.

In primo casu, si haereses et impietates etc. vere influxum habiturae sint (prout accideret si typis impressae, aut a sacerdote vel persona magnae existimationis prolatae et constanter defensae fuerint); tunc publica **retractatio** necessaria erit. Idque verum est quamvis liber iam fuisset ab Ecclesia damnatus; non obstante enim tali damnatione, impius liber magnam ruinam inferre poterit, et ruinam istam impedire vel saltem imminuere ad libri ipsius auctorem spectat, qui solus ope publicae retractationis ictum lethalem doctrinae suae infligere potest.

Modus huius retractationis, iuxta diversas circumstantias, diversus esse potest. Primus est si fiat in scriptis autographis, aut coram duobus testibus, exprimendo nominatim tales vel tales doctrinas etc. Secundus est si fiat coram solo confessario vel parocho, dando ei licentiam de publicatione. Retractatio fieri et publicari deberet sine mora: sed interdum causae gravissimae (v. g. timor mortis, aut amissionis officii necessarii) efficere possunt ut eiusdem publicatio licite differatur vel solum post mortem fiat.

In secundo casu, si nempe scandalum in sola morum notoria perversitate consisterit; tunc, sin minus sola ab

iniquis moribus cessatio sufficiet, saltem nihil aliud quam specialis bonorum operum ostensio (a discreto confessario suggerenda, v. g. frequentando Ecclesiam et sacramenta) exigi poterit.

Si autem ageretur de moribundo, qui in vita scandalum nunquam reparavisset et usque ad mortem in illo perseverasset, teneretur illud reparare in illo extremo momento prouti posset, v. g. occasiones voluntarias removendo, obligationibus suis satisfaciendo, sacramenta recipiendo, veniam (iuxta morem) a populo petendo, et ea omnia praestando quae necessaria sint, ne ipsa sacramentorum administratio scandalosa reddatur. Cf. *Theologia pastoralis* (*Ed. III n. 228*).

ARTICULUS VII.

De cooperatione.

PUNCTUM I.

Principia generalia.

203. ***Quid est cooperatio?*** Est participatio in opere pravo.

Attamen in opere pravo qui ad delictum qua tale alios directe provocet, ille proprie non cooperans sed principalis agens appellatur.

204. ***Quotuplex potest esse cooperatio?*** 1° *Provocativa indirecte*, scilicet petendo rem in se licitam, quae tamen cum peccato praestabitur (v. g. mutuum ab usurario, debitum coniugale a viro onanista, celebrationem Missae a sacerdote degente in peccato mortali etc.). 2° *Immediata,* scilicet praestando ipsum opus pravum (v. g. dum quis iussu alterius hominem occidit); aut praestando partem operis ipsius (v. g. dum plures hominem occidunt vel functionem ad falsum cultum spectantem complent). 3° *Mediata*, scilicet praebendo medium (v. g. dando gladium, deferendo epistolas etc.). 4° *Proxima*, vel *remota*, secundum quod cooperatio magnam vel parvam cum opere pravo connexionem habet. Connexio erit magna (et pro-

inde cooperatio proxima) si medium vel sit *a)* suapte natura determinatum ad delictum (v. g. clavis falsa, pharmacum abortivum, pugio insidiosus), vel sit *b*) expresse petitum ad hoc (v. g. usus carnium die vetito in odium religionis, vel gladium ad homicidium hic et nunc committendum). Dicit tamen Frassinetti (*Diss. V*) quod in hoc postremo casu proximitas diminui potest protestatione in contrarium, saltem si tali protestatione scandalum auferri possit. Certe connexio erit parva et proinde cooperatio remota, si medium nec suapte natura determinatum nec expresse petitum sit ad hoc (v. g. sartrix conficit vestes mulieri, quae iisdem abusura erit ad placendum concubinario suo). Datur etiam 5° cooperatio *propinqua*, quae inter proximam et remotam mediat (v. g. si quis concubinam nocturno tempore ad domum concubinarii comitetur). Denique cooperatio potest esse 6° *Materialis et formalis*. Haec est distinctio principalissima et speciali explicatione indiget.

205. *Quandonam cooperatio est* ***materialis*** *et quandonam* ***formalis?*** Est materialis quando cooperans sola opera materiali; est vero formalis quando etiam intentione prava concurrit. Scilicet in materiali participatio est solum in opere; in formali autem est etiam in intentione (1).

Exempla. Titius armorum venditor viro facinoroso (et proinde praevidendo abusum) sclopum vendit, sicut venditurus esset aliis (En cooperatio materialis). Caius dat sclopum Sempronio ut occidat Terentium communem inimicum (En cooperatio formalis). Lucio inimicum suum occidere volenti Flavius dat ensem sub poena mortis requisitum; sed dat non ut occidat, sed ne occidatur ipse (En cooperatio materialis). Livius ad opus pravum concurrit sponte, et Osius requisitus. In Livio cooperatio erit formalis; sed in Osio poterit esse formalis, vel materialis, iuxta circumstantias.

206. Notandum enim quod intentio prava (et proinde cooperatio formalis) aliquando contingere potest etiam in eo, qui aegro animo et metu coactus ad opus concurrit. Idque accidit si ex una parte cooperatio sit *immediata*, et ex alia opus vel pars operis (quod cooperans praestat) iam

---

(1) S. Ligorius rem istam valde confundit. Dicit cooperationem esse formalem quando influit in voluntatem principalis agentis. Sed hoc verum esse nequit; secus enim cooperata fuisset formaliter (et proinde mortaliter peccasset) etiam Iudith, quae (se adornando etc.) in prava Holofernis desideria certo certius influxit. Cf. Frassinetti (*Diss. V n. 20*).

remaneat malum in illis quoque circumstantiis; quomodo enim quis dicere poterit se non habere intentionem faciendi opus pravum, si iam illud facit? Hoc autem contingere potest duobus modis. Primus est si res a cooperante *immediate* perpetrata sit in se ita mala, ut nunquam sua malitia exui possit, ut puta, si cooperans sua manu occidat aut vulneret. Secundus est si eadem res posset quidem interdum reddi licita, sed in casu adhuc illicita remaneat; ut puta, si cooperans ex metu non magni momenti manu sua rem alienam surriperet.

207. *An cooperatio* ***formalis*** *unquam sit licita?* Negative. Ratio patet. Quomodo enim intentio mala non erit mala?

208. *Quid de* ***cooperatione materiali?*** Per se illa quoque est illicita; sed propter circumstantias, aliquando expedit vel oportet ut praestetur; et proinde aliquando est illicita, et aliquando est licita.

209. *Quandonam expedit vel oportet ut cooperatio materialis praestetur?* Quando secus maiora mala secutura essent.

Exempla. Debent administrari sacramenta peccatori occulto publice petenti. Si templum esset commune catholicis et haereticis, expediret ut catholici ad aliud templum pro haereticis aedificandum concurrerent, ut declaravit S. Poenit. *an. 1822* (apud Del Vecchio *I 839. 10*). Parato ad me occidendum nisi eidem ensem tradam quo abuti vult, expediret ut ensem ei darem, si secus me occisurus simulque ensem obtenturus esset.

210. *Quandonam esset* ***illicita?*** 1º Si esset quidem materialis quoad delictum ab agente principali perpetrandum, sed esset formaliter mala quoad medium a me praestandum; v. g. si parans insidias mulieri, metu mortis me compelleret ad mendacium dicendum mulieri ipsi, ut se conferat ad locum ubi insidiator illam expectat. 2º Si foret quidem materialis sub omni respectu, sed non adesset causa proportionata.

211. *Quandonam erit* ***licita?*** Quando ex una parte nihil fiat quod sit intrinsece et absolute malum, et ex alia causa proportionata subsistat.

212. *Quomodo cognosci poterit an* ***causa sit proportionata*** *vel non proportionata, et proinde an coo-*

peratio liceat vel non liceat? Regulae principales sunt sequentes.

213. **Regula I.** Videndum an adsit aliqua decisio authentica S. Sedis; vel an casus a sensu communi vel unanimi sententia theologorum iudicatus fuerit.

Explicationes. 1° Cavendum ne decisiones authenticae perperam intelligantur. Aliquando enim decisio refertur ad circumstantias, quae in quaesito vel responso non exprimuntur, sed (habito respectu ad loca vel tempora pro quibus lata fuit) subintelligi debent, et tunc decisio pro aliis locis vel temporibus non valeret. Aliquando etiam responsio intelligenda est ad modum regulae ordinariae, non vero absolute.

2° In materia cooperationis circumstantiae non raro sunt ita complicatae, ut demonstrationes vix, aut ne vix quidem dari possint, et proinde decisio expectanda sit fere solum a sensu communi, qui caeteroquin in quaestionibus iuris naturalis tamquam iudex competentissimus haberi debet (*signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*),

Si itaque talis vel talis cooperatio nullum scandalum ingerat, atque etiam a personis meticulosae conscientiae peragi soleat, tamquam licita haberi debet. Secus si scandalum ingereret. Quod tamen intellige si scandalum communiter suboriretur quamvis circumstantiae omnes cognoscerentur. Interdum enim ex ignorantia alicuius occultae circumstantiae (v. g. gravis damni) scandalum suboritur, quod non suboriretur, si circumstantia illa cognosceretur. Cf. Scavini (*II 958*).

214. **Regula II.** Si cum levi, vel etiam cum graviori aliquo incommodo, tenereris ex lege charitatis, aut correctionis fraternae, impedire peccatum; tunc certe incommodum ipsum a cooperatione te non excusaret. Exemplum habes in famulo, qui, magnam habens confidentiam cum hero suo, obtinere posset ne ille committeret peccatum, vel delictum pro quo famuli ipsius operam exposcit. Idem dic si quis ex officio (v. g. medici, pharmacopolae etc.) teneretur (non obstante tali vel tali incommodo) non suppeditare ea quae ad delictum perpetrandum peterentur (v. g. venenum, pharmacum abortivum etc.).

215. **Regula III.** Quo maior est necessitas delictum et praecise cooperationem tuam evitandi, eo maior causa exigitur ut cooperationem ipsam praestare possis.

216. **Regula IV.** Si delictum ita impediri nequiret, ut principalis agens illud per se ipsum et sine alicuius cooperatione perpetraturus esset; tunc causa levis ad concurrendum sufficere solet. Exemplum habes in dante clavem ingressuro etiam sine illa clavi (v. g. per fenestram vel rumpendo ianuam, vel cum alia clavi). Et hoc verum est

quamvis cooperatio esset proxima; v. g. tenes scalam ascendere valenti etiam sine scala. D'Annibale (*I 162*).

217. **Regula V.** Si peccatum principalis agentis ad illum solum restringeretur, ita ut nullatenus aut parum aliis noceret; tunc causa mediocris ordinarie esset proportionata et sufficiens, ut cooperatio (etiam proxima) praestari possit. Exemplum habes in famulo qui cibos vetitos hero suo illos exigenti coquat et porrigat. Idque verum est quamvis sine cooperatione tua peccatum compleri non posset. Exempla. Tradis pecuniam illam exigenti iniuste. Uxor petit debitum a viro onanista etc. Dixi *ordinarie*; si enim ageretur de malo gravissimo, v. g. de suicidio, causa valde gravior exigeretur.

218. **Regula VI.** Si peccatum principalis agentis redundaret in magnum damnum vel scandalum aliorum (ut puta, si ageretur de furto ingenti, de homicidio, de stupro violento, de bello iniusto, de aedificatione templi haeretici in locis catholicorum, de impressione librorum impiorum, de rebellione etc.); tunc distinguendum inter cooperationem proximam simulque valde influentem, et remotam vel parum influentem. Si sit proxima et valde influens, tunc sola causa gravis admodum, et subinde gravissima (v. g. magnus timor mortis), sufficiens esse poterit; idque verum est quamvis, me non cooperante, alii cooperaturi essent (Sanchez *Dec. I.* VII *16*). Sic apud nos sola causa gravissima excusare potest architectos pro aedificatione templi protestantici. Sic etiam milites ad bellum iniustum coacti timore mortis excusantur, dum multa faciunt quae ad necem innocentium proxime concurrunt. Si autem cooperatio sit remota vel parum influens, tunc causa mediocris ordinarie (et subinde etiam levis) sufficit. Exemplum habes in operariis secundariis templum praedictum aedificantibus, in vendentibus chartam typographis impiis etc. Tunc autem utique valet ratio quod me non cooperante alii cooperaturi essent.

PUNCTUM II.

Casus particulares.

§ I.

Casus cooperationis in rebus ad falsas religiones spectantibus.

219. *Regula principalis.* « Relate ad cooperationem « ad ritus superstitiosos, haec tenenda regula est. Si « cooperatio fuerit *pars ritus superstitiosi*, tunc for- « malis censenda erit, intrinsece mala, et nunquam fieri « licite poterit. E contra censenda erit materialis, si pars « non fuerit ritus superstitiosi. Grave aliquod damnum « quod oriatur cooperanti, si ab hac materiali cooperatio- « ne abstinere voluerit, licitam eam faciet, etiamsi scan- « dalum adfuerit, quod pusillorum dicitur a theologis ». Ita S. C. de P. F. (*2 Iul. 1827*).

220. *Circa communicationem in divinis.* « Commu- « nicatio in divinis cum haereticis et schismaticis, ut illi- « cita regulariter habenda est in praxi, vel ob periculum « perversionis in fide catholica, vel ob periculum partici- « pationis in ritu haeretico et schismatico, vel denique ob « periculum et occasionem scandali ». Ita S. C. apud Bucceroni (*Enchir. ad n. 192*). Nota quod dicit *regulariter:* si enim ex una parte sacerdos schismaticus valide esset ordinatus ; et ex alia extrema urgeret necessitas (in articulo mortis) sacramentum poenitentiae vel baptismi recipiendi ; tunc communicatio (protestando contra ritum) licita evadere posset ; qua de re vide Lugo (*De Fid. XIX 161*). Caeterum communicatio in divinis non a sola praesentia materiali, quae ex alio fine (v. g. curiositatis) eveniret ; bene vero a participatione functioni sacrae praestita (v. g. respondendo precibus) constitueretur.

221. *Circa sacramenta, et speciatim circa officium patrini.* « Sanctissimus decrevit, catholicis *regulariter* non « licere haereticorum concionibus, baptismis, matrimoniis

« interesse. *Absolute* autem non licere nec per se nec « per alios fungi officio patrini in baptismis, quae haere« ticorum filiis ab haereticis ministrantur ». S. O. Congr. (*18 Maii 1860*).

222. *Circa matrimonium.* « Quotiescumque minister « haereticus censeatur veluti sacris addictus, et quasi « parochi munere fungens, non licet catholicae parti una « cum haeretica matrimonialem consensum coram tali mi« nistro praestare, eo quia adhiberetur ad quamdam reli« giosam caeremoniam complendam, et pars catholica ritui » haeretico se consociaret, unde oriretur quaedam impli« cita haeresi adhaesio, ac proinde illicita omnino habere« tur cum haereticis in divinis communicatio ». Ita S. C. S. O. (*31 Apr. 1847*). Aliud esset si minister haereticus mere ageret personam magistratus civilis, ut eadem S. C. declaravit. Cf. Bucceroni (*Enchir. ad n. 830*) et Lugo (*De Fid. XIX 154*).

223. Supposita celebratione matrimonii ritu haeretico, quid de catholicis qui assisterent? Certe assistere non possunt cum scandalo vel cum aliqua participatione in ritu: ut puta, testium munere fungendo, aut sponsos ministro offerendo. Si autem sine scandalo et sine participatione in ritu, sed solum ut meri spectatores, vel ut sponsam sponso (aut e contra) tradant, tunc Lugo (*l. c.*) id licitum esse censet. Cf. etiam Gury (*Cas. consc. I 201*).

224. *De pulsante campanas templi haeretici.* Ille non necessario cogitur habere intentionem *advocandi* populum ad ritum superstitiosum complendum (quod esset intrinsece malum), sed solum *dandi signum* horae qua functio locum habet; unde cooperatio ista materialis esse potest. Quum tamen ad populi coadunationem adeo proxime atque efficaciter influat: solus finis lucri illam cohonestare nequit; imo in praxi vix unquam licita esse poterit. Casus tamen, iuxta Laymann (*De char. XIII n. 5*), interveniret in aedituo germanico, qui ad fidem converteretur, sed gravi necessitate pressus a servitio suo statim abscedere non posset; unde ad breve tempus adhuc cogeretur templi ianuas aperire, campanas pulsare atque utensilia parare. Cf. Lhemkuhl (*I 654*).

225. *De advocante ministrum haereticum pro haeretico moribundo illum petente.* S. C. S. O. (*15 Martii 1848*) respondit non licere. Sed regula ista debetne haberi tamquam absolute generalis, ita ut nullam omnino exceptionem patiatur? Responsum S. C. sic prostat: « D. N.... « humiliter exponit quod in civitate M.... existat hospitium « cuius ipse rector et capellanus est, ac in quo infirmo- « rum curam gerunt moniales.... Cum autem in hoc hospi- « tio subinde recipiantur acatholicae religionis sectatores, « ac iidem ministrum haereticum, a quo religionis auxilia « et solatia recipiant, identidem petant; quaeritur utrum « praefatis monialibus falsae religionis ministrum advo- « care licitum sit? Quaeritur insuper, utrum eadem danda « sit solutio, ubi haereticus infirmus in domo privata « cuiusdam catholici degit: utrum scilicet catholicus mi- « nistrum haereticum advocare licite possit?... Eminentis- « simi et RR. Domini dixerunt: Iuxta exposita non licere: « et addiderunt: Passive se habeant ». Ita apud Gury (*Cas. consc. I 202 edit. Maltensis*). Ibi autem notatur quod, dicente S. C. *iuxta exposita*, « ex hoc responsionis « modo colligi posse videtur, regulam pro circumstantiis « exceptiones non simpliciter excludere ». Lhemkuhl (*I 652*) dicit 1º Curandum esse prius ut infirmus (qui in bona fide sit) potius ope contritionis perfectae sibi consulat. 2º Advocare ministrum haereticum, *ut* falsae religionis solatia praebeat, esse intrinsece malum. 3º Simpliciter autem indicare illi esse infirmum qui eum petit, malum in se non esse. 4º Exigi tamen causam valde gravem, ut nuntium huiusmodi (ex quo ad minus superstitiones secuturae erunt) dari possit. 5º Causam esse satis gravem si ex denegatione talis nuntii odium publicum catholicae religionis excitaretur, atque monialibus facultas multa bona praestandi interciperetur.

Ego dicerem, nuntium istud a monialibus et sacerdotibus declinandum esse, et potius permittendum ut infirmus ope alicuius laici ministrum advocet. Imo, quum (attentis circumstantiis, et speciatim in locis ubi soli catholici degunt, maxime vero si de apostata ageretur) contingere possit quod ne laico quidem huiusmodi nuntium liceat,

aut quod factum istud nimium scandalum producat atque adeo nullo modo permittendum videatur; dicerem etiam quod Ordinarius consuli deberet.

226. *De subministrante utensilia ministro haeretico.* Si minister acatholicus, veniens ad praedictum infirmum, mensam et utensilia (v. g. panem et vinum) petat, ut ritum superstitiosum perficiat, Lhemkuhl (*l. c. 653*) dicit declinandam esse praesentiam in ipso ritu; sed (ob causas valde graves) praedicta suppeditari posse (vide paulo supra *n. 224*); ita tamen ut (v. g. protestando) caveatur, ne suppeditatio ista tamquam indifferentismi vel unionis cuiusdam signum haberetur. Ego in hoc quoque casu dicerem Episcopum esse consulendum.

227. *De adeunte templum haereticorum tempore concionis vel functionis.* SS.mus D. N. Leo XIII (*in litteris 12 Iul. 1878*) dicit: « Peccant graviter qui ex mera « curiositate Protestantium conferentias audiunt, et caere- « moniis acatholicis, ut ut materialiter, assistunt ». Sed Lhemkuhl (*n. 651 in not.*) advertit, idipsum solum ratione circumstantiarum, non vero absoluta et generali lege, prohibitum esse; in Germania enim, aliisque regionibus haereticis vel mixtis, communis sensus est, nisi adiuncta periculi vel scandali adsint, illam templi visitationem tunc quoque non esse graviter illicitam. Idem dic de peregrinantibus ad Loca Sancta, qui, curiositatis causa, schismaticorum quoque functiones aspiciunt, vel psalmodias audiunt. Vide supra (*n. 220*) et Bucceroni (*Enchir. ad n. 192*).

228. *De famula catholica comitante dominam suam haereticam ad templum acatholicum.* Apud nos, ad minus propter scandalum, facile non liceret. Secus esse potest in locis haereticis aut mixtis, ubi res ista nullam impressionem faceret. Enimvero, inspecto solo influxu in peccatum dominae (quod solet esse materiale), nulla est difficultas; huiusmodi enim influxus levissimus est, et proinde sola ratio famulatus excusat. Inspecto periculo spirituali, a famulae ipsius conscientia atque a necessitate in tali famulatu persistendi, decisio pendet. Maior difficultas adesse potest a parte assistentiae ad ritus superstitiosos; dum enim domina genuflectit, famula quoque genuflectere debebit. Si tamen famula publicam catholicae religionis professionem faceret, et solum ratione famulatus ad templum haereticum se conferret, nec precibus participaret; dicta genuflexio neque pro fidei negatione, neque pro formali honore, sed solum pro opere mere materiali haberetur; prout accidit in iis, qui Turcharum templa ingressuri calceamenta deponere debent (*n. 56*); et in milite catholico qui ductus cum aliis haereticis ad templum haereticum, cum iisdem ad ducis nutum genu-

flectere cogitur. Vide etiam *L. IV Reg. C. V. n. 18,* ubi Naaman famulus Regis Syriae dixit Elisaeo: « Hoc solum est, de quo depreceris Dominum « pro servo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon, ut « adoret, et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo « Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo « tuo pro hac re ». Elisaeus autem dixit ei: Vade in pace. Caeterum mulier catholica a suscipiendo famulatu apud familiam haereticam quantum posset generatim abstinere deberet.

229. *De aedificantibus aut restaurantibus templa sive idololatrica sive haeretica.* Excepto semper casu, in quo opera ista tamquam signum falsae religionis protestativum communiter haberentur (prout tempore persecutionis facile contingeret; Cf. Lhemkuhl *657 not. 1*), tunc enim ne metu quidem mortis praestari possent; excepto (inquam) hoc casu, distinguendum est imprimis inter templum falso numini, et Deo vero (quamvis pro haereticis, vel schismaticis, vel hebraeis) dicatum. Si agatur de templo idololatrico, ex pluribus Sanctae Sedis decisionibus (apud Bucceroni *Enchir. ad n. 192*) videtur quod solae causae gravissimae (et speciatim ne persecutio suscitetur) excusare valeant. Si autem res sit de templo haeretico (vel, ni fallor, de sinagoga hebraeorum), operarii secundarii certe excusantur; secus vero de architectis et fabricae conductoribus, qui certe apud nos (quoad templa protestantica) gravissime delinquerent (1). Dixi *apud nos*; in regionibus enim acatholicorum quoad architectos quoque nullum oritur scandalum, ut dicit Lhemkuhl (*n. 658 not. 2*), qui censet eos illuc reapse excusari, non equidem ex solo motivo lucri, bene vero si timerent ne cum gravi suo damno plures a se suaeque artis usu averterent.

---

(1) SS.mus D. N. Leo XIII (litt. *12 Iul. 1878*) dicit: « Neque a peccato mortali eximi possunt architecti fabricae conductores, atque aedificiis praefecti qui ad Protestantium templum aedificandum et ornandum « operam suam et laborem conferunt. Caementarii tamen aliique operarii « secundarii a peccato excusari poterunt, dummodo in facto eorum scan- « lum non adsit, neque in religionis catholicae contemptum laborent. Paro- « chorum tamen et confessariorum partes erunt ut diligenter hos pauperes « homines edoceant, ab hoc etiam opere materiali abstinere debere, tum « quando labor tamquam signum falsae religionis protestativum communi- « ter habeatur, tum quando opus ipsum aliquam rem contineat, quae aut « cultus catholici reprobationem aut cultus haereticalis approbationem « directe significet; tum quando constet quod in religionis contemptum ab « haereticis coacti aut vocati fuerint. Habere autem intentionem cultum « haereticum adiuvandi in nullo casu licet ».

230. *De conferentibus pecuniam erogandam pro cultu superstitioso, aut pro scholis aliisve institutis haereticorum.* Casus iste varie pro variis adiunctis resolvi debet. Attamen distinctiones principales videntur esse sequentes.

231. *a)* Si pecunia ad finem pravum unice erogabitur, tunc collatio spontanea a cooperatione formali excusari non poterit. Etsi autem spontanea non esset et materialis evaderet, difficillime cohonestari posset; collatio enim pecuniae, magis quam alterius operis exhibitio, favoris indolem induit. Causa tamen vere cohonestans esset, si, ut maiora mala evitarentur id fieret; prout contingere potest 1° in Principibus vel Deputatis catholicis destinantibus summam ex aerario publico etiam pro ministris vel rebus cultus superstitiosi erogandam, in locis (N. B.) ubi pro bono publico etiam falsos cultus tolerare oporteat. 2° Si cooperatio ad damnum vel scandalum imminuendum deserviret, ut si catholici ad habendum templum proprium templum haereticis aedificarent (Cf. *n. 209*).

232. *b)* Si autem pecunia non unice ad finem pravum erogabitur (v. g. si solvendum esset tributum Principi haeretico vel infideli quo etiam ad cultum superstitiosum uteretur); tunc eiusdem collatio facilius excusari poterit speciatim si ad finem bonum peteretur, qui de facto foret principalis; maxime vero si tale vel tale institutum esset necessarium aut valde utile (v. g. hospitale), et catholici per se solos illud instituere vel sustinere nequirent.

233. *c)* Semper tamen cavendum erit maxime ne pecuniae collatio tamquam scandalosa et illicita communiter habeatur; et magna differentia inter loca haeretica vel mixta, et loca nostra semper fieri debebit. Cf Lhemkuhl (*I n. 660*).

234. *De conficientibus aut vendentibus res, quae ad usum superstitiosum adhibentur, vel adhiberi possent.* Si res huiusmodi adhiberi quidem possent ad usum superstitiosum, sed de facto ad alium finem petantur (v. g. idolum ad ornatum horti); tunc nulla difficultas. Praescindendo ab hac hypothesi, distinguendum est sequenti modo inter venditionem et confectionem.

235. Supponendo quod agatur de venditore publico et de rebus indifferentibus (cuiusmodi sunt v. g. panis, vinum, agnus, candelae, lampades, candelabra, calices etc.), facile vendi possunt, etsi abusus praevideatur. Si tamen expresse ad pravum usum peterentur, tunc catholicus illas quidem (saltem si ageretur de rebus obviis, quae facile ubique invenirentur) vendere posset, sed simul contra pravum usum protestari teneretur. Lhemkuhl (*I 659*). Venditor privatus abstinere deberet.

236. Confectio autem ad haereticorum petitionem difficilius licita esse poterit. Adhuc tamen magna distinctio fieri debet inter res de se indifferentes (cuiusmodi essent v. g. organa, campanae, indumenta sacerdotalia absque signis particularibus etc.); et res superstitiosi cultus omnino proprias. In primo casu causa notabilis (non apud nos sed in locis haereticis) sufficere posse videtur. In secundo autem vix (et subinde ne vix quidem) causa gravissima sufficeret, maxime si res ipsae signa continerent catholicae religionis reprobativa, aut contra Ecclesiam contumeliosa, aut superstitiosi cultus approbativa, aut falsi numinis honorifica. Lhemkuhl (*I 657*). Vide supra (*n. 209 in not.*).

237. *De praedicatione aut celebratione Missae in templis haereticorum.*

« An catholici missionarii ac presbyteri a schismaticis « rogati in horum ecclesiis praedicare possint? R. Vel in- « vitantur ad effectum, ut ibi praedicetur veritas catho- « lica indefinite, et etiam contra errores eorundem schi- « smaticorum, et tunc affirmative ; vel tantum ut sermo « fiat de virtutibus aut vitiis, quae communiter tam a « catholicis quam a schismaticis amplecti aut vitari debent, « et tunc negative ». S. C. de P. F. (*1675*).

« Non debere missionarios divina celebrare in eccle- « siis, in quibus simul haeretici sua profana et sacrilega » exercitia habeant ». S. C. de P. F. (*21 Maii 1627*). Excipe nisi agatur de Ecclesiis catholicorum usurpatis solum in parte ab haereticis ; aut nisi propter specialissimas circumstantias S. Sedes dispensaverit. Cf. Bucceroni (*Ench. ad n. 192*).

238. *De frequentantibus scholas et universitates haereticorum.* Certe non liceret illas adire 1° si (prouti apud nos) scholae vel universitates catholicae adessent eaeque idoneae forent. SS.mus D. N. Leo XIII (*litt. cit.*) dicit: « Filii ad tales scholas (Protestantium) accedentes, re in « se inspecta, sine dubio mortaliter delinquunt. In casu « tamen verae coactionis, confessarius, perpensis personae « et facti circumstantiis, erga eos se gerat iuxta regulas, « quas auctores probati in similibus eventis (*nempe occa-* « *sionis necessariae*) suggerunt ». 2° Item non liceret si media suppeterent apud exteras nationes catholicas studia peragendi. 3° Item si discipuli cogerentur facere aliqua iuri divino contraria. 4° Item si periculum peccandi (et maxime amittendi fidem) esset tale ac tantum, ut remotum reddi nequiret: quod speciatim accidere solet in universitatibus, et maxime si iuvenes collegialiter (et sic sine ullo antidoto) apud haereticos degerent. Cf. plures decisiones apud Bucceroni (*Enchir. ad nn. 374-385*).

239. Facilius occurrere possunt circumstantiae, in quibus liceat adire scholas haereticorum quidem sed mixtas; in quibus scilicet catholici acceptantur; et, sin minus catholice educentur, saltem (iuxta scholae legem) circa propriam religionem turbari non debent. In praxi tamen pericula (eaque magna) remanere solent; et proinde iudicio et conscientiae Ordinarii decisio relinquenda erit.

240. « *An liceat sacerdoti in scholis haereticorum* « *mixtis fidei christianae documenta tradere, aut capel-* « *lani munere fungi?* R. Affirmative, et ad mentem. Mens « est ut, non modo fidei christianae tradendae, verum « etiam aliarum disciplinarum scholis, quotquot fieri potest « praefici sacerdotes, aut honestos perspectaeque religionis « laicos curandum sit; quo vero omnis cesset scandali « formido, monendum esse populum id fieri, ut mala quae « ex huiusmodi scholis dimanant, quantum fieri potest, « avertantur; idque proinde nemini excusationi esse de- « bere, quominus liberos suos mittant ad scholas mere « catholicas, in quibus eorum fides et mores nullo modo « periclitentur ». Instr. S. C. S. O. ad Episcop. Helvet. (*17 Ian. 1866*).

241. *De scholis catholicorum mixtis*. Casus contingit in monialibus ad proprium collegium admittentibus educationis causa puellas etiam schismaticas. S. Sedes subinde id permittit; sed cum multis cautelis, quae iuxta varias circumstantias variae sunt; et proinde (dato casu) ad Ordinarium, et ab illo ad S. C. S. O. recurrendum erit. Cf. Bucceroni (*Enchir. l. c.*). S. Sedes autem difficillime id concedit quoad internas, nec facile quoad externas: etsi prohibitio positiva generalis non adsit. Cf. *Monit.* (*Vol. X 86* et *XI 434*).

242. *An apud nos liceat locare domum Protestantibus*. Negative certe si petatur ad cultum inibi exercendum. Patet 1° Ex scandalo et damno Fidei. 2° Patet a simili ex declaratioae S. C. P. F. (apud Scavini (*II 958. 8*), quae dicit: « Non licere (christianis in locis infidelium « locare domos infidelibus) si expresse petantur ad fanum « construendum ». Imo, si agatur de Protestantibus qui proselitismum faciunt, ne licet quidem locare iisdem domum ad inhabitandum, et a fortiori si eâ uti vellent ad scholam peragendam.

243. *An liceat cantare, vel sonare, vel pulsare organa in Protestantium templis?* Negative. SS.mus D. N. Leo XIII (*litt. cit. 12 Iul. 1878*) dicit: « Peccant graviter qui in templis protestanticis cantant vel sonant, etsi « ex solo fine lucri ». Imo Lhemkuhl (*I 636*) docet ne coactionem quidem excusare, quia tales cantus et sonitus essent pars ritus superstitiosi, aut saltem eiusdem ornamentum. Si tamen cantus et sonitus non comitarentur ritum, tunc distinguit inter cantum verborum haereticalium, et sonitum; atque docet sonitum esse posse cooperationem materialem tantummodo (etsi proximam et difficile excusabilem), quia eadem melodia aliis verbis minime haereticalibus deservire valeret.

244. *An liceat sacerdotibus catholicis acceptare in propriis Ecclesiis, functionibus, aut funeribus, ministros haereticos, dummodo semper catholici ipsi proprium ritum servent?* Negative; haec enim commixtio et communicatio ad minus scandalum inferret; christifidelibus enim daretur occasio credendi Ecclesiam esse in concordia cum haere-

ticis, et perinde esse sive catholicus sive haereticus cultus adhibeatur. Excipe nisi haeretici more mere laicali, et civilis honoris causa tantummodo, alicui funeri catholico intervenirent. Patet ex responso S. C. S. O. (*10 Maii 1873*) apud Scavini (*II 990. 16*).

245. *An sacerdos catholicus possit comitari cadaver haeretici ad coemeterium (deficientibus ministris haereticis), etsi cadaver ad Ecclesiam non deferatur nel pulsentur campanae?* S. C. S. O. (*26 Aug. 1885*), approbante Pontifice, respondit (ad Episcopum Mantuae): Negative (apud *Avvisatore Eccl. VII 235*).

246. *An catholicus intervenire possit alicui sepulturae, quae ritu haeretico perficiatur?* Per se non licet. Attamen circumstantiae dari possunt quae hunc interventum ratione mere civili licitum reddant. Qua de re Lugo (*XIV 159* scripsit: « Ad hoc eodem fere modo dicendum « est, sicut de iis qui comitantur sponsos ad nuptias, quae « ritu haeretico celebrantur. Posse, inquam, id fieri ratione « mere civili ad honorandum civiliter defunctum et dum- « modo haereticorum precibus catholicus non communicet, « sed adsit merus spectator, et scandalum non sit vel alio- « rum offensio, et concioni, si qua futura sit, se subtrahat ».

247. *Si a coniugibus Protestantibus, deficiente ministro proprio, ad parochum catholicum deferretur puer baptizandus, declarando per hoc non intelligere sese obligare ad illum educandum in religione catholica, poteritne parochus illum baptizare, ut interim innocentis pueruli aeternae saluti consulat, quidquid futurum sit postea, dum ad annos discretionis pervenerit?* S. C. S. O. (*20 Maii 1873*) respondit: Negative, praeterquam in periculo mortis. Vide infra *De Baptismo*.

248. *Licetne sacerdotibus Missam celebrare pro infidelium intentione, et ab eis eleemosynam pro applicatione accipere?* S. C. S. O. *An. 1863* (apud Scavini *II 958. 2*) respondit: « Affirmative, dummodo non adsit « scandalum, ac nihil in Missa specialiter addatur; et quoad « intentionem constet nihil mali aut erroris aut supersti- « tionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse ». Interrogata tamen eadem S. C. de eadem re quoad elee-

mosynas oblatas a Graeco Schismatico respondit (*19 Febr.* « *1837*): Non licere nisi constet expresse eleemosynas a « Schismatico praeberi ad impetrandam conversionem ad « veram fidem ».

249. *Qui obiectum superstitiosum habet, potestne illud, si sit proprium, vendere (v. g. idolum idololatris); et, si sit alienum, destruere, vel domino suo non reddere?* Si proprium sit, illud vendere nequit, sed (ordinarie) destruere debet. Si sit alienum, illud de domo sua tollere, iisque ad quos spectat restituere tenetur. Patet ex duobus responsis S. C. S. O. (apud Scavini *II. nn. 990. 6. 7*).

§ II.

Casus cooperationis circa communiores huius temporis impietates et legum ecclesiasticarum transgressiones.

(A).

Circa matrimonium civile, divortium civile, et sepulturam civilem.

250. *Quid de Syndico assistente matrimonio civili eorum, qui matrimonium ecclesiasticum non sunt contracturi?* Distinguendum est inter casum in quo possint illud contrahere etsi dubitetur vel sciatur quod illud non sint contracturi; et casum in quo, propter impedimentum (a quo dispensatio obtineri nequeat v. g. ligaminis vel Ordinis Sacri vel professionis religiosae) illud contrahere nequeant. In primo casu servanda erit regula generalis de necessitate causae excusantis pro cooperatione materiali, et Syndicus non tenebitur assistentiam suam cum gravi incommodo denegare, praemissa tamen monitione quae prudenter adhiberi possit. In secundo autem casu assistentiam ipsam ita denegare debebit, ut etiam (si opus esset) ordinarie officium dimittere teneatur.

251. *Quid de iudice, si coniux, ecclesiastico matrimonio ligatus divortium civile peteret?* Supponendo quod

agatur de casu in quo huiusmodi divortium civile ex pravo fine (novas nuptias contrahendi) petatur, vel utcumque ab Ecclesia prohibeatur; iudex poterit quidem causam acceptare ut agat contra divortium, minime vero pro divortio ipso sententiam ferre. Sed hoc eritne intrinsece malum? Eritne semper et ubique illicitum, ita ut nulla unquam de causa (etsi gravissima) excusari possit? Hac de re sermo habebitur in tractatu *De matrimonio* (ubi de matrimonio et de divortio civili).

252. *Quid de participantibus ad funera mere civilia?* Sive defunctus ecclesiastica sepultura sit dignus sive sit indignus, funus civile cum pompa semper graviter illicitum et scandalosum est. Supposita sepulturae ecclesiasticae indignitate, sine pompa ulla (et si fieri possit, nocturno tempore) cadaver sepeliri deberet; nihil enim cogit ut diurno tempore cum comitatu atque gravi fidelium scandalo ad sepulchrum deferatur. Crescit autem delictum et scandalum, si cum signis honorificis, musicorum instrumentorum sonitu, et (uno verbo) magna publicitate atque pompa (prout fieri solet) funera civilia peragantur; maxime vero si in loco tumuli sermones impii haberentur.

Qui itaque sive ex animo impietati propenso, sive ex levi motivo vel sola curiositate, ad funera huiusmodi concurrunt, plus vel minus peccant sine dubio.

Attamen casus non eo usque procedit, ut interventus nulla prorsus de causa excusabilis evadere possit. Credo tamen causam valde gravem esse debere.

Hinc excusarem, v. g. milites ab eorum ducibus coactos; feretri baiulos, qui, si recusarent, tali officio destituerentur et panem amitterent; defuncti famulos, si recusando, expulsionem et gravia damna formidarent; denique communitates (v. g. orphanorum, vel asyli infantilis etc.) casu quo a propriis superioribus (eo quod, v. g. defunctus loci pii fuisset valde benemeritus) ad interventum omnino cogerentur; difficultatem tamen ostendere deberent.

Non vero excusarem, v. g. illos qui (seclusa coactione) ex solo motivo gratitudinis, vel cognationis, vel amicitiae, vel societatis artisticae, vel invitationis, vel alicuius lucri,

vel respectus humani (seu erubescentiae se veros catholicos ostendendi), vel curiositatis (ut dixi) etc. intervenirent.

N. B. De cooperatione ad *sepulturam ecclesiasticam* quidem, sed sive prorsus interdictam, sive cum circumstantiis ab Ecclesia vetitis executam, sermo habebitur infra *De statibus particularibus* (ubi de officiis Clericorum et de sepultura ecclesiastica).

(B).

Circa quosdam casus qui a parte Gubernii implicant usurpationem rerum et iurium Ecclesiae.

253. *Qaaenam est hoc in puncto regula generalis?* « E' necessario tenere per base, che le chiese, monasteri, « conventi, nonchè le proprietà ecclesiastiche, non debbono « custodirsi *more castrorum.* Se non si può in conse- « guenza opporsi una materiale resistenza alla forza, può « nondimeno a questa opporsi la forza morale, e possono « tutelarsi le suddette cose con analoghe proteste...., con- « tenendosi in modo meramente passivo, o cedendo sol- « tanto all' imminente coazione ». S. Penit. (*20 Iul. 1855*).

254. « *An Ordinarii, Parochi, Beneficiarii, caete- « rique bonorum ecclesiasticorum administratores, si « gravibus sub poenis expostulentur, reddituum respecti- « vorum inventarium Gubernio tradere possint?* R. Per- « mitti, emissa tamen in scriptis protestatione in singulis « actis a respectivis administratoribus super necessitate « traditionis ad evitanda maiora mala, et pro tuitione « iurium Ecclesiae ». S. Poenit. (*19 Dec. 1860*).

255. « *Quum Gubernium italicum constituisset visi- « tare per ministros ad id deputatos Seminaria; istorum « moderatores recursum habuerunt ad S. Poenitentia- « riam exposcentes quomodo se gererent* 1° *quoad noti- « tias super iisdem Seminariis a Gubernio requisitas; « 2° quoad provisoris studiorum visitationem?* Sacrum « Tribunal respondere censuit:

« Ad I. Ad evitanda graviora mala, quae secus decli- « nari non possent, tolerari ut moderator Seminarii dare « possit Gubernio notitias, quas de ipso Seminario idem « Gubernium violenter requirit; praevia tamen protesta-

« tione, qua declaretur Seminaria a quacumque laica pote- « state, prout constat ex Conc. Trid., esse omnino libera « et exempta; et caute ne Gubernii ministri in Seminarii « studia ac disciplinam (quod nunquam est tolerandum) se « ingerant.

« Ad II. Quatenus, adhibitis omnibus mediis et cau- « telis, quas prudentia et zelus religionis suggesserit, « visitatio regii provisoris evitari nequeat, et aliunde gra- « via timeantur mala; ac dummodo eadem visitatio sit « eiusmodi, ut moderatio disciplinae et studiorum Semi- « narii integra maneat apud Episcopum, passive se habeat; « praemissa tamen protestatione, qua declaretur Semina- « ria a quacumque laica potestate, prout constat ex S. Conc. « Trid., esse omnino libera et exempta.

256. *Onera missarum, legata pia, capellaniae laicales etc. exclusive administrantur a personis electis a Gubernio, quae capellanos etiam, quibus functiones in Ecclesiis demandantur, eligunt et praesentant. Poteritne Episcopus id tolerare?* « R. Dummodo nominati seu ele- « cti habeant necessarias qualitates, neque laedatur ius « acquisitum tertii, posse Ordinarium illos tolerare, et etiam « tamquam ex sese, quatenus institutio requiratur, illis « conferre capellaniam seu legatum, nulla facta mentione « nominationis seu electionis illegitime peractae ». Ita S. Poenit. (*Collect. 20 Mart. 1885*).

(C).

Circa concursum ad festa nationalia, quae pro re iniqua fuerint instituta vel indicta.

257. « *An liceat propriam domum externis lumini- « bus ornare occasione inaugurationis novi Gubernii* (*in « Ditione Pontificia intrusi*), ***aut alio simili eventu;*** « *item an liceat uti insignibus novi Gubernii, cuiusmodi « sunt* ***coccarde,*** *vittae tricolores, et alia huius gene- « ris?* R. Negative, dummodo non immineant gravia da- « mna et absit scandalum ». S. Poenit. (*10 Dec. 1860*). Interesse autem ex mero solatio praedictis vel similibus

laetitiae actibus non licere (et maxime ecclesiasticis) dicit Scavini (*II 957 q. 4*). Hinc patet quid dici debeat de concursu ad festum 20 Septembris.

258. « *An liceat Clero illarum Provinciarum (Sar-* « *diniae) participare festivitati nuper imperatae ad cele-* « *brandum, prima Dominica Iunii unitatem italicam et* « *statutum extensum ad provincias a Gubernio Sardi-* « *niae occupatas?* S. Poenit., mature considerato dubio, « respondet: Negative » (*18 Maii 1861*).

259. « *An liceat hymnum* ***Te Deum*** *canere occa-* « *sione proclamationis intrusi Gubernii, aut alio simili* « *eventu?* R. Negative ». S. Poenit. (*d. cit.*). Vide etiam vetitum Pii VII apud Scavini (*IV 236. 6*).

Aliud esset si talis cantus ex causa satis congruenti et publice nota locum haberet; unde ipsa S. Poenit. id concessit occasione cessationis belli Veneti (Berengo *pag. 521*).

(D).

Circa cooperationes ad res illicitas propter furorem popularem.

260. Magna excitata rebellione, contingere solet quod populus furibundus exigat ut campanae sonentur, ut portae domorum vel Ecclesiarum rumpantur, ut iuramentum fidelitatis usurpatoribus praebeatur, vel etiam ut *Te Deum* cantetur; quae nisi fierent, mors aut alia gravissima mala inevitabiliter imminerent. Frassinetti (*Diss. V*) haec omnia in talibus horribilibus circumstantiis licita esse docet. Ego tamen circa *Te Deum* existimo vix aut ne vix quidem res in tali statu esse posse, ut sine magno scandalo, convenienter et licite cantari valeat. Caeterum scripsit Laymann (*De Char. XIII. 5*): « Incolas provinciae, quam « tyrannus, expulso legitimo principe, iniuste occupavit, « posse inter iniquos possessores manere, eosque (cogente « imperio) fossione, excubiis, et contributione aliqua iuva- « re: non quidem intentione bellandi contra legitimum « magistratum; sed quatenus opera illa secundum se indif- « ferentia sunt, quae, si ab incolis recusentur, maiora peri-

« cula et incommoda imminerent; ut videlicet bonis suis « spoliati, provincia eiiciantur, et alii promptiores substi- « tuantur. Quamobrem existimandum etiam est, legitimum « principem consentire, ut eiusmodi obsequia a subditis « interim exhibeantur, vel etiam iuramento promittantur, « quatenus ita opus est, et ipsis etiam utile ad graviora « mala cavenda. Quae autem in maius legitimi principis « et Reipublicae damnum, aut catholicae religionis oppres- « sionem, cessura sunt, ea subditi a tyranno adacti prae- « stare non possunt: multo minus se iuramento obligare ».

(E).

Circa concursum ad monumenta impiis vel facinorosis personis erigenda.

261. Ex animo ad res huiusmodi concurrere certe non licet. Si autem ad molestias vel alia mala declinanda concursus praestaretur; tunc a gradu tum scandali ex concursu provenientis, tum mali ex denegatione pertimescendi, decisio pendet. Cf. Scavini (*II. 957 q. 5*).

(F).

Circa concursum ad opera partim bona et partim mala.

262. Hic concursus per se est illicitus; bonum enim ex integra causa, et qui sic concurrit, ad malum quoque concurrit, quod non licet. Attamen ex circumstantiis concursus huiusmodi evadere potest licitus, idque (caeteris paribus) contingit facilius quam si opus ex integro malum esset (vide dicta *n. 209*). Inter has circumstantias praecipua est si concursus praeberetur ad maius malum evitandum, vel si ex una parte opera illa esset necessaria, et ex alia sine mixtione mali obtineri nequiret.

(G).

Circa publicas electiones ad officium deputati politici in Italia.

263. « Opinio inoluit apud Dioeceses Italiae quamplu-
« rimas, politicas urnas adire licitum esse, ex quo Sacra
« Poenitentiaria quoad hoc percunctata, tantummodo re-
« spondit : non expedire. Ut omnis vero abiiceretur aequi-
« vocatio, SS.mus Pater.... iussit declarari, quod *non expe-*
« *dire* prohibitionem importat..... Perutile quoque erit
« responsa agnoscere, quae S. Poenitentiaria (*an. 1883*)
« dedit Episcopis sciscitantibus tum quoad peccatum quod
« committitur, tum quoad censuras quae contrahuntur,
« politicis interessendo electionibus. Quoad peccatum, an
« idem *culpae gravis* reus habendus esset, qui suffragium
« daret pro Deputatorum electione, responsum paruit : —
« Sese habebit in casibus particularibus iuxta suam con-
« scientiam et prudentiam, omnibus perpensis adiunctis.
« — Quoad censuras vero : — Irretiri vel non irretiri
« censuris, electionum politicarum causa, pendere ab
« animi electorum dispositionibus ; adiuncta et dispositio-
« nes ponderandae iuxta normas, quae in subiecta materia
« a probatis exhibentur auctoribus ». (*30 Iulii 1886*).
Vide *Casus consc. an. 1892 Cas. II.*

(H).

Circa publicas electiones ad officium deputati municipalis, vel (extra Italiam) politici.

264. Si res sint ita dispositae, ut ex una parte, catholicis non concurrentibus, pessimi viri eligerentur ; et ex alia, si concurrant, id unum efficere possint ut propriis et aliorum suffragiis minus mali eligantur ; in hoc casu concurrere, et pro his minus malis suffragium dare possunt. Ita docent Lhemkuhl (*I 799*), Del Vecchio (*I 332*) et Card. Archiep. Neapolit. qui (*28 Mart. 1867*) dixit : « Si spes

« haberi nequit, ut catholici viri eligantur, clarum est « quod tunc necessitatem subire debemus bonum possibile « operandi ad maius malum vitandum. In hoc casu, etsi « candidatus non sit nostrae plenae fiduciae, erit eligen- « dus ». Idem sensit in re simili Lugo (*De fid. XIV 170*).

(I).

Circa officia gubernativa et municipalia in ditione pontificia sub intruso Gubernio.

265. Ad quaestionem an officia **gubernativa** suscipi et retineri possint, S. Poenit. (nempe *10 Dec. 1860*) respondit: « Dummodo non agatur de officiis quae directe « et proxime influunt in spolium, vel in eiusdem spolii « manutentionem, et exerceri possint absque periculo lae- « sionis legum divinarum et ecclesiasticarum, posse tole- « rari. In praxi vero quilibet ex dictis officialibus, aut « personis ditionis pontificiae, qui paratus sit stare man- « datis S. Sedis, caute moneatur, ut consulat Episcopum, « seu loci Ordinarium, qui in singulis casibus decernet « iuxta mentem Sanctissimi Domini ».

« Caeterum (dicit D'Annibale *Commentar. n. 92*) quae « initio novissimae invasionis circa munera publica cauta « fuerunt a SS. Urbis CC. eo spectabant, ne invasores « consistere possent. Hodie igitur, usurpatione constituta, « quasi rebus mutatis, accipienda erunt cum grano salis, « ne, remotis ab huiusmodi muneribus publicis integris « vitae fideique viris, ea occupent flagitiosissimi quique, in « necem Religionis et Civitatis ».

Quod igitur concludendum? Ego dicerem, aliqua ex his officiis hodie quoque esse prorsus illicita, alia vero esse licita sub quibusdam conditionibus.

266. Absolute illicita (quae scilicet acceptandi et retinendi non datur facultas) sunt duo sequentia.

I. *Officium deputati aut senatoris in camera legislativa Roma residente;* certissime enim hodie quoque firmum manet vetitum S. Sedis enuntiatum a S. Poenit.

dicente, officium istud Romae nullo modo tolerari posse. Cf. *Monitore* (*II.* I *pag. 152*). Hinc vetitum notissimum non accedendi ad urnas politicas, quod mox supra attuli *n. 263.*

II. *Officium ministri cultuum.* Cf. Scavini (*IV 236*).

267. Licita sub quibusdam conditionibus sunt speciatim officia sequentia :

I. *Officium iudicis, cursoris et exactoris.* Hi versari possunt in casu agendi contra personas, bona, vel loca ecclesiastica ; sed a S. Sede vel ab Episcopo passim habilitari valerent. Cf. Avanzini (*Comment. n. 8*) et Berengo (*Enchir. Miscell. VI.ª A. n. 23*).

II. *Officium deputati loci pii.* Episcopi habere solent facultatem husiusmodi deputatos habilitandi ad administrationem ; imo interdum (si non adsit tempus recurrendi ad S. Sedem) etiam ad alienationes. Cf. *Monitore* (*III.* II *12,* et *III.* I *100*).

III. *Officia Oeconomi et Suboeconomi beneficiorum vacantium.* S. Poenitentiaria hodie solet concedere ut haec officia acceptentur, ita tamen ut quaedam instructiones servari debeant.

IV. *Officia Praefecti, Sub-praefecti, et Syndici.* Difficultates adesse possunt 1° propter actus contra clericorum immunitatem, clausuram, et, uno verbo, contra iura et leges Ecclesiae ; 2° propter complicitatem in manutentione regiminis usurpati ; 3° propter iuramentum.

268. *Explicationes.* Quoad *actus legibus Ecclesiae contrarios*, S. Sedes multa indulgere solet. Cuidam Officiali, qui in bonum publicum et ipsius Ecclesiae officium se detinere asserebat, quaerenti an posset locis piis iussa civilis auctoritatis indicere, et ea exequi, ita responsum fuit (*28 Sept. 1887*): *S. Poenitentiaria, attentis expositis, declarat tolerari posse ut Orator materialiter tantum administratoribus piorum locorum transmittat iussa Gubernii, de quibus in precibus ; eademque* (*quatenus opus fuerit*) *per se ipsum* (*sub dependentia tamen ab Ordinario*) *exequatur, remoto scandalo, et exclusa quacumque earundem iussionum approbatione.* (Apud Costantini *995 IX not.*). Episcopus quoque, speciatim quando res urget

et non adest tempus recurrendi ad S. Sedem, licentias concedere valet.

Si autem occurreret casus, pro quo venia nulla obtineri posset, tunc vel abstinere, vel officio renuntiare necesse esset.

269. Quoad *complicitatem in manutentione Gubernii usurpati*, Baller. (*II 972* XII *d.*), exposito responso S. Poenitentiariae cit. supra *n. 265* et dicente *tolerari posse* officia, quae directe et proxime non influunt in spolii manutentionem etc., dicit : « In spolii manutentionem ex officio influere « intelliguntur qui primum seu supremum magistratum « gerunt in quavis provincia, aut civitate, aut terra, aut « oppido. Ita instructio Pii VII (*20 Maii 1809*) declarat « *non esser lecito accettare impieghi o incombenze che* « *abbiano una tendenza più o meno diretta a riconoscere e coadiuvare e consolidare il nuovo governo* ». Quaenam autem sint eiusmodi munia, sic expressius declaratur in Instruct. (*10 Iun. 1809*). « *Si dichiara che tali* « *impieghi intendonsi specialmente gli offizi di Governato-* « *ri o Prefetti, o Podestà che rappresentano il primo ma-* « *gistrato in ciascuna provincia, o città, o terra, o castello,* « *o paese qualunque* ». His praemissis Ballerini subdit: « A qua tamen oeconomia descisci coepit, postquam nul- « lam haec spem relinquebat impediendi quominus usurpa- « tio consolidaretur; et alioquin gubernandi officium solis « rebellibus atque improbis commissum ac permissum « hunc denique fructum unice afferebat, ut eiusmodi oeco- « nomia in religionis perniciem et in damna subditorum « usque deteriora cederet. Et sane, ubi iniquus usurpator « alienis oppressis subditis permittat, ut aliquo modo sibi « et bono publico prospicere possint, nulla enimvero ratio « apparet, cur aut princeps legitimus invitus censeri « debeat (non enim rationabiliter invitus esset), aut cur « oppressi subditi culpae expertes censeri debeant si ex « negligentia officia recusent. Non enim sic agent, quasi « ius aliquod in usurpatore iniquissimo agnoscant, sed « quasi qui iure naturae ad sibi ac societati prospiciendum « utuntur ». Sic itaque ex capite complicitatis in manutentione gubernii usurpati hodie (apud nos) nihil obstat.

270. Quod maioris difficultatis speciem habet, est *iuramentum fidelitatis*. Ex una parte enim Gubernium hodie non amplius tolerat ut in illo exprimantur limitationes; et ex alia iuramentum illimitatum videri posset tum iure naturae tum iure ecclesiastico prohibitum. Iure naturae tum propter tot leges iniquas et discordiam contra Ecclesiam, tum propter scandalum. Iure ecclesiastico, quia, toties quoties Gubernium aliquod (sive illegitimum sive etiam legitimum) processit ad leges valde iniquas, scandalosas et Ecclesiae contrarias, S. Sedes semper interdixit iuramentum fidelitatis illimitatum, atque ad minus semper voluit ut expresse atque in ipsa formula iuramenti, adiiceretur limitatio *Salvis legibus divinis et ecclesiasticis*, vel *Salva conscientia*. De re ista innumera habemus documenta. Quoad Angliam, Galliam, et Italiam vide Scavini (*IV. n. 236-245*) et quoad Hispaniam vide *Casus consc.* P. V. (*Vol. I Cas. X*).

Sed notanda sunt sequentia.

Quoad ius naturae, iuramentum illimitatum utique semper illicitum esset, si qui iurat intenderet approbare vel observare etiam illas leges, quae in conscientia adprobari vel observari nequeunt; aut si exclusio et limitatio subintelligi non posset; aut si utcumque scandalum adeo magnum esset vel consequentiae adeo ruinosae forent, ut ex hoc ipso iuramentum illicitum remaneret.

At vero *hodie* apud nos in acceptantibus officiis praedictis, etiam sine limitatione *expressa in formula iuramenti*, imprimis nihil vetat quominus limitatio ipsa in mente concipiatur; deinde, si qui iurat iam esset cognitus ut sincerus catholicus, eadem limitatio subintelligeretur et ab omnibus supponeretur; et proinde quoad catholicos ex hoc tantum quod limitationem non expriment, nullum scandalum et nulla mala consequentia hodie subsequeretur (1). Adde

(1) Quoad scandalum in iuramento magna fieri debet differentia inter casum et casum; non enim semper (sicut sub Napoleone I.) iuramentum habet sensum iniqui favoris: neque semper Gubernium valde de illo sollicitum est, atque pro illo (tamquam pretium iniquitatis) munia publica retribuit; neque denique semper iurati (sicut tunc) tamquam abominatione digni habentur. Hodie scandalum huius generis nullatenus adest, et iuramentum quasi pro nuda formalitate respicitur, imo fideles de illo a Syndico vel Praefecto emisso ne cogitant quidem.

quod limitationem declarare possunt prius et postea, atque de illa, etiam in scriptis, Ecclesiae testimonium relinquere. Adde quod in publicis diariis declarari poterit quo sensu catholici iurent. Adde denique quod catholici limitationem ostendent factis, quae utique plus quam verba valebunt. Sic itaque iure naturae iuramentum illimitatum in sensu hic explicato minime interdicitur.

Iure autem ecclesiastico, verissimum est quod S. Sedes, in concedenda facultate iurandi absque limitatione in iuramento ipso expressa, valde lente processit; sed, quum hodie certissimum sit quod ex una parte Gubernium limitationes expressas non tolerat (ut supra dixi), et ex alia parte S. Sedes permittere solet ut catholici officium Syndici vel subinde etiam Praefecti vel Sub-Praefecti, vel Suboeconomi acceptent, iam ex necessaria consequentia dicendum est quod iuramentum, etiam quodam sensu illimitatum, permittat; solum nempe exigat ut, petitâ licentiâ, limitatio iuramenti alio modo exprimatur et in susceptis officiis exercendis eiusdem instructionibus stetur.

271. V. *Officia municipalia.* « An electi possint officia fungi consiliarii et magistratus municipalis? R. Dummodo municipales non adigantur ad ea, quae adversantur legibus divinis et ecclesiasticis, et se abstineant a praestando iuramento iuxta formam ab ipso Gubernio invasore propositam (*scilicet illimitatum*), posse tolerari ». S. Poenitentiaria (*10 Dec. 1860*). Sed (hodie) quoad iuramentum (utique a Syndico praestandum) recole mox dicta.

(K).

Circa libros pravos, ephemerides, diaria etc.

272. *Quid de typographis et venditoribus subalternis seu domino typographiae subiectis?*

Quum hodie typographiae ut plurimum sint sin minus impiae prorsus, saltem tales ut opera vel diaria cuiuslibet generis imprimant, casus valde practicus est de operariis in iisdem typographiis, et de vendentibus libros vel diaria ex earundem commissione. Iussi autem ut quoad publicationes impias vel obscoenas operam propriam non praestent, respondent quod

statim expellerentur, atque ita (quum sint ordinarie pauperes) panem sibi suisque filiis omnino necessarium amitterent. Si dilatio eis concederetur, donec aliam typographiam inveniant, vel alio officio panem sibi comparent, facilius acquiescunt; sed obtinere ut praecise hic et nunc, nullaque interiecta mora, sine pane remanere atque mendicare consentiant, est quid practice impossibile. Oportet itaque ut hic casus serio examinetur, perpendendo usque ad quosnam limites benignitas extendi valeat.

273. Quid igitur concludendum? Circa subalternos istos distinguere oportet inter illos qui dicuntur *compositores*, (maxime vero illos qui typographiae *directores* essent), et alios remotius cooperantes. SS.mus D. N. Leo XIII (in epist. ad Card. Vicarium *12 Iul. 1878*) dixit: « Graviter peccant.... typographi, etiam subalterni, qui, ne « a suis heris dimittantur, *collocant characteres* ad im- « primendos libros haereticos ». Videtur itaque quod, etsi agatur de libris vere haereticis, causa dimissionis subeundae sat facile possit excusare illos, qui cooperationem praestent minoris momenti, seu non ita proximam sicut est illorum qui characteres collocant.

Hinc qui chartam praeparant (et a fortiori qui illam typographiae vendunt), qui atramentum extendunt, qui ignem machinae admovent vel rotam movent, imo qui chartam superimponunt atque impressionem faciunt, et multo magis qui folia iam impressa ordinant, hi omnes *ex causa dimissionis* ordinarie excusari posse viderentur. Cf. Kenrich apud Marc (*n. 524*), Gury (*I 253*) et Lhemkuhl (*I 663. 3*). Excipe nisi ageretur de typographia quae ex instituto impia, vel haeretica, vel sectaria esset; quae scilicet ad malum finem principaliter erecta fuisset, ut bene observat Marc (*I. 524*).

Si vero res sit de compositoribus, et a fortiori de directoribus typographiae, causa dimissionis, ipso Pontifice id declarante, certe non excusat.

274. Sed hoc debetne intelligi in sensu ita stricto, ut, quamvis dimissioni alia gravissima mala superadderentur (ita ut scilicet familia sine pane remaneret), id quoque non excuset; unde absolute ne unius quidem diei dilatio unquam concedi possit? Lhemkuhl non ita sentit, et (*l. c.*) ait: « Dimissio a famulatu communiter ne tanta « quidem causa esse censetur, quae a peccato gravi pos- « sit excusare. Dixi *communiter;* nam pro specialibus

« circumstantiis fortasse ita gravis evadere potest, ut *pro* « *brevi tempore* excuset in iis locis, ubi ex tali libro causa « fidei non notabiliter peior redditur ». Id autem confirmatur ab aliis theologis, inter quos Laymann (*De char. XIII 5*) scripsit: « Longe gravior causa atque necessitas « requiritur, ut liceat alicui.... ordinare characteres ad « haereticorum librorum impressionem.... In necessitate « tamen admodum gravi (si etiam alia scandala et con- « temptus catholicae religionis absint) tale quippiam ad « *breve tempus* praestari posset; v. g. si filius typogra- « phi haeretici ad fidem catholicam convertatur, qui sine « gravissimo suo detrimento patrem tam cito deserere non « possit ». Ita sentiunt etiam Gury (*I n. 253*) et Frassinetti (*Diss. V*). Rationem reddunt quia 1° sicut transcribere, ita etiam typis ordinare et imprimere scriptum pravum, non est intrinsece malum (ita ut ex nulla causa et ne metu quidem mortis licitum sit, sicut esset homicidium, blasphemia, fornicatio etc.), neque cooperatio est necessario formalis; libri enim impressio intentionem ut alii illum legant et sequantur necessario non inducit. 2° Etsi operarius cum tali ac tanto suo damno operam suam recusaret, nihil impediret. 3° Agitur non de domino typographiae qui opera imprimenda acceptet; sed de operario subalterno, operibus iam acceptatis et incaeptis. 4° Lex ecclesiastica autem in tam gravi necessitate illum praecise non obligaret. Lhemkuhl tamen (*n. 666*) exceptionem facit pro libro obscoeno, si nullum bonum usum habere posset.

275. De venditore autem in casu stricto (ut supra) et solum ad tempus, et cum obligatione quaerendi sibi sollicite aliud medium (etsi forte minus aptum) sustentationis, idem et propter easdem rationes dici debere, docet Frassinetti (*Diss. cit.*).

276. *Quid de dominis typographiae?* Hi certe absolute tenentur abstinere ab acceptandis operibus sive impiis sive obscoenis; et nedum lucri cessatio, sed etiam gravis damni timor, illos excusare non potest; ex una parte enim de maximo damno publico, et ex alia de cooperatione non subalterna sed principalissima ageretur, a qua intimus cuiuslibet probi et christiani viri sensus quamma-

xime abhorret. Neque ratio quod alii acceptantes invenirentur, pro operis conductore quidquam valeret. Et haec dicenda sunt iure naturae.

277. *Quid de positivis Ecclesiae legibus circa impressionem et venditionem librorum?* Const. *Officiorum* (edita *an. 1897*) sequenti modo loquitur.

« Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesia-
« siasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas Scri-
« pturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam,
« Ius Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve
« huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt,
« ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et
« morum honestatis specialiter intersit.

« Viro e clero saeculari ne libros quidem, qui de arti-
« bus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis
« suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga
« illos exemplum praebeant.

« Iidem (clerici) prohibentur quominus, absque prae-
« via Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica mode-
« randa suscipiant.

« Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excu-
« datur, nisi in principio nomen et cognomen tum aucto-
« ris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum
« impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu,
« iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id
« permittendi penes Ordinarium potestas sit.

« Noverint Typographi et Editores librorum novas
« eiusdem operis approbati editiones, novam approbatio-
« nem exigere, hanc insuper textui originali tributam,
« eius in aliud idioma versioni non suffragari.

» Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium
« prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

« Quicumque librorum venditores, praecipue qui ca-
« tholico nomine gloriantur, libros de obscoenis ex pro-
« fesso tractantes, neque vendant, neque commodent, neque
« retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi
« a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium
« impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter exi-
« stimare possint, ab emptore legitime peti.

« Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate « Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum « haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris « per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque « libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defen- « dentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano « Pontifici speciali modo reservatam.

« Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scriptu- « rarum libros, vel earundem adnotationes vel commenta- « rios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto « in excommunicationem nemini reservatam ».

278. *Hac in re estne aliquid aliud notandum?*

I. His legibus generalibus addi possunt aliae particulares v. g. in Dioecesi, in Regione, in Ordine religioso etc.

II. Procurare librum prohibitum ad instantiam alicuius poterunt quidem bibliopolae; sed oportebit ut sint satis certi de licito usu; agitur enim de veneno. Licitus autem usus adesse nequit si liber sit omnino obscoenus; aut si, attenta conditione, aetate etc. petentis, non possit praesumi quod ille ex recto fine et cum debita licentia librum lecturus sit: de qua tamen licentia expresse inquirere bibliopola non tenetur. Marc (*524. 2º*).

III. Collaborator in ephemeride prava a peccato non excusaretur, eo quod tractatus bonos semper conscriberet. Lhemkuhl (*n. 665*).

IV. Annuntiare (v. g. in ephemeridibus vel cartis in publico affigendis) quae in fidei aut morum detrimentum vergunt (v. g. concionem haereticam, comoediam impiam etc.) cooperationem gravissime peccaminosam constituit, ut per se patet: agitur enim de invitatione ad gravissima mala. Marc. (*l. c*).

V. Pravis diariis se sociantes non solum propter periculum proprium et scandalum, sed etiam propter cooperationem praecise, peccant sine dubio (nisi aliqua necessitate excusentur); pecunia sua enim efficaciter ad illa edenda et sustinenda concurrunt. Marc (*l. c.*). Neque a cooperatione ista simpliciter quoque ea ementes prorsus immunes sunt.

(L).

Circa sectam massonicam.

279. *Quid de sectario, qui ad bonam frugem in corde suo reversus fuerit; sed, recessus a secta externam demonstrationem facere non audens, ei adhuc participet?* R. Participare *quovis modo*, atque adeo actibus quoque intrinsece malis, certe non licet. De hoc habemus sequens decretum: « Quaesitum fuit, utrum ii (sectarii) « quos, licet emissi iuramenti poeniteat, communicando « tamen cum caeteris eiusdem sectae adhaerentibus, vel « eorum conventicula adeundo, vel *alio quovis modo* ve- « ros eiusdem societatis cultores se palam exhibere perse- « verent; ad Poenitentiae aut SS.mae Eucharistiae partici- « pationem legitime per confessarium possint admitti? » S. C. S. O. (*5 Iul. 1837*) respondit: « *Iuxta exposita* « non licere ». Si vero participatio consistat in actibus non intrinsece malis; tunc observandum ex una parte quantum emolumentum sectae, quantum periculum individuo, et quantum scandalum proximo ab illa externa permanentia obveniat; et ex alia quanti momenti sit causa, quae prompto et totali recessui obstet. Si serio de morte timendum esset (quod tamen hodie non ita facile accidit), videtur sufficere quod individuus, non obstante aliquo scandalo, pedetentim (praetextus in medium adducendo) concursum imminuat et se liberet. Cf. D'Annibale (*Comment. 107 not. 9*).

280. *Quid de artificibus facientibus signa massonica, aut aulam pro sectariorum conventiculis (apponenda signa etc.) aptantibus?* Aptatio aulae est cooperatio satis proxima, et minor est sola confectio signorum massonicorum quae solum indicant talem vel talem esse massonem, imo non raro adhibentur etiam a non massonibus. Caeterum sola causa ordinaria lucri non sufficeret. Cf. *Monitore* (*XIII pag. 326*).

281. *Quid de locatione domus sectariis; inibi vel 1° propria conventicula habentibus, vel 2° typographiam*

in illa constituentibus, vel 3° proselitismum in loco facientibus? In primo et secundo casu non licet. In tertio (si nempe domus locaretur familiae, in qua adesset *aliquis* sectarius proselitismum faciens) decisio pendet a scandalo; si enim de loco adhuc praeservato ageretur, non liceret.

(M).

Circa spectacula, quae prima Dominica Quadragesimae apud nos, iam inde a primis annis invasionis Ditionis Pontificiae, locum habent.

282. I. Spectacula ista (v. g. choreae, theatra, cursus cum larvis etc.) sunt illicita, neque adhuc excusantur consuetudine; sanior enim christifidelium pars tamquam magnam Quadragesimae profanationem ea semper considerat atque abominatur.

II. Qui ex animo ad haec spectacula paranda concurrunt, aut in ipsis partem activam habent, formaliter (aut saltem magnopere) cooperantur et proinde graviter delinquunt. Huiusmodi sunt qui stant in curribus, personati incedunt, flores vel dulciaria iaciunt, choreas ducunt, theatrum adeunt etc.

III. Qui non ex animo, sed ad molestias evitandas, aliquid contribuunt, materialiter dumtaxat et parum cooperantur, unde culpa expertes esse possunt.

IV. Qui denique ex curiositate spectacula mere aspiciunt, etsi a culpa excusari nequeant, tamen non graviter delinquere existimantur.

(N).

Circa violationem legis ieiunii et abstinentiae a carnibus.

283. Quum hic non agatur de delicto contra legem naturalem vel divinam, et recusatio cibos suppeditandi ut plurimum nihil vel fere nihil impeditura esset, causae minoris momenti cooperationem excusare solent.

Loquendo imprimis de suppeditatione cibi vetiti *quoad caupones*, ita scribit Lhemkuhl (*I 677*) : « Relate ad car-
« nes praebendas diebus esurialibus, hodie generatim haec
« statui possunt, saltem in iis regionibus, ubi multi pas-
« sim hospites accessuri sunt, qui petant carnes, sive
« excusati sint sive non :

« I. Etiamsi dispentatio generalis cauponi data non
« sit, licebit petenti carnes dare : nam odiosum est (et
« occasio iurgii) inquirere utrum habeat petens causam
« necne; imo hoc inquirendi modo multos (sine ullo fructu)
« non sine gravi damno a se retraheret.

« II. Imo, si cauponi iam constet, plerosque hospites
« carnes esse petituros, licebit carnes ex sese offerre, modo
« accumbentibus ad mensam optio detur ciborum esura-
« rialium et carnium. Potius tamen dispensatione quaesita
« sibi providebit ». Ita sentit etiam Marc qui (*n. 522*) subdit : « In praesenti rerum statu impossibile est, saltem
« in multis locis, officium cauponis aliter exercere ».

Sed quid si caupo experientia cognovisset neminem aut fere neminem cibos esuriales velle, et proinde illos emere non soleat? Quid, inquam, si, praeter praevisionem, hospites insoliti, qui forsan legem Ecclesiae servaturi essent, ad illum diverterent? R. Petat quid velint; et, si cibos esuriales peterent, respondeat se tali vel tali modo dumtaxat mensam plus vel minus esurialem (v. g. ex piscibus desiccatis, ovis, caseo, pomis etc.) eis parare posse.

284. Quid de *famula*, vel *uxore*, vel *matre*, si ad instantiam heri, vel mariti, vel filii, cibos vetitos pararent, dum iam certe isti nulla legitima causa excusentur? Possentne licite hos cibos parare?

Quoad famulam affirmat S. Lig. (*II 69*), si absque aliquo notabili incommodo se eximere non posset. Recte autem observat Marc (*I 521*) quod in praxi incommodum istud raro aberit. Ipsa autem mutatio servitii ut plurimum grave incommodum implicat, et periculis longe maioribus subiici posset. Iuxta Frassinetti (*Diss. V 18*) excusaretur etiam famula, si spirituali illius familiae bono valde utilis esset. Quamvis etiam herus manducaret in contemptum

Ecclesiae, non ideo praeciperet ut famula in eundem contemptum cibos pararet. Croix (*II 257*).

Uxor, postquam bonis modis ad legis Ecclesiae observantiam maritum inducere frustra procuraverit, facilius quam famula excusabitur; ipsa enim ex una parte discedere nequit, et ex alia discordia inter maritum et uxorem gravissimum malum est, pessimasque consequentias habere posset.

Mater vero difficilius excusabitur; illa enim imperium super filium habet, et ex munere proprio illius peccata impedire tenetur. Nihilominus si, firmiter recusando, maiora mala provocatura esset (prout contingere posset si hoc esset in causa cur filius semper aut saepe blasphemaret, vel ad cauponam diverteret, ibique ludi, ebrietatis etc. vitia contraheret); tunc ipsa quoque in casu extremo cibos vetitos parare posset. Cf. Lugo (*De fide XIV 168*), qui etiam ad declinandos clamores, et graves querelas domesticas, id permittit.

Observandum est etiam quod uxores et matres scandali magnam rationem habere debent; si enim adessent alii in familia, et ageretur de abusu introducendo comedendi carnem die vetito per totum annum; tunc causa longe maior exigeretur, et contingere posset quod blasphemiarum et alicuius discordiae periculum parvipendi deberet, ne futurum sit ut legis Ecclesiae observantia in familia tota perpetuo cesset.

285. Loquendo autem de sola violatione ieiunii, quin carnes apponantur; cooperatio, tamquam remota vel remotissima (et etiam quia difficile sciri poterit quod quis abundantiori cibo ea vice non indigeat), multo facilius a quavis culpa immunis erit. Hinc plures censent quod hospitans etiam in coenula parare possit mensam abundantiorem hospiti, ne pro parco et avaro habeatur. Lhemkuhl (*I 674*).

Caeterum recole supra dicta (*n. 212*), et Cf. Sanchez (*I.* VII *34*).

(O).

Circa profanationem festorum.

286. Exigere (sine necessitate) ut artifex perficiat opus, quod, nonnisi laborando die festo, perficere possit, certe non licet. Si vero artifex ex sola malitia sua die festo laboraturus esset, tunc qui operam ei dat, ordinarie culpae particeps minime erit. Croix (*II 260*). Attamen, quamvis artifex ex propria malitia omnino laboraturus foret, non ideo (seclusa necessitate) praecise ad laborandum illo die eum sollicitare liceret. Croix (*l. c. 259*).

§ III.

Casus cooperationis circa sacrilegia.

287. I. **Administrare sacramenta indignis.** Conficere sacramentum cum plena certitudine invaliditatis est intrinsece at absolute malum. Administrare autem sacramentum validum subiecto indigno, intrinsece et absolute malum minime est. Sacerdos enim ex parte sua facit opus bonum; et neque determinat ad sacrilegium (non enim iubet, suadet etc.), neque ponit actionem ex qua sacrilegium ipsum necessario sequi debeat; unde scripsit Lugo (*De Sacr. in gen. VIII 181*): « In petitione indigna, in « accessu ad altare, in promptitudine quam Eucharistiam « petens ostendit ad accipiendum sacramentum; hoc totum « non pendet a sacerdote, ut constat. Postea vero subse- « quitur indigna sumptio, qua aperit os, et deglutit Eucha- « ristiam; et haec etiam non sequuntur necessario ex « actione sacerdotis; nam, licet sacerdos offerat Euchari- « stiam non cogit ad aperiendum os; potest enim ipse « recedere; item, licet sacerdos ponat Eucharistiam in ore, « potest ipse conscius suae indignitatis non deglutire etc. ». Imo (ego addo) potest actum contritionis elicere, et sic sacrilegii consummationem evitare. Actio itaque sacerdotis non est vera causa sacrilegii; bene vero sola occasio, et

in se est opus bonum, quo alter abutitur ad sacrilegium perpetrandum. Praeviso autem hoc abusu, regulariter quidem (tum ad vitandum peccatum proximi, tum ad consulendum reverentiae sacramenti) abstinendum erit ab administratione ; sed non quando ex hac recusatione mala maiora (v. g. magna alienatio christifidelium a sacramentis) secutura essent, prout contingeret si peccatores et impoenitentes occulti publice repellerentur.

II. **Petere sacramenti administrationem vel Missae celebrationem a sacerdote indigno (qui scilicet in peccato mortali vivere solet), aut illius Missae inservire ;** haec *practice* (scilicet ut plurimum) tamquam licita haberi debent ; quum enim in se sint honestissima, obligatio abstinendi ex sola charitate oriri posset, Quum autem sacerdos, si velit, possit facile se in Dei gratiam constituere; et nihil vel fere nihil spiritualis subsidii (abstinendo a dicta petitione) ei praebeatur ; et aliunde, non petendo vel recusando, incommodum aliquod ordinarie subsistat ; difficile est quod obligatio charitatis (maxime si de parocho proprio ageretur) vere urgeat. Adde quod res ista nimiis scrupulis obnoxia esset, et obligatio periculum includeret huiusmodi opera bona imminuendi. Ita sentiunt theologi plures, imo in substantia fere omnes. Vide S. Lig. (*VI n. 88. 89*).

III. **Contrahens matrimonium cum peccatore** et impoenitente (etiam publico), vel cum excommunicato tolerato, vel (habita dispensatione) cum haeretico, non peccat; incommodum enim recedendi a nuptiis convenientibus et iam praeparatis semper censetur causa sufficiens ut contrahens excusetur. Cf. Lugo (*l. c. n. 220.230*).

288. « *Quomodo se gerere debent parochi in celebratione matrimoniorum illorum, qui* ***notorie*** *in ecclesiasticas censuras inciderint?* » S. Poenit. (*10 Dec. 1860*) respondit: « Curandum pro viribus ut ecclesiasticis « censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur; aut si reconciliari recusent, et nisi matrimonium « celebretur, gravia inde damna imminere videantur, parochus Ordinarium consulat, qui habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis, quae a proba-

« tis auctoribus et praesertim a S. Alphonso (*L. VI n. 54*)
« traduntur, ea declaret, quae magis expedire in Domino
« iudicaverit, exclusa tamen semper Missae celebratione »:
S. Ligorius autem (*l. c.*) dicit, sufficientem assistendi causam esse quoque, si secus graviora damna ipsis contrahentibus obvenirent, puta, si secus perseveraturi essent in peccato. Et Lugo (*De Sacr. in gen. VIII n. 219*) scripsit: « Si (parochus) posset facile petentem admonere
« et removere ab ea indigna receptione sacramenti, debe-
« ret utique ex lege charitatis id facere; persistenti autem
« et volenti contrahere matrimonium, non potest assisten-
« tiam debitam subtrahere ». Atque ita hic auctor supponit quod ex denegatione assistentiae gravia inconvenientia semper essent pertimescenda; et proinde quod causa ab hac cooperatione excusans (exhortationibus frustra adhibitis) practice semper adesse censeatur.

289. « *Quomodo se gerere debeant Episcopi et pa-*
« *rochi, si quis ex supra dictis censura innodatis, se*
« *sisteret, ut in sacramenti sive confirmationis, sive ba-*
« *ptismatis patrinum agat?* R. « Ut in praecedenti ».
S. Poenitentiaria (*l. cit.*).

§ IV.

Casus cooperationis in peccatis contra sextum praeceptum.

290. *Quoad comoedias, picturas, photographias, litographias, statuas, cantilenas, scripturas, editiones typographicas, et choreas sive valde et absolute obscoenas, sive (prout est casus communior) inverecundas et solum aliquantulum obscoenas.* Ad solutionem casuum plurimorum, qui his in rebus contingere possunt, maxime deserviunt sequentia.

I. Haec sunt mala non intrinsece et absolute (nisi quis provocet ad malum directe) sed solum ratione finis, vel periculi, vel scandali, causâ sufficienti minime cohonestante. Scripsit Sanchez (*De Matr. IV.* XLVI *34*): « Ver-
« ba turpia proferre, scribere, vel audire, non sunt intrin-

« sece mala.... Verba turpia, cantiones, gestusve posse « per accidens esse peccata *mortalia* ratione scandali ad- « stantium; et cum audientes sunt spiritu debiles, et verba « aut cantica aut gestus sunt *valde* lasciva ». Cf. etiam S. Lig. (*III. 426*).

II. Magna differentia fieri debet inter praedicta, secundum quod sint obscoena valde aut parum vel solum inverecunda. Scripsit S. Lig. (*II 56*): « Graviter peccant « pingentes sive exponentes publice imagines obscoenas, « scilicet detectis pudendis, sive tenui velo coopertis...... « Secus si, detectis aliis partibus, pudenda tegantur »; qua de re vide apud Salmant. (*XXI.* VIII *64*), et Diana (*XII.* LXIII) plura notatu digna. Sanchez (*l. c. 41*) dixit: « Componentes aut repraesentantes comoedias, quae res « *valde* turpes ac ad venerem excitantes continent, pec- « care mortaliter....; secus autem minime esse reos culpae « lethalis » Pariter S. Lig. (*III 428*) peccatum mortale semper restrinxit ad comoedias *turpes notabiliter*. Idem dic de canticis. « Facientes *turpes* cantilenas *plenas lasci-* « *viis* dicit merito peccare mortaliter D. Antoninus » Sanchez (*l. c. 41*). Denique quoad choreas dicit Lhemkuhl (*I 643*): « Choreas, in quibus, ratione nuditatis, gestuum « etc. aliquid notabiliter inhonestum externe agitur, insti- « tuere easque promovere, graviter peccaminosum est. Si « vero haec non occurrant, licet timeantur plurium pec- « cata occasione chorearum patranda, gravi peccato obno- « xii dici per se non possunt, qui eas instituunt, locum « concedunt, ut caupones, etc. ». Cf. etiam Gury (*I 256*).

III. Si de rebus non aliquantulum sed graviter turpibus agatur, causae excusantes difficile quidem, sed aliquando dari possunt in concursu mediato et etiam immediato.

291. De concursu mediato scripsit S. Lig. (*III 427*): « Num graviter peccent omnes qui pecunia ad huiusmodi « comoedias notabiliter turpes concurrunt, etiamsi sine « ipsis comoedia repraesentaretur?... Censeo affirmandum... « nisi fiat ex gravi causa necessitatis vel utilitatis. Et « idem recte dicit Holzman de iis, qui ex officio impedire « tenentur, vel etiam qui alias impedire commode possent.

« Non damnarem vero de mortali simplices spectatores « (praeciso periculo turpis delectationis) ».

292. De concursu immediato scripsit Tamburini (*Dec. V.* I *28*): « Si tanta esset pictoris vel hystrionis (repraesentantis *valde* turpia) necessitas, ut eo lucro indigeret « ad victum vel quid simile, non recusarem semel aut « iterum licere...., donec alia vivendi ratio diligenter con« quirenti non aperitur ». Casus practicus dari potest, speciatim comoediis iam incoeptis, in eo qui aliud sustentationis medium pro se et familia minime haberet, maxime vero si ageretur de uxore quae cum proprio marito recitaret. Oporteret tamen ut meliori modo possibili malum et scandalum (quod caeteroquin, etiam recedendo, non impediretur) imminuere satageret. Cf. Lhemkuhl (*I 668*).

Quoad typographos et librorum venditores sume regulam ex dictis supra (*n. 272 et seqq.*).

293. *Potestne pictor vel photographus facere imaginem alicuius, de qua praevidet abusum?* Ex sola causa exercendae suae artis et ne quaestiones cum suo detrimento in medium adducat, imaginem facere potest, dummodo sit honesta, neque actu ipso illam petendi adsint vel dentur signa expressa et manifesta abusus. Signa huiusmodi intervenirent, v. g. si iuvenis peteret imaginem mulieris coniugatae, simulque secretum exigeret et tamquam favorem specialem non facile a quovis alio obtinendum tale servitium postularet (maxime vero si pictor vel photographus ipse, praetextus in medium adducendo, rogare deberet foeminam illam ut imaginis suae confectioni consentiret). Tunc solum motivum lucri (etiam abundantioris) certe non sufficeret ordinarie. An autem ad gravia damna evitanda, subinde applicari posset doctrina Tamburinii, qui valde benigne loquitur (ut mox supra vidimus), iudicent alii. Cf. Diana (*VII.* LXII) et Sanchez (*Dec. I.* VII *40*).

294. *Quid de pictoribus pingentibus Veneres vel similes imagines*; *et quid de mulieribus quae pro exemplari* (*it.* modello) *se praestant?* De re ista egi in tractatu *De Occasionariis* (*n. 269*), et aliquid dicam infra (*De sexto praec.*), ubi de aspectibus et nuditatibus.

295. *Confectio vestis inverecundae, et suppeditatio fucorum vel ornamentorum foeminae abusurae.*

Vestes inverecundas (quae scilicet pectus usque ad partem uberum detectum relinquunt, *ubi talis non est mos*) sponte conficere, suadere, vel ad venditionem publice exponere, non licet; et culpa gravis esse posset, nec quae supra dicta sunt de picturis ad has veras nuditates applicari possunt, valde magis enim movent vera quam picta.

Praedictas vestes autem conficere ad instantiam, sarcitricibus publicis propter timorem amittendi adventores, facile licet; multo magis quia persona, ope subvestis, quae tegenda sunt, semper tegere poterit, si velit. Cf. Lhemkuhl (*I 672*).

Fucorum vel ornatuum honestorum venditio, praeviso quoque abusu, venditoribus publicis ex causa modo dicta pariter ordinarie licet. Cf. Frassinetti (*Dis. V 15*).

Dixi *sarcitricibus et venditoribus publicis;* qui enim artem proprie non exercent, neque vestem inverecundam, neque (praeviso abusu, scilicet incitamento ad fornicationem) fucos et ornatus suppeditare possent, nisi ipsi quoque speciali iusta causa (qualis certe esset quodlibet damnum et incommodum grave) excusarentur. Quaeritur autem an iusta causa reponenda sit etiam in sola inutilitate recusationis, quatenus, uno recusante, alii statim, qui fucos et ornatus suppeditarent, praesto essent?

Ego censeo recusandi obligationem certe remanere, si persona quae praesto erit, ipsa quoque commode recusare posset atque deberet. Cf. Vindicias Alphons. (*I.* II *q.* VIII). Sed in aliis quoque casibus levis aliqua obligatio superesse videtur; mihi enim magnam vim faciunt sequentia Sanchezii verba (*Dec. I.* VII *16*): « Ducor ad credendum esse culpam venialem: quia semper est probabile, « minori libidine, aut minori extensione aut facilitate, aut « breviori tempore, aut paucioribus actibus fore ut alter « peccet, me hic et nunc non ministrante materiam, quamvis alii essent ministraturi; et saltem mea cooperationis « negatio est quoddam monitionis genus, quo proximus, « si non a peccato praesenti, potuisset saltem a futuro « revocari ex huius negationis memoria ». Subdit tamen

quod causa minor, quamvis forte nec urgens nec gravis esset, ab huiusmodi culpa veniali excusare poterit.

296. *De recursu ad concubinam ut aliquid honestum ab eius concubinario obtineatur.* Casum habes, v. g. in recurrente ad concubinam iudicis, ut iustam sententiam obtineat.

Recursum istum nulla necessitate cohonestari et esse intrinsece malum sentire videtur Sanchez (*Dec. I.* vii *38*). Sed ego censeo posse esse licitum. Ita sentit etiam Diana (*VII.* v *4*) qui citat Palao et Hurtado, quibus accedit Tamburini (*Dec. V.* i *23*). Ratio est quia concubina potest id petere ab amasio sine peccato, et sine incremento turpis amoris. Illud unum concedendum est quod, si concubina non conviveret cum concubinario, atque ad illum pro hac petitione accedere deberet, accessus iste peccati periculum includere posset. At vero ne tunc quidem recursus esset illicitus absolute; sed solum causa urgentior necessaria foret.

297. *De puella acceptante munera, quae prava intentione illi dantur.* Quamvis protestaretur se nolle consentire, peccaret illa acceptando. Excipe 1° si iusta causa quoque immisceretur (v. g. tractatus matrimonii); 2° si prava intentio non esset certa; 3° si munera per tertiam personam missa, aut coram aliis data fuissent sub colore honesto, nec respui possent absque infamiae propalatione. Cf. Tamburini (*Dec. VII.* v *48-52*).

298. *De concedente cubiculum cum fornicationis intentione petitum.* Si fornicatio alibi non accideret vel non ita facile (quod semper intervenit si factum occultari velit et secretum exigatur, atque ita lenocinii species efformetur); tunc neque ex amicitia, neque propter praemium vel mercedem, neque a persona privata, neque a caupone cubiculum praestari posset. Periculum tamen magni damni excusationem sufficientem constituere poterit. Cf. Suarez (*Dec. I.* vii *31*), Diana (*VII.* v. xlviii), Lhemkuhl (*I 677*) et Marc (*522. 3*).

299. *De cooperatione ad meretricium.* In hac materia casus fere omnes resolvi posse videntur ex sequentibus principiis.

I. Suadere directe peccatum (ut scilicet quis voluntatem peccandi concipiat) nunquam licet.

II. Suadere minus malum habenti iam obstinate voluntatem committendi maius malum, licet (v. g. si omnino vis peccare cum mulieribus, pecca potius cum meretricibus). Cf. *n. 182.*

III. Ponere, etiam ex industria, occasionem peccati, ad maiora mala evitanda, pariter licet (Cf. *n. cit.*). Tunc tamen non plus occasionis ponere fas est, quam stricte necessarium sit, ut dicta mala evitentur.

IV. Statuere lupanar est ponere occasionem peccati; sed in magnis civitatibus communiter id expedire censetur ut maiora mala evitentur: ut scilicet 1° viri effraenati, eundo ad meretrices, foeminas honestas minus tentent, unde D. Th. (*De Reg. Princ. Op. XX*) dixit: « Hoc facit « meretrix in mundo, quod cloaca in palatio. Tolle cloa- « cam et reples foetore palatium »; 2° meretrices non sint huc illuc in civitate, sed in unico loco viliori (ubi minus noceant) coadunentur (Cf. *n. 185*).

300. *Quid de lenis et lenonibus?* Si provocent ad meretricium praecise, peccant sine dubio. Si vero foeminam iam domi suae meretricium cum maiori scandalo exercentem provocent, ut potius ad lupanar se conferat; tunc (theorice loquendo) valere possent principia mox supra (*n. 299 II. III*) exposita; sed in praxi res est plena periculi, ut per se patet. Potius lenae et lenones vigilare an aliquae meretricium clandestinum exerceant, easque publicae auctoritati denuntiare possent; a qua ut vel desistant vel ad lupanar se conferant forsan cogentur.

301. *Quid de tenentibus lupanar?* Hi certe peccant 1° Si per se, vel per lenas aut lenones, provocent mulieres (saltem si non sint meretrices) ut lupanari se addicant. 2° Si meretricem resipiscentiae desiderium ostendentem ad remanendum incitent. 3° Si meretrices positive impellant ad peccandum, vel ad magis peccandum, eas v. g. corrigendo, castigando etc. si aliqua vice se praestare nollent. 4° Si meretricibus pecuniam mutuam darent, vel eas mulctis pecuniariis gravarent, vel ad magnas expensas inducerent, eo praecise fine ut in lupanari remanere, ibi-

que magis magisque peccare cogantur, ut debita solvant. His quippe modis peccata directe intenderent et praecise vellent. Peccarent etiam 5° si allectamenta excessiva ponerent vel non impedirent; permittendo, v. g. in lupanari choreas, epulas, vel etiam simplicem ciborum aut vini venditionem; vel sinendo ut meretrices (speciatim novae vel iuniores et pulchriores) theatra vel publica deambulacra vel stationes ferroviarias etc. frequentent, aut sive in ianua sive e fenestris viros advocent, aut transeuntibus indecenter vestitas se ostendant, aut in statu ebrietatis extra lupanar maneant etc. 6° Si prope Ecclesias, vel domos educationis, vel cauponas, vel alia loca ad quae multi divertunt, aut in viis principalibus magis frequentatis, aut sive ruri sive in parvis oppidis, lupanar constituerent. 7° Si opportunas non adhiberent cautelas, quibus non appositis, transeuntes nefanda conspicerent. 8° Si puellas honestas et iuniores ad famulatum in lupanari adhiberent.

Quum autem qui tenent lupanar, potius quam solliciti sint de cautelis adhibendis, ut occasio peccati quantum utiliter fieri potest restringatur, curare e contra ut magis magisque extendatur, et omnibus modis peccata et corruptelam quaerere soliti sint, ut lucrum faciant; hinc Sanchez (*Dec. I.* VII *32*) rectissime scripsit: « Patronos meretri- « cum difficillimo negotio posse absolvi »; idque patet etiam ex magna infamia cui subiici solent.

Attamen certe possunt ministrare meretricibus ea omnia quae cum peccatis connexionem non habent, scilicet cibos, vestes necessarias etc., ut ait Sanchez (*l. c.*). Nec videntur condemnandi, si stricte se gerant iuxta normas quae iudicio Principis et communi virorum politicorum aestimatione, ad maiora mala evitanda necessariae vel opportunae fuerint iudicatae; ut puta, si non solum pro viris infimae plebis vilissima et sordida lupanaria teneant, sed etiam alia politiora, quibusdam scilicet classibus servatis.

De meretricibus et lupanaribus expedit ut Parochi cognoscant ea quae, ad excessus coercendos, a Gubernio statuuntur. Pro Italia vide quae exponuntur in *Theologia Pastorali* (*Ed. III n. 555*).

302. Quid de locantibus domum meretricibus? Respondet S. Lig. (*II 72*): « In civitatibus, in quibus vitandi

« maioris mali causa permissum est, licet domum locare « meretricibus (maxime si alii conductores desint); nisi « tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel « ob situm ansam maiorem darent peccatis ». Sacerdotes tamen atque etiam familiae nobiles, si domum meretricibus locarent, magnum scandalum praebere possent. In re ista observandae forent etiam leges dioecesanae si forte adessent.

303. *De aurigis deferentibus meretrices vel concubinas, vel alios delinquentes, ad locum, quo ad malum perpetrandum se conferunt.* In hoc puncto magna discrepantia reperitur apud auctores, ut videre est apud S. Lig. (*II 75*), Salmanticenses (*XXI.* VIII *72*), Lhemkuhl (*I 661*), Marc (*521*) etc. Vera decisio pendet a circumstantiis. Si agatur de delatione clandestina et sub specie complicitatis; tunc sola coactio (delicto proportionata) excusare poterit. Praescindendo ab hoc casu; imprimis illi aurigae publici, qui ex officio unumquemque petentem vehere tenentur, semper excusantur. Alii etiam, propter incommodum sese immiscendi in causam itineris, damna et iurgia quae facile sequerentur, inutilitatem recusationis etc., ut plurimum excusabuntur. Quod tamen aliquando, attenta gravitate casus (v. g. si de homicidio ageretur), speciali facilitate recusationis, eiusque efficacia ad delictum impediendum etc., contingere possit ut operam propriam (ex charitate) denegare debeant, omnino admittendum est.

304. *De famulis dominorum suorum peccatis cooperantibus.* Si famulus, ad obsequendum hero, puellam ad peccandum cum illo induceret; vel ope mendacii efficeret ut in perfidissimis insidiis remaneret; vel si herum ad adulterium vel stuprum perpetrandum proficiscentem comitaretur manu armata, paratus etiam ad iniuste occidendum etc.; vel denique si utcumque ex animo ad delictum propenso herum adiuvaret; tunc actiones intrinsece et absolute malas, uti patet, haberemus.

305. Quid si famulus cogeretur dicere puellae (nihil mali suspicanti) quod herus suus illam alloqui vult in tali loco (dum famulus ipse cognoscit, eam illuc esse claudendam et stuprandam)? Internuncium istud intrinsece et

absolute malum esse dicerem; in invitationibus enim et internunciis semper subintelligitur nullum dolum subesse; et proinde internuncium in casu mendacium, et quidem damnosissimum (etsi tacitum), includeret. Ad summum concedi poterit, ut, metu mali proportionati, famulus internuncium quidem exequeretur; sed significando illud insidiosum esse et non attendendum. Lhemkuhl (*I 670*).

Si herus rogaret famulum ut pro tali vel tali delicto illum adiuvaret, et famulus consentiret; iam huiusmodi contractus ad complicitatem constituendam sufficeret; et vix magna coactio interdum excusare posset.

Complicitas famuli oriri potest etiam sine contractu expresso, si nempe herus peteret actiones, quae per se ipsas complicitatem implicarent; ut puta, si famulus deberet, v. g. excubias agere dum herus cum amasia moratur illumque admonere si aliquis superveniat, aut secreto informationes capere circa locum et tempus, in quo talis puella sola inveniri possit; aut cubicula secreta quaerere; aut, dum herus per fenestram ad fornicandum (maxime vero ad stuprandam puellam honestam) ascendere vult, scalam applicare vel humeros ei subiicere; aut (cognita prava heri intentione) munuscula, litteras vel internuncia frequenter aut clandestine mulieri deferre etc. Pro actionibus huiusmodi nec sola ratio famulatus, nec motivum lucri sufficere potest; bene vero stricta coactio, scilicet timor damni gravis (et subinde gravissimi) exigitur. Notandum est autem quod minae non semper veram coactionem constituunt; quid enim si famulus sciret herum suum esse de iis qui semper minitantur et nunquam minas exequuntur?

Imo S. Lig. (*II. 65. 68*) aliique censent quod deferre munera, internuncia, vel litteras amatorias, sit intrinsece malum, ita ut proinde ne metu mortis quidem liceat. Idque a fortiori si ad modum secretarii vel amanuensis litteras famulus ipse manu propria conscriberet. Censent insuper, idem esse dicendum etsi famulus versaretur in dubio, an litterae ad concubinam missae turpia vel amatoria continerent; hoc enim (aiunt) semper praesumitur. At vero si esset intrinsece malum huiusmodi litteras deferre, tunc

nequidem publici litterarum diribitorii officiales illas (etsi inscriptas it. *raccomandate*) tradere possent. Aliunde sollicitatio ad malum formalis et directa procederet semper ab hero et non a famulo, qui ex una parte solam occasionem poneret (exponendo sensus non proprios sed alterius), et ex alia amasiam ad peccandum nullo modo cogeret; ipsa enim posset (si vellet) litteras non aperire vel comburere vel despicere, et pariter internuncium contemnere, munera recusare, aut (iis quoque acceptatis) mittentis fini non consentire etc. Cf. Ballerini (*I ad n. 251 q. 4º q. 5º*), Lhemkuhl (*Compend. n. 299*) et Palao (*I De char. VI.* VI. XI *7*).

306. Quid de actionibus, quae complicitatem non praeseferunt, ut puta, si famulus iussu heri ad peccandum proficiscentis equum et currum pararet; aut sive illum sive amasiam simpliciter comitaretur, vel curru duceret; aut amasiae advenienti ianuam aperiret, facem deferret, coenam disponeret; aut sive ipsi, sive uxori mere civili, lectum sterneret; aut quaerentibus herum (qui tunc cum amasia clandestine commoretur) non indicaret ubi sit: aut heri iussu librum obscoenum vel imaginem turpem deferret vel emeret; aut heram meretricem ornaret; aut, quoad crimina diversi generis, praedicta vel similia praestaret? Heic quoque confusio invenitur apud theologos; agentes enim de actionibus istis (in materia contra sextum) aliqui sine ulla distinctione dicunt, eas (saltem magna ex parte) famulis sola ratione famulatus esse licitas. Cf. Tamburini (*Dec. V.* I § IV *18*) et Salmanticenses (*XXI.* VIII. V *72*). Plures autem id concedunt de aliquibus actionibus, v. g. parandi equum, aperiendi ianuam concubinae advenienti, ministrandi mensae, sternendi lectum, non indicandi (ut supra) ubi herus sit, heram ornandi etc.; non vero de aliis, v. g. comitandi, et speciatim curru ducendi herum vel amasiam, emendi vel tradendi imaginem eroticam aut librum obscoenum etc.; pro quibus, non solam rationem famulatus, sed alias circumstantias (scilicet aut inutilitatem recusationis, aut speciale damnum vel incommodum) exigunt. Cf. Sanchez (*Dec. I.* VII *22. 24. 30*), Lhemkuhl (*I 671. 668*) et Gury cum notis Ballerinii (*I 250. 251*).

Ego censeo, accuratam et tutam horum et similium casuum solutionem dari posse solum considerata facti specie cum omnibus suis circumstantiis, sumendo regulam a solitis principiis *utilitatis*, *facilitatis* et *necessitatis* recusationis. Videndum scilicet imprimis an famulus, operam suam recusando, malum impedire possit totaliter aut notabiliter, simulque an facile et sine notabili damno vel incommodo illam recusare valeat. Quod haec duo simul concurrant, nonnisi casus rarus esse potest. Grave incommodum enim pro famulo non solum oriri posset ex timore expulsionis, sed etiam ex malis tractationibus dum interim in illa domo remanebit. Attamen, speciatim si herus non esset firmus in voluntate peccandi et de tentatione fortuita ageretur, maxime vero si senectute vel infirmitate confectus e suo cubiculo moveri nequiret; vere contingere possunt casus, in quibus famulus utiliter simul et facile se eximere valeat; et tunc (forte etiam foeminae vocatae ianuam non aperiendo) operam suam (ex charitate) recusare deberet. Si autem famulus, recusando, malum quidem impediret, sed ipse gravibus damnis vel incommodis obviam iret; tunc ordinarie se praestare poterit. Dico *ordinarie;* non enim quodlibet incommodum (quod aliquo modo grave dici possit) excusaret, v. g. si herus exigeret ut famulus illum deferret ad duellum, furtum, vel homicidium perpetrandum, vel ad stuprandam puellam honestam etc.; tunc enim recusatio cooperationis nimis necessaria foret. Cf. Sanchez (*l. c. 22*).

307. *De cooperatione uxoris in casu viri onanistae.* Supponendo quod uxor hanc inordinationem nec quaerat nec amet, sed detestetur, et consentiat quidem copulae sed non onanismo; illius cooperatio non est formalis, et gravi de causa (quae in praxi facile intervenit) excusatur. S. Poenitentiaria (*13 Nov. 1816*) dixit: « Probati castigatique theologi (*inter quos* Sanchez *IX.* XVII *3, et* S. Lig. *VI 947*) in hoc consentiunt, ut uxori liceat *debitum reddere*, si ex eius denegatione male habenda sit a viro suo, et grave inde incommodum sibi timere possit; neque enim, aiunt, hoc in casu censetur uxor viri sui peccato formaliter cooperari, sed illud tantum-

« modo ex iusta et rationabili causa permittere ». Et Gury (*Cas. consc. Vol. II 1117*) subiunxit: « Neque necessa-« rium est ut uxor pessimum exitum timeat ex denega-« tione debiti ad illud concedendum; sed satis est ut « reformidet grave incommodum quodcumque, v. g. si vir « cessaret dare signa amicitiae, aut se ostenderet valde « offensum; tunc enim eius consortium fieret ingratum, « et magnum incommodum pro uxore tractu temporis in-« duceret ».

Circa autem *debiti petitionem*, S. Lig. (*l. c.*) dixit quod « uxor iustam causam habebit, si ipsa esset in peri-« culo incontinentiae, vel si deberet alias privari suo iure « petendi plusquam semel vel iterum, cum perpetuo « scrupulo an ei sit satis grave incommodum, necne, tunc « se continere ».

Sed de re ista sermo redibit ubi de debito coniugali ex professo agam.

§ V.

Varii alii casus.

308. *De indicationibus ad delictum deservientibus.* Indicare ubi sit homo qui ad necem quaeritur, quamvis non sit intrinsece et absolute malum, tamen vix ex causa gravissima et cogentissima, v. g. mortis vitandae (non vero cuiuslibet lucri motivo) licere potest. Lig. (*II 71*). Indicare autem ubi sit lupanar, licere potest ex causa minori, quidquid dicat Marc (*I 521*).

309. *De porrigentibus vinum iis qui praevidentur se inebriaturi.* 1° Incitare ad ebrietatem praecise, est intrinsece malum; 2° secluso tali incitamento, cooperatio est materialis; sed, ut licita sit, causa proportionata exigitur; 3° Decisio de existentia causae proportionatae pendet a circumstantiis. Do exempla.

Quoad caupones solum motivum parvi lucri (quia scilicet talis vel talis ebriosus vini petiti pretium solvit) non sufficit. Sufficit tamen alia causa mediocriter gravis (Lhemkuhl *n. 673*); cuiusmodi esset si alias notabiliter laederentur

in diminutione emptorum S. Lig. *II 70*), aut si blasphemias et iurgia gravia (recusando) timere deberent (Gury *n. 255* et Lhemkul *l. c.*).

Loquendo autem generatim sive de cauponibus, sive de famulis, sive de uxoribus, sive de amicis amicos ad mensam invitantibus, dicendum videtur quod primitus dare possint vinum petitum et prout de more (etsi non sine aliqua parsimonia, si de persona familiari et iam cognita tamquam ebrietati dedita res esset). Si autem abusus proximus appareat, tunc, sollicitare ad bibendum nefas erit; imo facile intervenire poterit obligatio novum vinum nequidem simpliciter suppeditandi, si alii non adsint, quibus (iuxta necessitatem vel urbanitatem) in communi mensa vinum (forte etiam magis exquisitum) suppeditare oporteat. Quod vero iam allatum (et maxime iam emptum) vinum auferri debeat, id difficile sub vera obligatione cadere poterit; nisi forte de uxore vel filio vel alia persona magnae confidentiae res esset. Valde etiam consideranda foret circumstantia scandali, ut puta, si de sacerdotibus (v. g. ruri in conviviis festorum) se perfecte inebriaturis ageretur.

Lessius (*IV.* III *33*) dixit: « Quid si grande aliquod « malum impendens non possit alia ratione impediri, nisi « inebriando auctorem, qui illud machinatur; utrum tunc « licitum sit illum inebriare? Exempla. Aliqui meditantur « proditionem oppidi in certam horam...., nec suppetit « mihi ulla facultas id avertendi, nisi eos laute excipien- « do et sopiendo per potum. Item captus a latronibus « deducor ad tabernam, et spes est evadendi, si eos ine- « briavero. Respondeo et dico: Hoc casu videri licitum « provocare ad aequales haustus et alterum inebriare..... « quia licitum est suadere et inducere ad minus malum « ut impediatur maius ». Certe (ego dicerem) liceret apponere vinum valde generosum, et desiderando ut ebrietas sequatur, ad bibendum sollicitare. Cf. dicta n. *182* et Croix (*II 224*).

310. *De iis qui habent apud se res alienas, quas si restituerent, ipsarum domini ipsis abusuri essent.* Exceptis casibus rarissimis in quibus charitas iustitiae praevaleret atque (recusando restitutionem) malum effica-

citer impediri posset (ut puta, si gladium apud te depositum domino volenti alium hic et nunc occidere denegares. Cf. Ballerini *n. 241*); exceptis, inquam, huiusmodi rarissimis casibus, non obstante praevisione abusus, res alienae restitui nedum possunt sed debent domino suo. Hoc imprimis verum est si res ipsae in se sint honestae, ut gladium, pecunia, debitum coniugale etc.; unde scripsit Sanchez (*De Matr. IX.* vi *7*): « Tenetur coniux exactus « reddere petenti (ex prava intentione vel cum violatione « voti simplicis castitatis) rem suam (scilicet debitum coniu- « gale); sicut si nummos apud alterum a se depositos « peteret ad fornicandum ». Sed verum est etiam si res alienae essent in se pravae et inhonestae; unde S. C. S. O. dixit: « Paganorum idola, quae proselytus depositi « gratia servat, suis dominis sunt restituenda ». Vide Scavini (*II 990. 6*). Et de libris prohibitis scribit Sarra (*Memoriale pag. 531*): « Si talium librorum dominus ipse « non est, reddat illos eorum dominium habenti ». Sed quid si res ereptae fuissent sectae quae nedum iisdem esset abusura, sed etiam qua talis (ut societas latronum, coniuratorum etc.) non haberet ius existendi et bona possidendi? Tunc in causis piis restitutio fieri deberet. Cf. *Monitore* (*Vol. XIV pag. 568*).

311. *Licetne petere iuramentum a peieraturo vel a iurante per falsos Deos; aut iuramentum emittere super Biblia Protestantium in tribunalibus ad hoc exhibita?* R. Ad primum et secundum affirmative, supposita iusta causa (S. Lig. *II 77*). Ad tertium S. C. P. F. (*8 Dec. 1869*) respondit christifideles relinquendos esse in bona fide; et subiunxit inquirendum esse an Biblia illa substantialiter corrupta sint. Vide Bucceroni (*Enchir. De 2º praec.*).

N. B. De cooperatione in materia iustitiae agetur in Tract. de VII praecepto.

TRACTATUS II.

De Decalogo

SECTIO I.

DE PRIMO DECALOGI PRAECEPTO.

312. Hoc praeceptum dicit : *Ego sum Dominus Deus tuus.... Non habebis Deos alienos.* Habet partem affirmativam seu praecipientem, qua imperat actus cultus veri, qui sunt praecipue *adoratio* et *oratio*. Habet partem negativam, seu vetantem, qua prohibet : 1° *Superstitionem* seu cultum falsum, sive colendo creaturas cultu divino aut honore Deo iniurioso (unde idololatria, divinatio, vana observantia, magia, maleficium, magnetismus, spiritismus, ipnotismus etc.); sive colendo Deum modo non recto. 2° *Irreligiositatem* seu irreverentias contra Deum vel in actibus qui spectant ad cultum verum (unde blasphemia, tentatio Dei, sacrilegium, et simonia). De his omnibus (excepta blasphemia, de qua agitur in II. praecepto) hic aliquid breviter.

CAPUT I.

DE ADORATIONE.

313. ***Quid est** adoratio?* Proprie est actus externus honoris divini, quo scilicet supremam Dei excellentiam et nostram omnimodam submissionem ei testamur.

314. *Quid de differentia inter adorationem et **venerationem?*** Proprie adoratio solum Deum; veneratio autem B. Virginem, Angelos et Sanctos respicit. Porro alios aeque ac Deum habere, iisque honores divinos tribuere, idololatria et maximum nefas est.

315. *Quid de differentia inter cultum* ***latriae, duliae, et hyperduliae?*** *Item inter cultum* ***absolutum et relativum?*** Cultus *latriae* (qui confunditur cum adoratione) est qui soli Deo, vel (quod in idem recidit) SS.mae Trinitati, vel Iesu Christo, vel SS.mae Eucharistiae, vel Pretiosissimo Sanguini, vel Sacratissimo Cordi Iesu etc. debetur. *Duliae*, qui Angelis et Sanctis; *hyperduliae* denique qui B. Virgini convenit.

Cultus latriae, duliae, et hyperduliae est *absolutus* si Deus, Angeli, Sancti et B. Virgo honorentur directe et in se. Est autem *relativus*, si ipsorum imaginibus, nominibus, reliquiis etc. honor tribuatur. Idem dic de cultu SS.mae Crucis et Instrumentorum Passionis, qui utique relativus est.

316. Inter actus externos quibus reverentia exhibetur plerique per se indifferentes sunt ad latriam vel duliam, v. g. genuflexio, incensatio etc. Determinantur autem (ad minus) intentione. Attamen sacrificium proprie dictum (propter significationem recognoscendi supremum vitae et mortis dominium) ad solam latriam pertinet. Aliud est de simplicibus oblationibus.

317. *Circa Sanctorum et reliquiarum cultum estne aliquid aliud notandum?*

Circa *Sanctos;* alii in album *Sanctorum*, alii in album *Beatorum* iudicio Ecclesiae, sive expresso, sive (per cultum immemorabilem) tacito, relati sunt; alii demum mortui quidem sunt in odore sanctitatis vel in martyrio, sed Ecclesia de illis nihil adhuc statuit, etsi forte causa beatificationis introducta fuerit, quo postremo casu *venerabiles* dicuntur.

Relatis in album Sanctorum dari potest cultus publicus et generalis in tota Ecclesia, prout iam notissimum est.

Relatis solum in album Beatorum dari quidem potest cultus publicus (seu nomine Ecclesiae), sed cum quibusdam restrictionibus et moderationibus; unde, v. g. cum radiis quidem sed non cum diademate in capite pingi possunt; templa et altaria eis dicari nequeunt; eorumque imagines et reliquiae in iis tantum Ecclesiis possunt publicae vene-

rationi exponi, in quibus eorum officium permittitur, v. g. solum in aliqua civitate, vel provincia, vel ordine religioso.

Mortuos autem in odore sanctitatis, sed quin Ecclesia cultum ipsorum adhuc approbaverit, publicae venerationi exponere nullatenus licet. Hinc nequeunt v. g. lampades apponi aut alia lumina accendi ad eorum sepulchrum; et, si eorum imagines vel statuae in Ecclesia apponantur, id fieri poterit solum ita, ut manifeste appareat quod non ad exponendas illas publicae venerationi, sed ex alio motivo fiat. Si tabellae pro gratia ab iisdem recepta deferrentur, extra Ecclesiam servari et Ordinarius moneri deberet. Vide Génicot (*n. 247*). Attamen quaedam privata veneratio licebit; unde, v. g. eorum imagines et reliquias privatim asservare et reverenter osculari; eorum intercessionem postulare; ex speciali devotione Missam (attamen solum de die currenti et sine particulari oratione), in eorundem honorem, vel pro gratiis obtentis aut obtinendis, celebrare etc.; haec, inquam, et similia permitti poterunt.

318. Circa *Reliquias;* ut in Ecclesia venerationi exponi valeant, oportet ut nedum spectent ad aliquem relatum in album Sanctorum vel Beatorum, sed etiam tamquam tales authenticatae fuerint ab aliquo Episcopo, et quidem recognoscente Episcopo loci. Ut autem privatim tantummodo cultus eis praestetur, sufficit ut certitudo moralis habeatur quod ad aliquem Sanctum, vel Beatum, vel Venerabilem, vel Servum Dei cum fama sanctitatis mortuum, spectent. Cf. Bucceroni (*De Dec. 10-14*). Reliquiae autem autenticatae (ut supra) in Ecclesia *detectae* teneri nequeunt nisi ante illas duo lumina ardeant; et reliquia SS. Crucis debet esse sola, et proinde cum aliis reliquiis in eadem theca teneri non potest, nisi privatim. Vide decreta apud *Monitore* (*Vol. XIV pag. 537. 542*).

319. *Adoratio caditne sub* ***praecepto?*** Affirmative, et quidem tum interne tum externe. Constat quia iure naturae colendus est Deus non solum ab individuis sed etiam a societate. Patet insuper ex pluribus locis S. Scripturae, quibus cultus, et speciatim sacrificium Deo offerri iubetur.

CAPUT II.

DE ORATIONE.

320. ***Quid est*** *oratio?* Est pium colloquium cum Deo (unde definiri solet *elevatio mentis ad Deum*), et ordinarie consistit in deprecationibus et petitionibus (unde definitur etiam: *petitio decentium a Deo*).

Dixi *ordinarie:* oratio enim sunt etiam laudes, gratiarum actiones, piae meditationes, pii affectus etc. Oratio est actus cultus et religionis; dum enim oramus, nostram insufficientiam, summamque Dei potentiam, bonitatem, fidelitatem etc. testamur. Dum oratio dicitur *colloquium cum Deo,* hoc ita intelligi debet, ut Angelos quoque, Sanctos, Coelites omnes, maxime vero Beatissimam Virginem (ut pro nobis apud Deum intercedant) deprecari possimus. Utrum animae piacularibus poenis addictae nostras necessitates cognoscere nostrasque preces advertere possint, valde incertum est. Si tamen oremus pro illis, nostris suffragiis sublevatae pro nobis certo certius orare poterunt. Cf. Génicot (*n. 251*).

321. ***Quotuplex*** *est oratio?* R. 1º *Mentalis* vel *vocalis*. 2º *Privata* vel *publica.* Publica seu liturgica dicitur, quae fit nomine Ecclesiae et modo ab illa praescripto ab eiusdem ministris, prout Missa, horae canonicae etc. Dixi *modo ab illa praescripto;* in oratione liturgica publica enim variationes privata auctoritate fieri nequeunt.

322. *Oratio estne necessaria et* ***obligatoria?*** Affirmative: et haec obligatio est communis omnibus.

De obligatione orandi quatenus est particularis clericis et religiosis (v. g. quoad horas canonicas, orationem pro populo etc.) non hic, sed opportunius suis locis, sermo habebitur.

323. *Quid de obligatione orandi quatenus est communis omnibus?* Certe christifideles omnes (sive iusti sive peccatores) orare (scilicet gratias saluti aeternae necessarias a Deo petere) tenentur. Patet 1º ex innumeris S. Scripturae locis, v. g. (Matt. *IV*): « Vigilate et orate » (Luc. *XVIII*) « Oportet semper orare et non deficere ». Patet 2º quia oratio, est medium ordinarium a Deo statutum ad gratias pro aeterna nostra salute necessarias obtinendas, unde scriptum est (Io. *XVI*): « Petite et accipietis ». (Iac. *IV*): « Non habetis propter quod non postulatis ». Hinc communiter docent, orationem ordinarie necessariam esse ne-

cessitate nedum praecepti sed etiam medii. Cf. Ballerini (*Op. th. VI 31 et seqq.*).

324. *Obligatio orandi quandonam occurrit?* Occurrit certe in casibus urgentibus, v. g. si gravis tentatio urgeat; si aliqua persona nobis stricta necessitudine coniuncta in magna versetur necessitate spirituali: si res magni momenti ad Dei gloriam sit aggredienda; et si in mortis periculo versemur. Idem dic si aliud praeceptum sit adimplendum, ad quod oratio sit necessaria, v. g. si Missa sit audienda, si sacramentum sit recipiendum etc. Quando autem adsit obligatio gravis orandi propter generalem necessitatem petendi gratiam Dei pro periculis futuris, vel propter obligationem praestandi cultum Deo, res est valde incerta et confusa (Cf. Ballerini *Op. th. VI.* I *36*): unde in praxi expedit quidem adhortari christifideles ad frequenter orandum; non vero (si iam in praedictis circumstantiis Deo se commendare soliti sint) peccati mortalis conscientia eis fieri potest.

Dixi *mortalis*; practice enim elevandi mentem ad Deum aliquibus precibus matutinis et vespertinis sub levi obligatione adesse recognoscendum est. Patet ex sensu communi christifidelium, qui preces istas cum aliis simplicibus devotionibus non confundunt, sed eas pro vera obligatione habent, unde passim de tali omissione se accusant: genitores magnam curam habent ut filii his precibus se assuescant: et poenitentes scandalizarentur si confessarii dicerent quod illas omittere nihil mali sit. Neque dissentiunt theologi, saltem si huiusmodi preces frequenter omitterentur (vide Gury *n. 361*). Et ratio est non solum quia scriptum est: « Sine intermissione orate », et « Oportet « semper orare », sed etiam quia preces matutinae et vespertinae practice sunt necessariae ad spiritum orationis, devotionis et timoris Dei conservandum, quo evanescente, plura peccata quotidie committerentur.

325. *Adestne obligatio orandi alios praeter Deum?* Respondet cl. Bucceroni (*De 1° Dec. praec. n. 7*): « Invocatio Sanctorum est de consi« lio, non vero de praecepto, cum Trid. (*XXV*) dicat tantum esse *bonum* « et *utile* eos invocare. Attamen aiunt communiter a peccato veniali non « esse excusandum illum qui nunquam B. Virginem invocaret ». Et sane illam parum existimare, de illa non curare, eique ingratus esse videretur.

326. ***Pro quibus** orare possumus vel debemus?* Orare possumus et debemus 1° pro nobismetipsis. 2° Pro omnibus hominibus (unde, docente Domino, dicimus *Pater noster*, et docente Ecclesia, dicimus: *Ora pro nobis peccatoribus*). Nec excludi possunt inimici. Attamen ab orationibus *publicis*, quae nomine Ecclesiae fiunt, ad terrorem et poenam salutarem, excipiuntur excommunicati vitandi. 3° Orare possumus (et sancte atque salubriter oramus) pro animabus purgantibus.

327. *In orationibus **quid petendum?*** Petere possumus et debemus bona spiritualia, et haec *absolute*. Bona autem temporalia petere possumus, sed *conditionate* (si nempe iuvent ad salutem animae); et sic petere possumus etiam mala poenae temporalis (v. g. humiliationes, paupertatem etc.), quia haec quoque ad salutem aliquando nos iuvare possunt.

328. ***Quomodo** orandum? Et si oratio a lege Ecclesiae praecipiatur, quinam defectus possent reddere illam invalidam, atque adeo efficere ut repeti debeat?*

I. Imprimis exigitur *intentio orandi:* non enim oraret, v. g. in Ecclesia cantor saecularis, si forte verba quidem proferret, sed intentionem non iam orandi, bene vero solum pecuniam lucrandi, haberet. Seclusa intentione orandi, oratio (uti patet) prorsus invalida esset.

II. Oratio obligatoria (v. g. divinum officium) debet esse *integra*, nempe sine omissione alicuius partis, et sine verborum syncopationibus vel mutilationibus. Defectus huiusmodi relinquere possunt obligationem supplendi, vel etiam (si absque novo defectu fieri valeat) repetendi.

III. Quaelibet oratio debet esse *devota*, ut patet ex reverentia necessaria, cum quis, orando, cum Deo loquitur. In recitatione divini officii devotio exigitur etiam iure canonico. In Cap. *Dolentes* (*De celebr. Missar.*) dicitur: « Districte praecipimus in virtute sanctae obedientiae, ut « divinum officium, quantum eis Deus dederit, studiose « celebrent pariter et devote ». Non itaque sufficit ut verba psalmorum etc. utcumque proveniant veluti machinaliter ex intentione orandi in initio concepta, sed exigitur ut devotio recitationem totam comitetur.

Devotio autem debet esse *interna* et *externa.* Interna consistit in mentis attentione sive ad verba (attendendo ad illa bene proferenda), sive ad verborum ipsorum sensum, sive ad Deum (explicite scilicet Deum deprecando, vel ei gratias agendo etc.), Externa autem consistit in convenienti corporis compositione, dum scilicet qui orat, sin minus genuflectat, saltem oculos vel aures ad alia non applicet, maxime vero negotia non suscipiat, quae cum attentione ad orationem componi nequeant.

329. *An et quando defectus devotionis orationem (obligatoriam) reddat invalidam atque adeo repetendam?* R. Ut oratio sit valida, exigitur et sufficit ut non sit corrupta substantialiter, quae tamen corruptio (in tali gradu) difficile aderit. Me explico.

I. Imprimis unanimi prorsus consensu docent theologi quod *distractiones internae, si sint involuntariae*, orationis validitati minime obstant; idque profecto verum esset quamvis valde frequentes, vel prolixae, vel intensae forent, prout speciatim in casu magnae afflictionis animique perturbationis (v. g. propter mortem consanguinei aut quodlibet magnum infortunium, magnamve angustiam) contingere potest.

II. Quamvis Suarez (*De Rel. Tr. IV Lib. III C. IV n. 6*), Sanchez (*Cons. VII C. II D. 28*), aliique communius doceant, *distractiones internas, si sint voluntariae,* orationem reddere invalidam; tamen Lugo (*De Euch. XXII 25*) et alii non pauci contrarium docent, et hanc quoque sententiam S. Lig. (*IV 177*) probabilem esse iudicat. Scribit Génicot (*II 39*): « De gravi peccato arguendus non est, neque ad repetendum obligandus, « qui voluntarias distractiones (*internas*) in recitando breviario admisit ».

III. Quoad *distractiones externas,* S. Lig. (*l. c.*) dicit non obstare « si actio (externa) non exigat magnam animi curam; et, si sit aliqua « difficultas attendendi cum tali actione, potest compensari per maiorem « curam attendendi.... Bene satisfacit qui ponit actionem satis compatibi- « lem cum attentione interna, ut esset ambulare, se levare, induere (ve- « stes)...; item colligere herbas, flores, aut uvas; instruere focum, ster- « nere lectum, pectere caput, respicere collem, flumen etc. Ita communi- « ter.... Recte advertit Bonacina quod aliquae actiones respectu alicuius « forte sunt distractivae, respectu alterius non.... Sic pariter satisfacis, si « recitas dum alii fabulantur, canunt etc., modo his serio animum non « applices... Item notant Sotus, Navarrus etc. quod, si exerceas aliquam « actionem externam, et non advertas per illam impediri internam, non « teneris postea repetere. Hoc tamen intelligendum si actio de se sit com- « possibilis cum attentione interna.... Notant communiter non excusari « saltem a culpa veniali, qui sine aliqua necessitate officium diceret in « loco distractioni exposito.... Imo addit Bonacina, hunc periculo se expo- « nere non satisfaciendi praecepto, nisi is (adderem) magno conatu men- « tem applicet ad recitationem ».

IV. Theologi qui rigide loquuntur, et dicunt distractiones *voluntarias* (etsi mere internas) orationem corrumpere substantialiter, fundantur praecipue in definitione orationis; si enim (aiunt) oratio est elevatio mentis ad

Deum, et si, durante tempore distractionis voluntariae, haec elevatio amplius subsistere nequit, iam tunc orationis substantia adesse non poterit, quae enim dicuntur in definitione, ad rei substantiam pertinent. Sed haec ratiocinatio sophismate laborat. Nonne enim elevatio mentis ad Deum deficit etiam durante tempore distractionis involuntariae? Aut itaque, quoad elevationem mentis ad Deum, sufficit quod in orationis initio adfuerit, aut dicta definitio non est exacta. Alii reapse censent tenendam esse aliam definitionem, quae dicit orationem esse petitionem decentium a Deo; petitionem autem bene subsistere posse, quamvis fieret ab eo qui distractus illam sive scriptam sive memoriae traditam exponeret.

V. Ab his tricis me expedirem dicendo ad essentiam orationis vocalis pertinere solum quod adsit locutio cum Deo; eaque substantialiter profanata non remanserit. Ut autem locutio cum Deo substantialiter non profanata subsistat, sufficit si 1° habeatur intentio orandi (et sic implicite loquendi cum Deo atque ad eum dirigendi verba orationis). 2° Sustineatur incommodum et labor orationis ipsius, quae (prout in officio divino) satis gravis esse potest. 3° Servetur decens et devota corporis compositio. 4° Evitentur ea omnia externa quae ex una parte cum devotione interna incompossibilia essent, et ex alia (attenta quoque humana fragilitate) non nimis difficile evitari possent.

Hinc qui, officium recitando, simul prolixe chartas legeret, vel scriberet, vel luderet etc. certe non satisfaceret, etsi forte sine advertentia ad incompossibilitatem ita se gereret. Aliud esset si solum interne (etsi voluntarie) de rebus extraneis cogitaret, vel etiam (non tamen prolixe) auribus ad sermonem vel cantum vel sonitum (qui casu fiat) attenderet, aut oculis aliquid conspiceret. Certe autem (meo sensu) distractiones huiusce generis (quamvis externae et pro interim valde intensae) validitati orationis non officerent et obligationem repetendi non inducerent, si essent involuntariae (si nempe non adverteretur debitam attentionem sic esse impossibilem): secus enim (quum agatur de distractionibus adeo facilibus) nimis frequenter obligatio repetendi accideret, continuis scrupulis aditus aperiretur, et sic praeceptarum orationum onus nimis grave redderetur.

VI. Caeterum aliud est loqui de valore et aliud loqui de perfectione orationis, quae proinde, etiam quando valida remanet, plus vel minus defectuosa esse potest.

CAPUT III.

DE SUPERSTITIONE.

ARTICULUS I.

Principia generalia.

330. ***Quid est superstitio?*** Est cultus vitiosus, quo vel Deus colitur cultu non recto, vel creatura consideratur tamquam Deus, vel habetur commercium cum daemone, vel proceditur iuxta ritus et praeiudicia Ethnicorum aut Magorum.

PUNCTUM I.

De superstitione qua Deus colitur cultu non recto.

331. *Quomodo Deus coli potest* ***cultu non recto?*** Quamvis omnis cultus non rectus dici possit falsus, tamen theologi illum distinguunt in *falsum*, *turpem* et *superfluum*.

Explicationes. Esset *falsus* profitendo religionem iudaicam vel haereticam; aut adhibendo aliquos ritus falsae religionis proprios (v. g. immolationem agni paschalis); aut munera quae exigunt ordines sacros exercendo in statu laicali; aut exponendo falsas reliquias; aut proponendo falsas revelationes vel falsa miracula (si tamen falsitas consisteret solum in aliqua levi exaggeratione, peccatum non esset mortale).

Esset *turpis* seu indecens, si ex intentione Deum honorandi adhiberentur turpia, v. g. melodiae scandalosae (quae scilicet passim pro choreis, vel in theatris pro canticis amatoriis, adhiberi soleant); aut si Deo offerrentur res furto ablatae; aut si fierent vota ad habendum a Deo auxilium pro delictis; aut si, ut pluat, imagines Sanctorum (quasi ad illos de gratia nimis dilata puniendos) male tractarentur etc.

Esset *superfluum* si in cultu vero (ex devotione non recta vel fide exaggerata) limites excederentur, aut ritibus Ecclesiae aliquid adiungeretur. Casus esset v. g. si quis ieiunaret etiam diebus dominicis reputando sic melius esse: vel si quis in Missa adderet alias orationes, vel cruces etc.; vel si quis gestaret quasdam imagines vel reliquias cum fide evadendi invulnerabilis, invisibilis etc.; vel si quis recitaret orationes S. Christophori ad inveniendos thesauros, aut Sancti Senis Simeonis ad habendos bonos numeros pro publica sortitione (it. *lotto*), aut S. Birgittae quibus pro certo promittitur salus aeterna, liberatio a morte improvisa, comparitio B. Virginis ante mortem etc.

Ad cultum superfluum plures reducunt etiam immixtionem rerum et circumstantiarum prorsus vanarum, ut puta, quod sacerdos Missam celebraturus habeat talem vel talem aetatem, staturam, colorem etc.

332. *Quid de sacerdotibus, qui extraordinaria gaudent existimatione circa benedictiones, quique proinde semper huc illuc cursitant ad benedictiones impertiendas, vel propriam domum personarum benedictionem petentium iugiter plenam habent?* R. Isti *ordinarie* graviter imo gravissime reprehendendi et vituperandi sunt propter sequentes rationes. 1° Ut plurimum ritibus ab Ecclesia non approbatis et proinde superstitiosis utuntur. Porro benedictiones cum simplici et modica aqua benedicta dari debeat iuxta ritus et formulas, a S. Sede vere approbatas (quae in Rituali Romae edito *an. MDCCCLXXVI* reperiuntur);

et nihil addi, nihil demi potest. Quid itaque de illis qui non solum ab his ritibus recedunt, sed etiam quaedam rerum sacrarum venerationi et decori prorsus contraria facere non dubitant? Quid insuper de illis qui sine delegatione speciali benedictiones Episcopo reservatas dare audent? (Sciendum est quod benedictio *contra noxia animalia*, qua praecipue abutuntur, inter reservatas recensetur, ut ex eodem Rituali constat) (1). 2° Non desunt qui cubiculum propriae domus tamquam in publicum sanctuarium convertere, ibique aliquam imaginem, cui, sin minus thaumaturgam, saltem specialem virtutem falso tribuunt, expositam retinent. 3° Ingenerant insuper et fovent falsam fidem, quasi nempe ipsorum benedictiones maiorem vim quam benedictiones aliorum habeant, et ipsi gratia gratis data praediti sint. Adde alias falsitates: dicendo, v. g.: *tu maleficio affectus es*: *oportet ut iterum ad me redeas* etc. 4° Eorum autem intentio videtur esse ut sic pecuniam obtineant; unde cum manifesto turpi lucro, imo ut plurimum cum dolo positivo et aperta simonia, carpunt eleemosynas, quas (utpote ad minus ex errore substantiali datas) in conscientia retinere non possent. 5° Hoc modo publicam vituperationem contra se concitant, et religionem ipsam (quae maxime his diebus adeo indiget honore) despectui exponunt. 6° Domum infirmorum frequentantes et persuasionem de maleficio inducentes saepe sunt in causa cur infirmi ipsi remedia naturalia negligant, ad maleficos recurrant, Sacramentalibus abutantur, odia gravia concipiant; et non raro sunt etiam in causa cur parochi accessus difficilior reddatur, eiusque ministerium intricatum et parum fructuosum evadat. Aliqui eo usque procedunt ut dicant nullum alium sacerdotem sine eorum consensu esse advocandum, quandoquidem aliorum benedictiones nocumentum afferrent!! 7° Adde alienationem parochianorum a proprio pastore, iustas parochorum quaerimonias, confusionem, pacis perturbationem etc. Vide Scavini (*IV 397*), Del Vecchio (*I n. 779*), et Berengo (*n. 186*).

---

(1) Aliqui dicunt reservationem intelligendam esse circa benedictionem solemnem; sed rationes quas adducunt solidae mihi non videntur. Videndum potius ne forte contraria consuetudine reservatio in loco obsoleverit.

PUNCTUM II.

De superstitione, qua creatura habetur tamquam Deus, scilicet de idololatria.

333. *Quot modis haec superstitio contingere potest?* 1° Si creatura (v. g. idolus aut Daemon) tamquam Deus adoretur (quod proprie dicitur *idololatria*). 2° Si petatur vel expectetur a creatura quod a solo Deo praestari potest (v. g. notitia rei futurae a libera voluntate dependentis). Si autem expectaretur a Daemone quod nostram quidem, sed non illius, potentiam superat, tunc superstitio quidem sed non idololatria contingeret.

Notant quod idololatria potest esse *perfecta* et *imperfecta*. Perfecta contingit quando quis adorat creaturam ut Deum, quia ex errore intellectus credit illam revera esse Deum. Imperfecta contingit quando quis non ex errore intellectus, sed vel ex odio in Deum, vel ex cupiditate obtinendi aliquid (v. g. pecuniam, concubitum etc.) a Daemone, vel ex timore poenarum a tyranno comminatarum (quo postremo casu dicitur *simulata*), quis idolum aut daemonem adorat eique cultum supremum soli Deo debitum tribuit. Idololatria imperfecta (uti patet) est peior quam perfecta, quae forte cum bona fide coniungi potest. Est semper peccatum gravissimum; idque verum est quamvis foret solum simulata; etsi haec postrema certe esset minus gravis, quam si ex cupiditate obtinendi aliquid, maxime vero ex odio Dei, Daemon adoraretur.

PUNCTUM III.

De superstitione, qua cum Daemone, etiam seclusa idololatria, commercium habetur: vel proceditur iuxta ritus et praeiudicia Ethnicorum aut Magorum.

334. *Quomodo casus* **commercii cum Daemone** *accidere poterit?* Casum habes in iis, qui formaliter recurrunt ad Daemonem (v. g. eum verbis aut signis invocando) ut aliquid ab illo addiscant vel obtineant. Item in iis qui,

etsi sic ad illum non recurrant, tamen eius dictis aut signis fidem praestant.

Recolendum, adesse signa quae a D. Th. appellabantur *signa Daemoniorum,* quae scilicet vel apponuntur ab hominibus ut Daemon (iis visis) hoc vel illud faciat (prout sunt quae adhibebantur ab antiquis exercentibus artem magicam, et quae nunc adhibentur a modernis magnetizatoribus et hypnotizatoribus); vel apponuntur ab ipso Daemone ad praenuntianda futura aut indicanda occulta (cuiusmodi esse censentur illa quae ad artem divinatoriam spectabant).

335. *Supponendo quod hoc fiat sine idololatria, quin scilicet Daemon adoretur, vel utcumque tamquam Deus habeatur, quomodo reatus superstitionis in dicto recursu vel in dicta fiducia invenitur?*

I. Quia homo, submissionem, dependentiam, fiduciam Daemoni praebendo, iam ex hoc ipso honorem, quasi his dignus esset, ei praeberet.

II. Quia periculum aderit ne adsit in futurum quod in initio non adest. Daemon quippe totus in eo erit ut exinde occasionem sumat tum pertrahendi homines ad peccata et damnationem, tum subtrahendi Deo et procurandi sibi adoratores; unde procurabit modo ut ab actibus religionis alienentur; modo ut sacramentis et sacramentalibus sacrilege abutantur; modo ut fidem amittant: modo ut odium contra Deum concipiant; modo denique ut, relicto Deo, sibi soli totos se devoveant atque adorationem praestent.

336. *Adsuntne alia argumenta ad probandam huius superstitionis malitiam?* Utique.

Huiusmodi agendi ratio Deo iniuriosissima hominique perniciosissima est. Agitur enim de acerrimo et perpetuo Dei ipsius et humani generis hoste; unde perinde erit ac si quis, non sine delicto laesae maiestatis, peteret opem a Principis sui hoste, qui in ea ipsa ope ferenda, tum petenti, tum Principi quidquid potest mali inferre moliatur. Adde quod saepe immiscentur aliae malitiae, v. g. contra iustitiam (ut in maleficio), contra castitatem etc. Nihil dico de prohibitionibus expressis quae adsunt in sanctis scripturis, unde, v. g. (*I Cor. 10*) dicitur: « Nolo vos fieri socios daemo-« niorum »; et de rigorosissimis Ecclesiae vetitis, ut videre est, v. g. in Bulla Sixti V, quae incipit *Coeli et terrae Creator.*

337. *Quot modis haec superstitio in commercio cum Daemone consistens contingere potest?* Modi isti sunt plurimi. Alios infra indicaturus, hic recenseo sequentes.

Primus est si Daemon expressis verbis **invocetur.** Est peccatum horribilissimum; et maxime si anima ei donaretur.

Secundus est si ponatur signum vel medium, quo posito Daemon iam *manifeste* concurrat, talia revelando aut faciendo, de quibus credi non possit quod sive naturaliter sive a Deo sive ab Angelis bonis revelentur aut fiant. Casus huiusmodi accidere solent speciatim in **maleficiis,** in usu **virgae magicae,** in **hypnotismo,** in **tabulis rotantibus,** in **spiritismo** etc. (de quibus infra). Idem dic si utcumque (etiam signis et mediis non appositis) interventus diabolicus manifeste appareret, et tu crederes, obedires, concurreres etc. In his quoque casibus peccatum gravissimum esset; nec referret si contra interventum diabolicum protestatio fieret; haec enim foret contra factum manifestum. Nec peccarent solum qui in his active se haberent, sed illi etiam qui rebus huiusmodi assisterent; et, si forte essent in bona fide, ab illa deterreri deberent.

Tertius est *si res esset dubia;* ita scilicet ut interventus diabolicus non esset certus, sed de illo graviter timendum foret. In hoc etiam casu peccatum interveniret propter periculum; et hoc in puncto caute legendus ipse S. Lig. (*n. 19*), ut sapienter monet Ballerini (*Op. th. XI.* I *93*). Attamen tunc peccatum posset esse leve, ut dicit Lessius (*II.* XLIV *26*); imo, si causa gravis interveniret, facta protestatione contra interventum diabolicum, plures theologi pro licito stant. Cf. Génicot (*I n. 263 et seqq.*).

338. *Quid si effectus expectetur, dum neque a natura, neque a Deo, neque ab Angelis bonis rationabiliter expectari possit; et nihilominus nequidem interventus diabolicus appareat?* Equidem theologi dicunt: — Si expectetur effectus a re, quae nec virtute naturali nec virtute divina effectum ipsum producere possit, id sufficit ut superstitio interveniat (ut scilicet res illa pro signo daemoniorum haberi debeat). — At vero regula ista cum debita discretione intelligenda est; secus enim omnes errores, omnes deceptiones, omnes stultitias, omnes ineptias, omnes simplicitates, imo et omnes excessus in fide, de diabolica superstitione accusare deberemus. Sed meram stultitiam pro diabolico peccato habere quid stultius? Porro, ut quis a re inepta effectum attendat, non semper est necesse, quod haec res a Daemone virtutem habeat, aut quod ille a Daemone ipso eundem

effectum expectet; haec enim expectatio sive a mero errore, sive a simplicitate, sive ab ignorantia, sive ab impostura, sive (si agatur de re religiosa) ab excessu fidei, provenire potest. Et quatenus effectus expectatio has causas habeat, quid heic Diabolus? Discretio itaque necessaria est; idque etiam a multis theologorum expressionibus manifeste patet.

Sane, si regula praedicta in toto rigore accipienda esset, tunc 1° Verum peccatum superstitionis esset frequentissimum; sed Frassinetti (*Par. nov. 264*) dicit, quod practice generatim non contingit et est valde rarum. 2° Omnes ineptiae commercium diabolicum comitem haberent; sed D' Annibale (*II 37*) dicit adesse superstitiones, de quibus non apparet Daemonem se iis immiscere; hasque profecto S. Alphonsus (*III 7*) innuit non esse veras superstitiones, si intentio non sit talis. 3° Omnes ineptiae, si commercium cum Diabolo eiusve periculum serio involverent, iam tamquam res perniciosissimae valdeque formidandae et quovis pacto a populo christiano evellendae, considerari deberent; sed Scavini (*II n. 247*) ex Stapf dicit: *eiusmodi opiniunculae vix non innocuae videntur.* D' Annibale autem (*l. c.*) subiungit: *Expedit tolerare...., dissimulare...., et si poenitens de his confessarium interroget, is haec irrideat.* Et prius D. Th. (*2. 2. q. 96 a. 2 ad 1*) dixit: « Si simpliciter adhibeantur res naturales ad « aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtu- « tem, non est superstitiosum vel illicitum ». Et Caietanus (*in h. l.*) subiunxit: « Quando aliqui adhibent lapides, herbas, imagines, vel aliquid « huiusmodi, ad sanandum vulnus vel mitigandum dolorem et huiusmodi, « putando quod adhibeant naturales vel divinas causas, etiamsi errent, « excusantur a superstitione ».

339. *Quid igitur concludendum?* Concludendum quod si tam a parte rei quam a parte intentionis malitia deficiat, tunc de simplici errore agetur, et nihil mali aderit. Secus si secus. Me explico.

Interdum *malitia intervenire posset* ***a parte rei;*** idque contingeret si factum vel praedictio certe aut verisimiliter pertineret ad *ritus vel praesagia Ethnicorum aut antiquorum Magorum, Augurum, Astrologorum etc.;* qua de re praesumendum est, quando ex una parte error non oriatur ab excessu christianae fidei, et ex alia effectus (qui expectatur) nec sit *nec reputari soleat* naturalis (prout contingit in quibusdam vanis observantiis quae in vulgo serpunt, de quibus agam infra); etsi enim interventus diabolicus in his non amplius conspiceretur, tamen oportet ut praedicti ritus et regulae futura praesaggiendi non iam conserventur sed eliminentur. Praeterea quis scit an Daemon adhuc aliquo modo in rebus huiusmodi non se immisceat?

Haec tamen malitia a parte rei erit **gravis** solum in duobus casibus.

Primus est si quis serio ritus vel artes huiusmodi, quasi *ad modum officii et professionis,* atque vere (aut saltem verisimiliter) iuxta regulas illas antiquas, exerceat (prout facere videntur illi qui *zingari* et *astrologi* vocantur) Cf. Ballerini Palmieri (*Tr. VI n. 69*). Dixi *iuxta regulas illas antiquas;* aliud enim esset si de mera et evidenti impostura ageretur, prout faciunt qui vel *in lunario* eventus futuros, etiam prorsus impraevidibiles (v. g. de morte Principum tali vel tali die sequenda), praenunciant; vel numeros publicae sortitioni (*al lotto*) exponendos, nulla regula ducti et arbitrarie prorsus, proponunt; vel (prout quotidie faciunt circulatores it. *ciarlatani*) res quae nullam (aut vix ullam) sanandi virtutem habent, tamquam medicinas optimas vendunt; vel somnambulismum magneticum fingunt, et, cum mera impostura, responsa dant. Nonnisi umbra antiquae astrologiae superstitiosae (quae dicitur *iudiciaria*) videtur esse etiam in iis, qui, absque ulla regula, plurima circa vitam prognostica confingunt, in chartis innumeris ea typis imprimere faciunt, atque huic vel illi petenti unam ex chartis ipsis (vulgo *il pianeta*) trahunt.

Secundus casus malitiae gravis residet in *frequentia;* si nempe quis ea quae spectant ad ritus praedictos faceret saepe, vel iuxta dicta praesagia operationes suas dirigeret passim; non vero si raro, ut puta, si quis unum vel alterum dumtaxat praeiudicium huiusmodi haberet, v. g. leviter vulneratus a cultro, ad sanitatem recuperandam, non vulnus sed cultrum ungeret; aut assidere ad mensam nollet si commensales numero tredecim essent. Excipe tamen nisi malitia gravis a parte intentionis interveniret. Cf. Sanchez (*Dec. II.* xxxviii *22*).

340. **A parte intentionis** malitia adesse potest sequentibus modis.

I. Si quis bene animadvertens, ex appositione talis vel talis medii, effectus neque naturaliter neque virtute divina vel angelica obtineri, et solum ope Daemonis expectari vel sperari posse, quaerat nihilominus vel conetur sic illum obtinere. In hoc casu (quamvis forte illuderetur et nihil obtineret) ex graviter prava intentione *graviter*

peccaret. Exemplum esset in muliere, quae cum hac malitia faceret *il gioco delle carte*, ut scilicet Daemon ei indicaret an amasius, qui illam dereliquit, sit rediturus.

II. Si quis pro certo haberet aut valde suspicaretur tales vel tales res esse signa seu praesagia diabolica, quae tales vel tales eventus futuros significent; et ex iisdem signis ad sic vel sic agendum regulam sumeret. In his casibus, quia dispositus esset ad fidem praestandam Daemoni et veluti sub illius directione se ponere, *peccatum grave* pariter interveniret.

Si autem de eventu infausto ageretur (ut puta, si quis mane domo egrediens pedem offenderet, et pro certo haberet mortem in itinere sibi esse eventuram), tunc si magno (etsi vano) timore perterritus a parte tuta staret, non peccaret; per se enim stare a parte tuta nihil mali est, et aliunde Daemonem non invocasset, sed casu ab illo talem rem (iuxta suam persuasionem) intellexisset. Cf. Ball. Palm. (*Tr. VI n. 69*).

III. Qui cum nullo aut fere nullo suspectu quod Daemon se immiscere possit, de illis quae ad dictam superstitionem antiquam pertinere videntur, non passim sed subinde, sine ulla intentione prava, sed solum ex curiositate, vel levitate, vel ad ridendum, vel ex vana spe, aut vano timore, aliquid faceret, non graviter, sed *ad summum venialiter peccaret.* Casus accidere potest v. g. in iis qui zingaros praetereuntes et se offerentes consulunt, et aliquid de se indifferens faciunt vel omittunt ob res ab iisdem auditas, si ducti fuerint quapiam curiositate, cum alioquin res ipsas non retineant ut certe veridicas. Ita Ball. Palm. (*Tr. VI n. 69*), Lhemkuhl (*I 356 not.*) aliique.

341. *Quid si aliquid equidem tamquam praesagium Daemonis, sed etiam tamquam monitum Dei haberi possit?* Tunc *facilius quaevis culpa abest.* Casus esset in eo qui magna inopia et pecuniae necessitate pressus, post preces ad providentiam Dei obtinendam, numeros somniasset; aut navigationem proxime suscepturus somniasset naufragium; et, quum somnia ista possent quidem esse vel naturalia, vel a Daemone inducta, sed possent etiam (quamvis raro vel rarissime) a Deo, vel Ab Angelo bono provenire, ille in primo casu publicae sortitioni numeros exponeret et in secundo a navigatione abstineret.

ARTICULUS II.

De praecipuis superstitionis speciebus.

Agendum est de divinatione, de vana observantia, de magia, de maleficio, et denique de modernis superstitionibus speciatim hypnotismi et spiritismi.

PUNCTUM I.

De divinatione.

342. ***Quid est divinatio?*** Est studiosa et superstitiosa exploratio rerum futurarum vel occultarum.

Dicitur *studiosa exploratio,* quia si ex re, quae casu acciderit, fiat praesagium (v. g. ex subversione vasculi salis in mensa praesagium facis de proximo infortunio); tunc non divinatio, sed vana observantia (de qua infra) interveniret.

343. ***Quot modis fieri potest divinatio; et quid de eius prohibitione?*** Fieri potest multis modis v. g. 1° Per *oraculum,* consulendo idolum ex quo Daemon sit responsurus. 2° Per *Pythonismum,* interrogando Pythonem vel Pythonissam, scilicet personam possessam a Daemone, ex cuius corporis parte aliqua Daemon respondeat. 3° Per *Vaticinium,* interrogando Pseudo-prophetam a Daemone inspiratum. 4° Per *Necromantiam,* interrogando mortuos, seu potius Daemonem imitantem vocem mortuorum. 5° Per *Praestigium,* scilicet comparente Daemone sub hac vel illa figura, vel (etiam invisibiliter) ad aures loquente. Modi hucusque recensiti includunt invocationem directam; sed adsunt etiam alii modi, scilicet 6° *Aruspicium,* in quo ex visceribus animalium idolis immolatorum. 7° *Augurium,* in quo ex garritu avium. 8° *Auspicium,* in quo ex volatu avium. 9° *Geomantia, hydromantia, pyromantia, aeromantia,* in quibus ex signis in terra, in aqua, in igne, et in aere. 10° *Oniromantia,* in qua ex somniis superstitiose procuratis. 11° *Chiromantia* et *Physiognomia,* in quibus ex lineis manuum, et lineamentis vultus. 12° *Astrologia iudiciaria,* in qua ex astris. 13° *Sortilegium,* in quo

ex sortibus futura vel occulta, iuxta regulas artis superstitiosae, praevidentur. Addenda est 14° *Virga magica.* Dixi *iuxta regulas artis superstitiosae;* hic enim certe non pertinent praevisiones et coniecturae quae iuxta leges physicas (vel quae physicae reputentur) ex aere, ex astris, ex ventis, ex transitu avium, ex physiognomia etc. fieri possunt.

Prohibetur autem divinatio nedum lege naturali, sed etiam lege divina positiva, dicente Domino (*Deut. XVII*): « Nec inveniatur in te.... qui ariolos (*gli indovini*) sciscitetur, et observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, aut quaerat a mortuis veritatem; omnia enim haec abominatur Dominus ».

344. *Quid est virga magica, seu divinatoria?* Est virga ex corylo (*d' avellano*) et bifurcata quae adhibebatur ad inveniendas res occultas. Movebatur solum iuxta intentionem illam adhibentis, qui, si quaerebat v. g. venam aquarum, virga non movebatur propter venam metalli; et si viceversa quaerebat venam metalli, non movebatur propter venam aquarum. Deserviebat etiam ad inveniendos homines (v. g. homicidas). Si illam gerens, protestabatur contra interventum diabolicum, tunc immota remanebat, et nullum signum dabat. In illa itaque interventus diabolicus est manifestus. Aliud esset de virga magnetica (it. *calamita*), quae ad invenienda metalla naturaliter deservire posset.

345. *Quid est astrologia iudiciaria?* Astrologia alia est *naturalis,* quae scilicet fundatur in scientia physica; unde ex astris (et speciatim ex luna) quidam effectus seu influxus physici (sive vere, sive erronee et frivole) praevidentur. At vero est *iudiciaria,* quae scilicet fundatur in arte superstitiosa dictante regulas cognoscendi ex astris, v. g. hominum nativitates, et quid futurum sit de puero qui tali die et hora natus fuerit, praenunciando scilicet eius vitae cursum, honores, divitias, sobolem, salutem, itinera, certamina, inimicitias, carceres, mortem, et uno verbo omnes eius prosperos et adversos casus; quatenus scilicet astra ipsa (prout superstitiose credebatur) inducant necessitatem et fatum in actionibus humanis, aut saltem ad hoc vel illud valde inclinent; unde sive certe sive probabiliter res sic praenunciatae reapse sequi debeant.

Non astrologia naturalis (uti patet), sed iudiciaria, superstitiosa est, illamque damnavit Sixtus V (Bulla *Coeli et terrae Creator*).

346. *Quid de sortibus?* Sortes possunt esse 1° *Divinatoriae* (ad res futuras vel occultas divinandas). 2° *Consultoriae* (ad cognoscendum quid

agi debeat). 3° *Divisoriae* (ad decidendum v. g. circa rem quae dividi non potest, cuinam danda sit ex pluribus, quibus tota deberetur; vel utcumque si non dignoscatur cuinam ex pluribus aliquid dari debeat).

347. Sortes *divisoriae* cum superstitione facile nihil commune habent. Adhiberi solent in contractibus sortis et speciatim in ludo, in divisionibus haereditatum, in compositione litium, in praemiis, et aliquando etiam in poenis (quando nempe non expedit ut multi, sed oportet ut aliqui puniantur). Attamen usus huiusmodi sortium potest esse contra legem naturalem (v. g. si merita non sint paria), vel contra legem positivam (v. g. quoad electionem ad beneficia ecclesiastica, quae per sortes est illicita, et, si ageretur de Praelato iurisdictionem habente, esset etiam invalida). Cf. Bucceroni (*n. 27*).

348. Sortes *divinatoriae* ordinarie sunt superstitiosae. Casus esset si iactu taxillorum, aut ope istrumenti qui appellatur it. *grillo*, aut per chartas lusorias etc. divinari velis, v. g. an victoriam vel fortunam habiturus sis; an amasius sit rediturus; quinam ex duobus prius moriturus sit; quinam numeri in sortitione aleatoria (it. *al lotto*) sint exituri etc. In sortibus huiusmodi superstitio intervenire potest ex malitia explicita petendi vel expectandi per ipsas responsum a Daemone; sed ordinarie superstitionem includunt solum quia originem et naturam superstitiosam habent.

Dixi *ordinarie;* in quibusdam enim casibus sortes divinatoriae minime sunt superstitiosae; nempe si adhiberentur 1° Impulsu divino, prout fecit Iosue qui per sortes detegit Acham fuisse furti auctorem (Ios. *VII*). 2° Ex intentione rei occultae manifestationem obtinendi a Deo (etsi tunc tentatio Dei interveniret). Cf. Bucceroni (*l. c.*). 3° Ex mero ioco, et curiositate videndi quid designetur a sorte in eo casu, quin fides aut fiducia ulla adnectatur. Ballerini (*Op. th. VI.* I *73*) et S. Lig. (*III 13*).

349. Sortes *consultoriae*, quae scilicet adhibentur loco perpendendi quid in variis casibus oporteat vel expediat facere, certe sunt superstitiosae, si responsum de hoc expectetur a Daemone, vel (iuxta praeiudicia superstitiosa) ab ipsa caeca sorte (Cf. Lessius *II.* XLIII *60*). Si vero responsum per sortes expectaretur a Deo, tunc tentatio Dei interveniret. Excipe nisi ex Dei ipsius inspiratione sortes adhiberentur (prout in electione Saullis, et Mathiae), vel nisi ageretur de re momentosa adeo dubia ut consilium humanum non suppeteret. Interdum videtur sufficere ratio se liberandi a stricta perplexitate, etiam in negotiis levis momenti, ut puta, si quis versetur in bivio, et prorsus nesciens ex duabus quamnam viam tenere, proiiciat (ut dici solet) pileum in altum, et eligat illam versus quam cadit.

PUNCTUM II.

De vana observantia.

350. ***Quid est vana observantia?*** Contingit duplici modo. Primus est si iuxta praeiudicia superstitiosa apponantur media ad obtinendum effectum, pro quo media ipsa sunt ita improportionata, ut neque a natura neque a Deo idem effectus expectari possit. Secundus est si, iuxta eadem

praeiudicia superstitiosa, ex fortuito eventu quis coniiciat quid prosperi vel adversi secuturum sit; et exinde actiones suas dirigat.

Vana observantia primi modi subdividitur *in artem notoriam*, et *observantiam sanitatum*. Alia autem dici solet *observantia eventuum*.

351. *Quid est ars notoria?* Contingit quando quis acquirit (vel potius acquirere videtur) scientiam infusam, et statim comparet doctus absque studio et labore; idque obtinet mediis ex se inefficacibus, v. g. certo quodam modo ieiunando, vel aliquid manducando, aut inspiciendo etc. Dixi *potius acquirere videtur*, credendum enim est quod doctrina sit illusoria et non realis, Diabolo loquente per os illius; qua de re vide Lessium (*l. c. n. 62*) et Ballerini (*l. c. n. 80*).

352. *Quid est observantia sanitatum?* Est usus verborum aut signorum aut rerum vanarum, quae (iuxta praeiudicia superstitiosa) adhibeantur sive ad morbos sanandos, sive ad conservandam valetudinem, sive ad acquirendam immunitatem a laesionibus vel casibus fortuitis; idque sive quoad seipsum, sive quoad alios, sive quoad animalia. Praedicta verba aut signa vanissima interdum cum veris medicinis immiscentur; et interdum sine ulla alia re adhibentur. Exemplum habes in iis qui (ut supra dicebam) ad curandum vulnus ungunt cultrum, aut ligant pedem scamni; vel sauciati morsu canis, pro medicina necessarios esse censent pilos canis ipsius: item in iis qui gestant amuleta, ligaturas, involucra etc. (quae nullam bonam significationem habent) ad obtinendam praeservationem a febribus, vulneribus, venenis, maleficiis futuris etc. Aliquando similes res vanissimae immiscentur etiam cum rebus sacris, prout contingere videtur in iis qui, ad sanandas contorsiones crurium in bobus, eas signant cum crucibus confectis ex sulphuratis (it. *solfanelli*); item in iis qui ad sanitatem recuperandam credunt esse necessarium ut Missa celebretur cum candelis flavis, vel ut tales vel tales preces recitentur currendo in circulum; vel ut fiant tot numero cruces nec plus nec minus. Res huiusmodi spectare nedum ad cultum superfluum (*n. 331*), sed etiam ad superstitio-

nes de interventu diabolico suspectas censent plures cum Lessio (*l. c. n. 63*).

Cum his superstitionibus tamen confundi non debent sequentia.

I. Ea quae aliquam devotam et veram significationem aut Ecclesiae benedictionem habent. Huiusmodi sunt preces quae (iuxta Ecclesiae consuetudinem) tribus, vel septem, vel novem, vel duodecim diebus durare debent. Item panes vel aqua aliaeque res benedictae, quae contra morbos per cibum vel potum sumuntur vel animalibus dantur, cuiusmodi sunt quae vulgo dicuntur it. *pane di S. Antonio Abbate, latte della Madonna, acqua della B. V. di Lourdes,* etc.

II. Ea quae ex gratia gratis data fieri credendum sit; prout dicunt accidisse in antiquis Regibus Francorum, qui solo tactu sanabant strumas. Cf. Ballerini (*Op. th. VI.* I *90*). Apud nos vulgaris credulitas est quod qui nati fuerunt cum secundis (it. *colla secondina*). virtutem habeant contra herysipolas, signo crucis eas signando, quia (dicunt) cum indusio B. Virginis in lucem venerunt.

III. Ea quae fiunt ad maleficium destruendum, v. g. ligaturas aut alia signa diabolica solvendo, comburendo etc., ut ex maleficio ipso aegrotus convalescat.

IV. Ea quae vanissima quidem sunt, sed tamquam pharmaca optima, deceptione et impostura circulatorum (it. *ciarlatani*), creduntur et sumuntur.

353. *Quid de observantia eventuum?* Est observatio quorundam eventuum fortuitorum, vel dierum qui existimabantur fausti vel infausti, praesagium serium (quod dicitur etiam *omen*) exinde efformando de iis quae futura sunt, non iam quia naturalis connexio conspiciatur, sed iuxta praeiudicia quae ab ethnica superstitione originem habent. Quoad reatum vide dicta (*n. 339*).

Exempla. Prima anni die, vel dum primo e domo exis, obviam habes personam sive nigram sive infirmam vel canem praegnantem; aut pede offendis: aut ab equo cadis; et ex his malum augurium concipis, atque (ad illud declinandum) domum redis. Mane calceos induens sternutas, et hinc, pariter malo augurio concepto, lectum repetis ut omen avertas. Audis ignem murmur facientem, et expectas hospites. Mercator mane egrediens e domo obviam habet virginem, et hinc deducit diem lucro sterilem fore. Iunctim ambulantibus amicis, lapis aut canis aut pauper medius intervenit, et exinde vicina infortunia expectas. Vestis a soricibus roditur, et en aliud malum augurium. Noctua prope domum tuam cantat, et en praesagium mortis vicinae, illudque avertere credis noctuam occidendo. In mensa subversionem vasis salis pro malo; cyati autem pleni vino pro bono augurio habes. Commensales sunt tredecim, et hoc habes pro nuntio mortis, quod avertere credis recedendo. Quosdam dies habes ut infaustos et inauspicatos, et proinde nullum negotium momentosum in iisdem incipis. Die Veneris panem conficere non audes. Die Martis caput abluendum non esse credis etc. etc.

354. *Quid de superstitione quoad **somnia**?* Quoad somnia intervenire potest superstitio sive ex divinatione

sive ex vana observantia: sed interdum in eorum observatione nulla superstitio adest.

Divinatio intervenit 1° explicite invocando Daemonem ut per somnia aliquid tibi revelet; sive expressis verbis illum rogando, sive ponendo signa quae huiusmodi expressae invocationi aequivalere existimes. 2° Faciendo aliquid, ex quo speras secutura esse somnia res futuras vel occultas indicantia, etsi de Daemone non cogites; ut puta, ponendo numeros sub pulvinari ad dignoscendum per somnia an ad vincendum in publica sortitione (*al lotto*) sint idonei.

Vana observantia ordinarie intervenit, si ex somniis non quaesitis sed casu factis, occulta vel futura cognoscere praetendis; hoc enim ad praeiudicia Ethnicorum pertinet, ut patet ex Sacris Litteris (*Lev. XIX et Deut. XVII*) dicentibus: « Quando ingressus fueris terram quam « Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis « abominationes illarum gentium: nec inveniatur in te qui... « ariolos siscitetur et observet somnia atque auguria etc. »

Dixi *ordinarie*; aliquando enim somniorum observatio a superstitione immunis est; quod accidit speciatim in casibus sequentibus.

I. Si ex somniis sive placidis et ordinatis, sive e contra turbatis et confusis coniicis statum sanum vel morbosum personae somniantis; aut ex qualitate somniorum alicuius, coniicis cuiusnam sit indolis, aut quaenam sint illius occupationes, tendentiae etc.

II. Si somnia ad res bonas animaeque salutares impellant, ut puta, si, eo quod somniaveris mortem, iudicium divinum vel infernum etc., poenitentiam facias atque ad confessionem accedas; vel, eo quod consanguineum tuum defunctum et de suffragiis te rogantem somniaveris, Missam pro illo celebrare facias. Ratio est non solum quia dantur somnia quae a Deo immittuntur (qua de re in historia sacra, imo in ipsis sacris scripturis exempla habemus), sed etiam quia credulitates huiusce generis neque a Daemone neque a superstitiosis Ethnicorum praeiudiciis oriri possunt. Excipe nisi ageretur de rebus indiscretis; interdum enim Angelus tenebrarum in Angelum lucis se transformat.

355. *Quando superstitiosum est credere somniis, quid de gradu culpae si quis, ex aliqua fiducia vel ex aliquo timore, iuxta illa casu facta*

aliquid agat? Communi sensu (etiam theologorum), et conformiter iam alias dictis, culpa est venialis. « Non videretur peccare mortaliter qui ob « somnium praecedens omittit vel ponit actionem indifferentem.... v. g. « si quis omitteret deambulationem, quia somniavit se fore in ea prodito- « rie hac vel altera die interficiendum » Ita Bucceroni (*De 1° Dec. praec. n. 24*). « Non videtur graviter peccare qui somnians numeros, ludo (*del « lotto*) pecuniam exponit, aut qui non ascendit navem vel equum, quia aut « naufragium aut lapsum somniavit... Sic qui somniant locum thesauri, et « terram effodiunt ». Ita Baller. (*Op. th. VI.* I *63*). Imo forsan nulla culpa adesset, si quis defunctum somniasset, qui in somnio eosdem numeros, vel aliquod monitum ei dedisset: tunc enim fiducia in eodem defuncto (reputando quod ex permissione Dei sic in somnio comparuerit) poneretur, atque ita fiducia ipsa innocens videretur.

PUNCTUM III.

De Magia.

356. *Quid est magia?* Est ars patrandi res mirabiles ope Daemonis.

Loquor de vera magia superstitiosa: non vero de magia naturali seu artificiali, qua absque ullo Daemonis interventu (ut contingit in vulgaribus praestigiatoribus) dexteritate manus aliisve mediis naturalibus, sed communiter ignotis, mira fiunt. Ad constituendam veram magiam, duo exiguntur; ut scilicet id quod fit, ex una parte, considerato effectu et consideratis mediis ad illum obtinendum, industriam humanam superet; et ex alia, attentis circumstantiis, tamquam Dei miraculum haberi nequeat. Magia est peccatum mortale, nec parvitatem materiae admittit (Lessius *II.* XLIV *26*). In dubio an causa, quae mirabilem aliquem effectum producat, ex natura an vero ex Daemone vim habeat, ab illa (seclusa necessitate vel ratione gravi) abstinendum esset propter periculum (ut dixi supra *n. 337*).

PUNCTUM IV.

De maleficio.

357. ***Quid est*** *maleficium?* Contingit quando quis ope Daemonis malum inferat alteri, sive circa eius personam; sive circa eius bona, v. g. pecudes, segetes etc.

Malum circa personam multiplex esse potest, v. g. morbus, impotentia matrimonialis, immissio Daemonis in corpus, inductio passionum

vehementissimarum, v. g. odii, amoris et libidinis. In casu amoris et libidinis maleficium *amatorium*, et in aliis *veneficum* appellatur. Maleficium amatorium autem dicitur etiam *philtrum*.

358. ***Quomodo** fieri solet maleficium?* Ineundo pactum cum Daemone, ut ille nocere pergat sive donec talis vel talis res aut tale vel tale signum (v. g. nodus, ligatura etc.) perduret, sive donec tale vel tale quid (v. g. ablutio, percussio etc.) non fiat.

359. *An maleficium inducere possit necessitatem peccandi, seu utcumque efficere ut voluntas necessario consentiat?* Quod afferre possit magnam, imo maximam, inclinationem, affirmative; necessitatem, subdistinguo: quoad actus materiales (Daemonem vim absolutam corpori inferendo, aut usum rationis impediendo) affirmative; secus, negative.

360. *An in maleficiis adsit* ***peccatum*** *solum contra religionem?* In maleficiis violatur etiam iustitia contra maleficiatum. Iustitia violari posset etiam contra petentem maleficium, si nempe quis per imposturam illud ei promisisset, et pretium recepisset. Sed, si maleficus, operam suam superstitiosam sincere posuisset, tunc (etsi forte effectus intentus non fuisset subsecuturus) pretium restituendum (iuxta dicenda *De contractibus de re turpi*) minime esset.

361. *Quid licite fieri potest* ***ad destruendum*** *maleficium?* Aliud est facere maleficium (quod semper gravissimum peccatum est); aliud vero est illud destruere; quod ordinarie fieri potest et debet. In hunc finem imprimis non sunt deserenda remedia naturalia, nedum quia morbus (qui ex maleficio oriri censetur) potest esse naturalis, sed etiam quia pharmaca morbos quoque a Daemone productos interdum destruere valent.

Media autem supernaturalia sunt praecipue sequentia.

I. *Magna fides et magna fiducia in Deo*, dicente Psalmista: « Qui habitat in adiutorio Altissimi, in prote- « ctione Dei coeli commorabitur... Non timebis ab incursu « et Daemonio meridiano.... Quoniam in me speravit, libe- « rabo eum ».

II. *Poenitentia, confessio peccatorum, et vitae emendatio;* contingere enim potest quod propter peccata permittat Deus ut quis in se vel in rebus suis a Daemone vexetur.

III. *Oratio*, speciatim coniuncta cum *ieiunio;* scriptum est enim: » Hoc genus Daemoniorum non eiicitur nisi in oratione et ieiunio ». Item *invocatio nominis* ***Iesu***, *B. Virginis, Angeli Custodis* etc.

IV. *Signum crucis.*

V. *Sumptio Eucharistiae et Sacrificium Missae.*

VI. *Usus aquae benedictae* et aliarum *rerum benedictarum.*

VII. *Reliquiae Sanctorum* et *verba transcripta ex Evangeliis aliisve locis Sacrae Scripturae.*

VIII. *Exorcismi* (qui maxime valent) et *benedictiones Ecclesiae.*

IX. *Destructio* vel *appositio signorum*, qua eveniente destructione vel appositione (1), ex pacto inito inter auctorem maleficii et Daemonem, maleficium ipsum cessare debeat. Sed circa remedium istud sequentia notanda sunt.

362. *Signa, quae vim habent destruendi maleficium, quomodo cognosci poterunt?*

Primus modus est si exorcismis et nomine Dei Daemon ipse ea revelare cogatur. Rituale dicit: « Iubeat Daemo-
« nem dicere an detineatur in illo corpore ob aliquam
« operam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta,
« quae si obsessus sumpserit, evomeat; vel, si alibi extra
« corpus fuerint, ea revelet; et inventa comburantur ».

Secundus est si recurratur ad Magum, qui (N. B.) *absque ulla nova Daemonis invocatione*, scire possit quid agendum sit ut maleficium destruatur. Huiusmodi, notitia facile adest in ipso auctore maleficii; sed adesse potest etiam in aliis arti magicae addictis, vel utcumque scientibus quaenam signa in maleficiis apponi soleant.

---

(1) Destructio maleficii non solum in destructione sed etiam in appositione alicuius signi consistere potest. Ad cuius rei intelligentiam deserviunt quae scripsit Tamburini (*Dec. II.* vi § ii *n. 12*): « Mihi puero
« narravit quidam, senem thesaurum magicis artibus terrae noctu info-
« disse, hac habita cum Daemone conventione, ut hominum nemini thesau-
« rum patere posset, nisi ei qui in ipso thesauri loco existens bonae pultis
« pingui patina se recrearet vinumque biberet liberaliter: inaudisse quem-
« dam rusticum non longe ab illo loco forte decumbentem: mane pultem
« comedisse, vinum hilariter bibisse, thesaurumque sibi nullo repugnante
« adhibuisse: quo dolore avari senis, qui non multo post ad locum invi-
« sendum se contulit, aurumque expilatum reperit, verbis explicet qui
« potest. Iam inquiro an sine peccato potuerit rusticus hoc signum appo-
« nere? Respondeo potuisse, quia id non fuit nisi contrarium signum
« apponere, quo posito Daemon promisit non amplius thesaurum custodire:
« quando enim tale signum apponere bonum est ex se vel indifferens,
« apponi licite potest, cum apponatur medium ad dissolvendam confaede-
« rationem Daemonis, qui finis bonus est ». Aliud profecto est Daemonem advocare et aliud in fugam coniicere.

Tertius (sed illicitus) est si per novum maleficium, seu (ad rectius loquendum) per novam Daemonis invocationem, aut per novum pactum cum Daemone, modus solvendi maleficium exquiratur.

Nota quod invocatio est deprecativa et pactum est amicabile; et haec longe distant ab imperio, quo Daemon in exorcismis, divina auctoritate, invitus et in suum damnum, quaedam patefacere cogitur.

363. Primus modus certe (uti patet) est licitus. Tertius e contra (ut modo dicebam) est certe illicitus. Secundum esse licitum dicunt theologi passim. At vero practice res est plena periculi. Ut plurimum enim quod maleficium acciderit, insulsissime creditur, quamvis enim pluries interrogaverim Missionarios (qui innumeras confessiones audiverunt) an casum poenitentis, qui maleficium patratus fuerit, repererint, mihi semper responderunt negative. Qui autem advocantur ut solvant maleficium, solent maleficii obventi credulitatem confirmare; imo et personam quae maleficium fecerit indicare vel de illa suspectum ingerere. Hinc odium acerrimum; hinc fides illimitata in mediis vanissimis et saepe superstitiosis, imo facile etiam cum abusu rerum sacrarum: hinc recusatio nedum medici et medicinarum, sed forte etiam sacerdotis; hinc alienatio a sacramentis, vel (propter praedictum odium et voluntatem perseverandi in superstitionibus) obstinatissima indispositio ad absolutionem. Adde quod, si vir vocatus fuerit ad solvendum maleficium in foemina, ordinarie turpissimi quoque honestatis abusus interveniunt. Nihil dico de periculo ne, ad solvendum maleficium, pessimi huiusmodi viri ad nova maleficia recurrant (quod tamen periculum vel etiam certitudinem theologi considerari non debere dicunt, si certum vel probabile sit quod etiam sine maleficio illud solvere possent. S. Lig. *III 23-25*). Etsi itaque theologi dicant sic et simpliciter, recursum ad Magos, qui probabiliter solvere valeant maleficium sine novo maleficio, esse licitum, imo addant, quod auctor maleficii ad hoc nedum invitari, sed etiam verberibus cogi possit; ego existimo quod practice vix et ne vix quidem haec licita sint. Neque alia videtur esse doctrina Ecclesiae; Rituale enim (*De exorciz. obsess.*) dicit: « Aliqui (Daemones) ostendunt factum maleficium, et a quibus sit « factum, et modum ad illud dissipandum: sed caveat (*obsessus*) ne ob « hoc ad magos, vel ad sagas, vel ad alios, quam ad Ecclesiae Ministros, « confugiat ».

Parum etiam mihi placet (intellige semper practice) doctrina, quae dicit quod qui tangitur a Saga, possit illam percutere ut maleficium impediat.

PUNCTUM V.

De hypnotismo et spiritismo.

364. Circa *hypnotismum* et *spiritismum* (quae prius *magnetismus animalis* et *mesmerismus* dicebantur) narrantur foenomena mirabilia, quae nedum quaestiones inter theologos sed etiam responsa et decreta S. Sedis provocarunt,

365. Claritatis gratia oportet 1° exponere foenomena ipsa quoad suas differentias principales et prouti ordinarie narrantur; 2° perpendere an omnia tamquam mera impostura haberi possint; 3° item perpendere cuinam causae (an scilicet naturali vel diabolicae) attribui debeant; 4° denique perpendere quid honesti et liciti, quid vero inhonesti et illiciti in rebus istis adesse possit.

366. **Quaestio I.** *Quaenam sunt phoenomena hypnotismi et spiritismi quoad suas differentias principales et prout ordinarie narrantur?*

Primum consistit in somno hypnotico, seu nervoso et specialissimi generis, quod ab hypnotizatore in persona hypnotizanda provocatur, idque ordinarie per intuitum fixum et diuturnum obiecti lucidi aut oculorum hypnotizatoris ipsius, alias interim distractiones removendo.

Hoc est primum et fundamentale phoenomenon hypnotismi (quod nomen significat *dormitionem*).

Dicunt, hoc obtineri posse etiam aliis mediis; nempe v. g. hypnotizator personae hypnotizandae pulsus brachiorum costringit, aut manus capiti illius imponit, aut virga tangit, vel manu eam titillat, aut aqua illam aspergit, aut voce vel gestu iubet ut dormiat. Musica quoque, cantu, ictibus penduli horologii etc. eundem effectum obtentum fuisse asserunt. Nec satis. In absentia quoque, ope floris, vel anuli ab hypnotizatore missi, imo sola voluntate (sine ullo actu externo) effectum pariter obtineri aiunt.

Communiter dicunt 1° personas perfecta cerebri sanitate pollentes non esse hypnotizabiles; 2° earundem consensum exigi (ita tamen ut plura exempla in contrarium adducantur); 3° quidquid minimum sufficere ad hypnotizandos eos qui paullo antea hypnotizati fuerint.

Somnum hypnoticum arbitrio hypnotizantis et mediis levissimi momenti (v. g. insufflatione in faciem) cessare aiunt.

367. Secundum phoenomenon (quod potius est specialitas praecipua somni praedicti) consistit in *somnambulismo;* et quidem tali ut persona hypnotizata 1° *Clara* (ut aiunt) *intuitione* (it. *chiaroveggenza*) polleat; unde mirum in modum quaedam eidem naturaliter occulta cognoscat de iisque loquatur. 2° *Hallucinationibus et abnormitatibus* quibuslibet iuxta imperium (seu, ut aiunt, iuxta *suggestiones*) hypnotizatoris subiiciatur; et proinde multa abnormissione faciat; imo, transacto quoque tempore somnambulismi, nedum faciat sed facere cogatur. Haec duo sunt explicanda.

368. ***Clara intuitio.*** In somnambulismo hypnotizatus videt seu cognoscit res quae sunt post corpora opaca, v. g. legit librum clausum vel epistolam sigillatam. Cognoscit praecise quid sit in crumena alterius. Distinguit chartas lusorias a tergo, Videt horam quae indicatur ab horologio errante quod ei non ostenditur. Percipit sedem morbi in corpore infirmorum reconditam. Item videt quae in locis longinquis peraguntur,

Interrogatus, v. g, de rebus quae in America a tali vel tali persona fiant vel facta fuerint, omnia exacte describit, et iuxta veritatem respondisse postea reperitur. Cognoscit linguas vel artes, quarum scientia nunquam ab illo acquisita fuit. Hinc v. g. hypnotizans efficere potest ut hypnotizatus, qui nullam instructionem unquam habuit, loquatur et scribat lingua latina, graeca, gallica etc. ; vel calleat quamlibet scientiam et artem ; unde v. g. musicam componat, penicillo vel acu pingat, photographi vel typographi vel sutoris vel barbitonsoris etc. artes exerceat ; imo et medici excellentissimi partes agat, morbum (quod medici cognoscere non potuerunt) indicando atque accurate verbis technicis describendo, remedia suggerendo etc.

369. ***Hallucinationes,*** *ab hypnotizatoris* ***suggestionibus*** *provocatae, et sive tempore somnambulismi, sive etiam postea, necessario ad effectum deductae.* Hypnotizatus insensibilis ad alia omnia subiacet tantummodo influxui (seu suggestionibus) sui hypnotizatoris, et libero arbitrio destitutus remanet totaliter (quasi machina) in eiusdem potestate ; unde quidquid ille vult, imaginari, desiderare, dicere et facere cogatur.

Hinc ad libitum hypnotizatoris ipsius v. g. videt, audit, olfacit, gustat, tangit obiecta quae non adsunt vel aliter ac adsunt : aut impressiones sine causis aut contra causarum naturam experitur ; aut denique circa seipsum diversissimis et vix credibilibus modis hallucinatur. Album pro nigro et nigrum pro albo : foetores pro odoribus gratissimis ; acetum pro potu dulcissimo : saccharum pro cibo amarissimo ; verum pro falso ; falsum pro vero etc. habet, Coelo sereno tonitruis terretur ; herbam crudam vel carbones manducat ; ad nutum hypnotizantis modo frigore contremit, modo calore intolerabili aéstuat. Calamo pro ense, scamno pro equo utitur. Dolores dentium, ventris etc., dum sanissimus est, experitur. Filii, amici etc., personae prorsus incognitae ei evadunt. Vestes alienas (vel etiam personae diversi sexus) pro suis accipit, eisque se induit. Sui status, suae aetatis, suae artis, sui sexus, sui nominis, cognominis, domicilii etc. oblitus, firmissime sibi persuadet se esse alium ; imo, huiusmodi persuasiones variando, modo unam et modo aliam personam vel etiam bestiam vel mortuum se esse credit ; unde, v. g. nobilis puella, iuxta voluntatem hypnotizantis, modo vetulam. modo pauperem, modo rusticam, modo comicam, modo ducem exercitus (Napoleonem, Garibaldium etc.), modo virum insignem (Dantem, Alfieri etc.), modo Episcopum, modo Capuccinum, modo scimiam, modo canem, modo felem etc. etc. se esse existimat, et iuxta huiusmodi hallucinationes se gerit.

Adde (semper ad nutum hypnotizantis) sensuum et musculorum sive inertiam sive miram activitatem. Hinc hypnotizatus v. g. in plena luce oculis apertis nihil videt, et nihilominus videt in tenebris vel oculis clausis. Maximis rumoribus surdissimus est, et nihilominus verba submississime prolata perfecte audit. Modo nullam resistentiam opponere potest, et modo valde ultra vires resistit. Percussionibus, vulneribus, doloribus, operationibus chirurgicis etc. insensibilis remanet, modo loquela ei prorsus adimitur, et modo loqui, cantare, clamare, ululare, latrare, eiulare etc. cogitur. Modo membra ita ei rigescunt ut nulla vi moveri valeant, et modo cogitur ambulare, currere, saltare, cadere, iocare, scribere, et uno verbo quidquid hypnotizator vult, efficere.

Adde transpositionem sensuum, unde, v. g., videt occipite, audit genibus, olfacit manibus, gustat cubitu, legit pedibus, loquitur ventre etc.

Adde excitationem aut impeditionem passionum ; unde v. g. cogitur modo concipere amorem, formidinem, iubilum, odium etc. ; et modo ad

infortunia, mortem amicorum, parentum etc. insensibilis remanere, vel contra ea quae hucusque amavit aut quibus semper deditus fuit, abominationem concipere.

Dixi quod suggestiones respicere possunt etiam res post sonnambulismum et in plena vigilia necessario exequendas (quo casu dicuntur suggestiones *a scadenza*). Iubet v. g. hypnotizator (durante hypnotismo) ut hypnotizatus postea tali die et tali hora praecise, talem vel talem exequatur actionem sive delictuosam (ut furtum, homicidium, stuprum etc.) sive sibi damnosam (ut donationem vel recognitionem debiti non existentis, vel testamentum etc.); illaque sine dubio omnia peracturus erit.

Suggestiones (aiunt) efficere possunt etiam ut quidem morbi sanentur aut producantur, ut scilicet v. g. quaedam convulsiones repente cessent; ut paralisis hysterica sedem mutet, et tandem ipsa quoque cesset, vel e contra membrum aliquod paralizetur etc.

Venit denique oblivio et memoria ad libitum hypnotizantis. Hypnotizatus scilicet de rebus durante somnambulismo peractis nullam memoriam retinet, nisi hypnotizator velit ut de iisdem sive in toto sive in parte recordetur.

N. B. Phoenomena hucusque recensita ad hypnotismum: sequentia autem ad spiritismum praecipue pertinent.

370. Haec imprimis consistunt in tabulis rotantibus, et semoventibus, efformata super illas manuum catena.

Ad effectum obtinendum, iussu personae dirigentis, quae dici solet Spiritista vel *Mediums*, illi qui experimento intervenerunt simul cum Spiritista ipso efformant catenam; unusquisque scilicet supra tabulam tripedem manus extensas et cum pollicibus propriis simulque cum digitis minoribus utriusque ad suum latus degentis coniunctas tenet, ita ut hoc modo quaedam catenae species compleatur. Post pauca temporis minuta tabula crepitat, movetur, hinc vel inde se inclinat, aliquantisper e terra elevatur, et tandem suo pondere recidens remanet sicut prius.

371. Soluta deinde manuum catena, subsequuntur foenomena multa et mirabilissima, inter quae, exempli gratia, refero sequentia.

Tabula, quamvis sic derelicta, ictibus obstrepentibus, et saepe repetitis subiicitur; agitatur; elevatur; modo ad dexteram modo ad sinistram, modo lente modo velocissime rotat; modo super unum modo super alium pedem se erigit, locum mutat et per cubiculum in gyrum se confert etc.

Postea alia quoque mobilia v. g. scamna, sedilia moventur, saltant etc. Portae, fenestrae, armaria, nemine aperiente aperiuntur, et nemine claudente clauduntur. Ianuis etiam clausis, iuxta petitionem praesentium, res apparent. Ab armariis et capsis, sive aperiantur sive non aperiantur, obiecta exeunt, per aerem volant, commiscentur, et postea in ordine sicut prius suis locis reconduntur; vel quae in uno loco clausa erant, ab illo clauso ad alium clausum (nemine aperiente) se conferunt. Obiecta ponderosissima a seipsis locum mutant, se elevant, vel etiam cubiculi trabibus adhaerent. E contra obiecta levissima nulla vi nulloque conatu moveri possunt. Contra leges gravitatis vel aequilibrii mobilia non cadunt dum cadere deberent, vel stant dum sic stare non possent. Obiecta vitrea praecipitando vel ictus patiendo rumpi deberent, sed non rumpuntur. Corpora frigida repente calidissima evadunt, et viceversa. Lumina nemine accen-

dente accenduntur. Nullo musicali instrumento existente, vel illud nemine sonante, quaevis (ad petitionem praesentium) musica auditur. Spiritista staturam mutat, et modo gigas modo pigmaeus evadit, imo in aerem elevatur, vel etiam ex una fenestra exiens per aliam redit.

Adde ventum impetuosum, tonitrua, obscuritatem, luces, motum in pavimento, in muris, in tabulato etc.

Veniunt deinde Spirituum apparitiones. Imprimis manus invisibiles te palpant, aut colaphis caedunt. Amplexus vel oscula sentis: postea apparent manus, apparent facies, et interdum personae completae, qaae nedum oculis sed etiam tactui verae et reales videntur.

Denique Spiritus consultantur, ab iisque (sive ictibus conventionalibus a pede tabulae datis, sive scribente pede ipso cui lapis vel calamus aptatus fuerit, sive apparentibus characteribus in folio etsi clauso et quamvis ad scribendum nec calamus nec quidquid aliud adhibitum fuerit, sive denique viva voce) responsa habentur. Et haec in quavis lingua (v. g. gallica, germanica, americana, latina, graeca etc.) ad libitum interrogantis obtinentur. Adstantes respicere etiam possunt nedum res occultissimas, aut antiquissimas, aut remotissimas (quae postea veritati conformes reperiuntur), sed etiam ad aliam vitam spectantes; res enim eo usque procedunt ut animae defunctorum evocentur, interrogentur, ab iisque (aut potius a Daemone illos imitante) sive in scriptis, sive (ut dixi) viva voce, responsa habeantur. Scribit Gury (*I 282*): « Adis Pythonem (Spiritistam) cui significas « id quod scire cupis... Ab eo interrogatur, se praesente et audiente ali- « quis Spiritus, quasi sit anima patris tui, matris, sororis etc. Ex respon- « sis quae dantur, minime dubitare posses te vere cum defunctis charis- « simis colloquium habere. Isti enim plurima tibi referunt, et quidem « tibi soli nota, aliis vero prorsus ignota: imo ipso eorum stylo responsa « eduntur » (1).

372. **Quaestio II.** *Phoenomena hucusque recensita suntne vera? Nonne vanis dicteriis, aut Circulatorum illusionibus et imposturae tribui possent?* Quod inter facta innumera possint esse aliqua vel multa, quae dicta quidem sed falsa fuerint; quod etiam non desint qui per imposturam somnambulismum fingunt et secretis conventionibus cum fictis somnambulis credulum vulgum decipiant, vel arte aliqua naturali mira peragant et ignorantibus illudant, concedendum est, et de re ista exempla celeberrima habentur. Vide Lapponi (*Ipnotismo e Spiritismo Cap. VI n. 5*) et *Letture Cattoliche di Torino* (*An. XIX fasc.* I *pag. 77. 80. 124. 152*). Sed verum hypnotismum, verum somnambulismum, verum spiritismum,

(1) Quid de tabulis rotantibus vel pulsantibus apud nos in conversationibus apud personas sive civiles sive vulgares ad modum ioci adhibitis, quin videatur quod adsit Spiritista (*Mediums*)? Tunc quoque accidere revera pulsationes et responsa etc. passim testantur passim illi qui his experimentis intervenerunt.

et, uno verbo, complexum phoenomenum supra descriptorum, vere subsistere, neque vanis dicteriis neque imposturae tribui posse, pro certo tenendum est.

373. Enimvero somnus hypnoticus provocari solet a medicis passim. Tabulae rotantes, pulsantes, scribentes, earumque consultationes ad loquendum cum mortuis (ut supra *n. 371*) iam evaserunt iocus vulgaris. Hypnotizationes cum suggestionibus et hallucinationibus supra descriptis nedum in theatris publicissime peractae fuerunt, sed etiam peraguntur passim in domibus privatis, et sunt solatium conversationum. Alia quoque phoenomena spiritistica, quae sine hypnotismo obtinentur, certissima sunt. Experimenta innumera toto Orbe et iam a multis annis facta et millies repetita fuerunt. Nedum homines vulgares (qui facile decipiuntur) aut suspecti (qui decipere possunt), sed innumeri viri doctrina praediti, a quavis suspicione immunes et fide dignissimi, qui illa bene observarunt et mature examinarunt nedum de eorundem veritate fidem faciunt, sed etiam cuiuslibet imposturae possibilitatem prorsus excludunt. De rebus istis opera innumera typis edita fuerunt. Illorum auctores de causis quidem disputant, sed non de factis, quorum existentiam plenissimo consensu recognoscunt.

374. **Quaestio III.** *Haec phoenomena possentne esse naturalia, an vero interventui diabolico prorsus attribui debent?* Loquendo prius de **hypnotismo,** ad minus in parte, superstitiosa et diabolica sunt. Hoc autem sic patet.

I. Loqui linguis ignotis; absque ullo medio videre res sitas post corpora opaca vel scire quae fiunt in locis dissitis; callere scientias in quibus quis nunquam edoctus fuit; transpositio sensuum; efficere ut inter multas personas, quae obiectum (v. g. florem) tangunt, una dumtaxat, iuxta mentalem hypnotizantis intentionem, hypnotizata evadat; efficere ut sola voluntate minime expressa quis nedum magnetizetur, sed etiam quidquid magnetizator vult peragat, et quidem etiam in distantia, imo etiam in futurum, die et momento praecise designato (1); efficere ut ianuis clausis obiecta introducantur, sine ullo apparatu tenebrae

---

(1) Dicunt, phoenomena ista naturaliter explicari posse, quia. dum homo cogitat aut vult, inducit motum in cerebro suo; et ex motu producuntur oscillationes vel subtilissimi fluidi irradiationes in aethere, quae pertingentes ad cerebrum alterius, producunt in illo motum et proinde cogitationem et voluntatem aequalem. At vero (ego dico), sepositis etiam difficultatibus penetrandi duo crania, et vim habendi non obstantibus distantiis enormissimis atque indeterminatis, cur ad magnetizatum non pertingunt omnes aliae cogitationes magnetizatoris? Cur ad cogitationes aliorum circumstantium et magis vicinorum hypnotizatus insensibilis remanet? Cur iste ea quoque percipit, quae in mente magnetizatoris minime adsunt? Quomodo denique ad ligneas tabulas quoque cogitationes communicantur?

fiant, splendores emicent, mira cuiuslibet generis appareant etc.; profecto haec omnia naturalia esse nequeunt.

Idem dic a fortiori de phoenomenis spiritisticis. Dixi *a fortiori;* si enim in hypnotismo aliqua, vel (ut cum aliis opinatur Lapponi) plura legibus naturalibus explicari possent, in Spiritismo e contra omnia legibus ipsis nimis opponuntur, ut, recolendo supradicta, iam per se manifestissime patet.

II. Quae autem in hypnotismo et spiritismo naturalia esse nequeunt, profecto neque a Deo neque ab Angelis bonis, sed a Daemone procedunt, et proinde superstitiosa sunt.

375. Patet sequentibus rationibus: 1º Magnetizatores et Spiritistae non iam viri sancti, sed malae conscientiae homines, increduli, impii, haeretici, hebraei, et uno verbo cuiuslibet furfuris, esse solent. 2º Miracula Dei sunt rara et gratuita, non vero talia ut de iisdem ars constitui possit. 3º Ad vanam curiositatem, ad iocum, ad solatium theatrorum et conversationum, Deus miracula non facit. 4º Foenomena hypnotica et spiritistica foenomenis antiquae divinationis (per Pythones, tripodes etc.), antiquae magiae, et antiquae necromantiae, simillima sunt; unde ipse Potet (celebris magnetizator gallicus) aperte dicebat: — Magnetismus est magia —. 5º Aspersione aquae lustralis vel contactu coronae benedictae, pluries accidit quod Daemon suae praesentiae signa manifesta dedit; tunc enim modo tabulae se confregerunt aut e fenestra se deiecerunt aut aspergentem insecutae fuerunt; modo ille ipse, qui illas aspergerat, improvisos morsus et percussiones passus fuit. Magnam quoque turbationem ostendere solent si de D. N. I. C. interrogentur. 6º Etsi responsa subinde indifferentia sint, vel etiam (Angelo tenebrarum in Angelum lucis se transfigurante) pietatem et virtutem insinuent; tamen, ut plurimum, sunt anticatholica, impia, immoralia, ruinosa; modo enim poenarum aeternitatem denegant, aut metempsycosim persuadent; modo haereticos et scelestissimos homines tamquam salvos et beatos exhibent; modo religionem naturalem sufficientem, et catholicam falsam vel inutilem esse dicunt; modo ab actibus religiosis, et maxime

a confessione, avertunt: modo zelothypias et discordias acerrimas inter coniuges accendunt; modo odia suscitant atque ad vindictam incitant; modo in desperationem inducunt; modo suicidium suadent etc. etc. 7º Spiritus interrogati odium Dei, et desiderium sibi subiiciendi homines ostendere solent. Dicit, v. g. Spiritus: *Sitis mei, subiicite vos ipsos mihi, societatem mecum inite, sim ego dominus vester* etc. Astutia incredibilis diversissimis modis apparet. Cuidam, qui fidem non adhuc amiserat suaeque salutis aeternae, praedictis suasionibus obtemperando, timorem ostendebat, Spiritus respondit: *Cave, cave, ne me derelinquas; si meus eris in vita, te liberum relinquam in morte et sic salvaberis: sin minus, adeo te tunc urgebo ut, velis nolis, pecces, et sic damneris.* (Huiusmodi autem terrorem adhibere solet Daemon quando personas pias obsidet atque horribilibus modis infestat. Desiderium autem sibi subiiciendi homines nedum in his infestationibus, sed etiam in antiquis Paganorum oraculis, ostendere semper solitus fuit). Adde apertas confessiones, quibus Spiritus nomine Dei interrogati se esse Daemones fassi fuerunt; aut quibus Daemon magnetismum, somnambulismum etc. opera sua esse declaravit (Scavini *II 119. 2 et* IV *241*). 8º Sequuntur etiam alia mala gravissima contra sanitatem aliasque res temporales, contra mores et contra religionem. *Contra sanitatem;* hypnotismus enim, praeterquam quod magnam nervorum debilitatem inducit et hysterismum quam maxime adauget, convulsionum quoque, amissionis memoriae, epilessiae, catalexis, somni lethargici (a quo persona excuti nequeat), idiotismi, dementiae, paralisis, caecitatis, suffocationis, apoplexiae et mortis (plus vel minus et maxime in quibusdam subiectis) periculum inducit. *Contra alias res temporales;* contingere enim potest quod hypnotizati sua aut suae familiae secreta momentosa pandere, vel in favorem talis aut talis personae testamentum condere, vel quamlibet aliam obligationem contrahere, vel subscriptionem falsam (imitando praecise characterem alterius) apponere, imo ipsum matrimonium celebrare cogantur. *Contra mores;* quum enim hypnotizati (iuxta supradicta) in potestate hypnotizantium remaneant et quidquid illi exigunt facere

cogantur, iam ex hoc ipso turpitudinibus ianua latissima aperitur, imo (si Deus permitteret) contingere posset etiam quod ipsi, velint nolint, ad calumnias, ad falsa testimonia in iudicio, ad furta, ad incendia, ad percussiones, ad venena propinanda, vel utcumque ad homicidia vel ad suicidium procedant. Adde quod hypnotizatio (speciatim si frequenter et maxime in iuvenibus aut foeminis exerceatur), vim nervosam (ut modo dicebam) debilitando et magnam excitabilitatem inducendo, efficit ut, ad passiones vehementissime et mirum in modum excitandas, quid minimum sufficiat. Pericula ista, quoad sanitatem et mores, tam vera tantique momenti sunt, ut, nedum apud nos sed etiam apud exteras nationes, ad remedium apponendum (Cf. Franco *L' ipnotismo XXVII*) leges conditae fuerint. Denique *contra religionem;* praeter enim impietates supra recensitas, notandum est quod sectae spiritisticae (quae ethnicam superstitionem atque adeo regnum Diaboli iterum instaurant) iam per universum mundum efformantur: et hypnotismi atque spiritismi praestigia et portenta mirabilissima veris miraculis et prophetiis (quae potissima sunt nostrae sanctissimae religionis credibilitatis signa) fidem adimunt, vel saltem minuunt. 9° Habemus denique plures **S. Sedis decisiones**, quarum duas hic refero.

376. S. Poenitentiariae ab Episcopo Lausanensi expositus fuit sequens casus particularis: « Persona magnetizata... in eum statum soporis ingre-
« ditur, dictum *somnambulismum magneticum*, tam alte, ut nec maximus
« fragor ad eius aures, nec ferri ignisve ulla vehementia illam suscitare
« valeant. A solo magnetizatore... ad illud ecstasis genus adducitur, sive
« variis palpationibus gesticulationibusve, quando ille adest, sive simplici
« mandato eodemque interno, vel cum pluribus leucis distat. Tunc viva
« voce seu mentaliter de suo absentiumve penitus sibi ignotorum morbo
« interrogata, haec persona evidenter indocta illico medicos scientia longe
« superat: res anatomicas accuratissime enunciat; morborum internorum
« in humano corpore, qui cognitu definituque peritis difficillimi sunt, cau-
« sam, sedem, naturam indigitat: eorumque progressus, variationes, et
« complicationes evolvit, idque propriis terminis; saepe etiam dictorum
« morborum diuturnitatem exacte praenuntiat, remediaque simplicissima
« et efficacissima praecipit. Si adest persona, a qua magnetizata mulier
« consulitur, relationem inter utramque per contactum instituit magneti-
« zator; cum vero abest, cincinnus ex eius caesarie eam supplet ac sufficit.
« Hoc enim cincinno tantum ad palmam magnetizatae admoto, confestim
« haec declarat, quid sit (quin aspiciat oculis), cuius sint capilli, ubinam
« versetur tunc persona ad quam pertinent, quid rerum agat, circaque
« eius morbum omnia supradicta documenta ministrat, haud aliter atque
« si medicorum more corpus ipsa introspiceret. Postremo magnetizata non

« oculis cernit; ipsis velatis, quidquid legit legendi nescia, seu librum, « seu manuscriptum vel apertum vel clausum, seu capiti, seu ventri impo- « situm. Etiam ex ventri regione eius verba egredi videntur... Hoc autem « statu educta vel ad iussum etiam internum magnetizantis vel quasi « sponte sua... nihil omnino de rebus in paroxismo peractis sibi conscire « videtur...; quaenam ab ipsa petita fuerint, quae vero responderit, quae « pertulerit, haec omnia nullam in eius intellectu ideam, nec minimum in « memoria vestigium reliquerunt.... ». Decretum autem fuit sequens: *S. Poenitentiaria 1 Iulii 1841, mature perpensis expositis, respondendum censet prout respondet: usum magnetismi, prout in casu exponitur, non licere.*

377. S. Congreg. S. Officii ad omnes totius Orbis Episcopos (*4 Aug. 1866*) epistolam encyclicam direxit, cuius pars magis momentosa est sequens: « Nonnullae iam hac de re a S. Sede datae sunt responsiones ad « peculiares casus, quibus reprobantur tamquam illicita illa experimenta, « quae ad finem non naturalem, non debitis mediis adhibitis, assequendum « ordinantur.... Verum quia, praeter particulares casus, de usu magne- « tismi generatim agendum erat, hinc per modum regulae sic statutum « fuit *feria IV 28 Iul. 1847: Remoto omni errore, sortilegio, explicita « aut implicita Daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus « actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, « dummodo non tendat ad finem illicitum vel quomodocumque pravum. « Applicatio autem principiorum pure physicorum ad res et effectus super- « naturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita « et haereticalis.* Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo « aut illicitudo in usu vel abusu magnetismi, tamen adeo crevit hominum « malitia, ut, neglecto licito studio scientiae, potius curiosa sectantes, ma- « gna cum animarum iactura, ipsiusque civilis societatis detrimento, ario- « landi divinandive principium quoddam se nactos glorientur. Hinc *somnam- « bulismi et clarae intuitionis* (uti vocant) praestigiis, mulierculae illae « gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque « conspicere effutiunt, et de ipsa religione sermones instituere, animas « mortuorum evocare, responsa accipere, ignota et longinqua detegere alia- « que id genus superstitiosa exercere, ausu temerario praesumunt.... *In « hisce omnibus (quacumque demum ducantur arte aut illusione) cum ordi- « nentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio « omnino illicita et scandalum contra honestatem morum* ».

Aliam S. Poenitentiaeriae decisionem referam infra *n. 381.*

378. **Quaestio IV.** *In hypnotismo* ***somnus hypnoticus*** *potestne esse naturalis et licitus?* Hoc in puncto diversae sunt sententiae. Aliqui censent, ipsum quoque somnum hypnoticum esse diabolicum, tum quia (aiunt) modis improportionatis, imo et solo interno voluntatis imperio, obtineri potest; tum quia causa quae producit effectus evidenter diabolicos, est illa ipsa quae obtinet huiusmodi somnum, quod est basis et fundamentum effectuum subsequentium. At vero alii opinantur, somnum istum naturalem esse censendum et licite procurari posse.

Mea sententia est sequens.

379. Somnus iste, si ab hypnotizatore mediis improportionatis, et maxime sola voluntate interna, procuretur; tunc de interventu diabolico dubitari nequibit. Secus, si, ad illum obtinendum, intuitus fixus et diuturnus obiecti lucidi (prout a medicis fieri solet) adhibeatur.

Patet 1° quia magnae concentrationes (it. *fissazioni*) iam naturaliter de se habent ut subiectus alias facultates non exerceat, atque ad alias impressiones plus vel minus (pro gradu concentrationis) insensibilis reddatur. 2° Experientiâ constat quod, absque ullo interventu magnetizatoris, idem effectus subsequi potest; et exemplum habemus non solum in iis, qui postquam magnetizationem pluries passi fuerint, ex simplici visione cuiuslibet obiecti lucidi (v. g. flammae, metalli etc.) in statum hypnoticum coniiciuntur (unde iam infelicissimi ad nihil apti remanent); sed etiam in iis, qui nunquam ab aliquo magnetizati fuerunt, qui pariter obiectum lucidum (imo et solam aciem proprii nasi) fixe inspiciendo, in similem statum a semetipsis inducuntur. 3° Aliud indicium reperitur etiam ex eo quod aliqui facile, aliqui difficile, et aliqui nullatenus, hypnotizari possunt. 4° Ipsum supra relatum (*n. 377*) decretum S. C. S. O. distinctionem facit inter licitudinem et illicitudinem, atque usum et abusum magnetismi; quae distinctio (ut notat etiam cl. D'Annibale) locum habere nequiret si iam omnia diabolica essent. Neque valet ratio quod causa, quae somnum magneticum, est illa ipsa quae alios effectus, naturaliter inexplicabiles, producit; nihil enim vetat quominus praedispositio naturalis necessaria sit, quatenus scilicet, illa seclusa, Daemon agere aut nequeat (non enim omnipotens est, et Deus quosdam limites bene potuit ei assignare), aut nolit (eo quod nempe ei cordi sit incipere a rebus naturalibus, ut etiam opera sua subsequentia naturalia videantur).

Quum tamen de re periculosa agatur, oportet ut solum gravi de causa (v. g. ad tentandum extremum remedium) hypnotizatio adhibeatur. Persona autem infirma huic remedio consentire nequit, nisi hypnotizator sit vir probus, qui neque ad superstitiones neque ad turpitudi-

nes processurus sit. Ad minus denique consulenda erit, ut contra quodlibet Diaboli interventum protestationem emittat.

380. **Quaestio V.** *Circa opiniones auctorum modernorum his in rebus estne aliquid notandum?*

Relate ad **Spiritismum,** Gury (*Casus consc. Vol. I n. 291*), D'Annibale (*II n. 56*) et Génicot (*Vol. I n. 250*), quamvis illum gravissime reprehendant; tamen, si res ad solum motum et gyrum tabulae restringatur, valde benigne loquuntur, et dicunt peccatum esse veniale, vel de interventu diabolico non constare. Sed, quum iam manifestum sit, quod neque ex praetenso fluido electrico, neque ex calorico, neque ex ictibus pulsorum, huiusmodi motus et gyrus (maxime modo vehementi supra indicato) naturaliter oriri possit; quum insuper provocatio motus eiusdem iam evidenter sit tacita invocatio Daemonis, ex qua manifestissimus illius interventus cum effectibus supra descriptis subsequitur; omnino dicendum quod peccatum mortale in re ista reponi debet. Hinc iure merito rigidius loquuntur Lehmkuhl (*I 359-363*), Génnari (*Monit. VII p. 130*), Bucceroni etc. Lapponi autem (*Ipnotismo e Spiritismo C. VIII n. 7*) iustissime dixit: « Lo spiritismo è da condannare e da interdire severissimamente, senza « restrizione, in tutti i suoi gradi, in tutte le sue forme, e sotto tutte « le sue possibili manifestazioni ».

Relate ad **Hypnotismum,** D'Annibale (*II 56*), Bucceroni (*Cas. consc. I 89*), et Génicot (*I n. 265*) docent quod somnus hypnoticus cum debitis cautelis causa medicinae licite procurari potest. Lapponi (*l. c.*) censet quod plura alia hypnotismi phoenomena, comprehensis hallucinationibus et suggestionibus, possunt esse naturalia; sed admittit quod nedum esse potest multipliciter periculosum et damnosum, sed etiam cum spiritismo facile immisceri, et proinde ordinarie esse damnandum, maxime vero ex simplici solatio nunquam esse permittendum. Hinc rectissime plures notant quod, admissa liceitate somni hypnotici ut supra, non ideo licebit somnambulas de remediis interrogare (Cf. D'Annibale *l. c.*), vel dyscolos (ad illos emendandos) hypnotizare et bonis suggestionibus subiicere (Cf. Génicot *l. c.*); in his enim non amplius de solo hypnotismo sed etiam de spiritismi saltem periculo ageretur.

381. **Quaestio VI.** *An liceat ob curiositatem et solatium experimentis spiritisticis vel hypnoticis (superstitiosis) interesse?* Negative 1° Propter communicationem cum Daemone (maxime si interrogationes fierent). 2° Propter cooperationem, et quia interessentes his superstitionibus perpetrandis ansam darent. 4° Propter scandalum. 5° S. Poenitentiaria (*1 Febr. 1882*) declaravit, assistentiam etiam mere passivam spirituum consultationibus et lusibus illicicitam esse ratione scandali et periculi propriae salutis, quae nunquam penitus absunt.

Haec tamen intellige si experimenta sint vere superstitiosa; aut si de hoc merito timendum esset. Secus vero si iam manifeste de praestigiatoribus magnetismum vel

hypnotismum fingentibus ageretur, nec scandalum subsisteret.

Notandum quod Daemon non raro procurat se occultare et inducere persuasionem quod omnia sint naturalia. *Mediums* v. g. incipit sessionem dicendo: *Oremus Deum et B. Virginem ut spiritus mali nostris sessionibus non se ingerant etc.;* vel in decursu experimenti dicit: *Augete, augete fluidum.*

382. **Quaestio VII.** *An ad excludendam malitiam superstitiosam sufficiat contra Daemonis interventum protestationum emittere?* Si solum dubitetur de tali interventu, simulque peragendi experimentum causa gravis subsistat, affirmative; secus vero negative, tunc enim vel protestatio esset contra factum, vel (remanente periculo) causa excusans deficeret.

383. **Quaestio VIII.** *Possetne quis licite experimentis spiritisticis intervenire dummodo obiecta benedicta secum deferret?* Negative; illa enim contra Diabolum vim infallibilem minime habent.

384. **Quaestio IX.** *An liceat interrogare Spiritus, vel Mediums, vel Somnambulas hypnotizatas ad sciendas res utiles vel necessarias, v. g. qualitatem morbi, remedia etc.?* Negative; haec enim *divinationis* malitiam includerent; nec sunt facienda mala ut eveniant bona.

385. **Quaestio X.** *An liceat uti remedio naturali, quod praedictis aliisve modis superstitiosis cognitum fuerit?* Affirmative, si vere ex toto naturaliter operetur. Ratio est quia, licet illa cognitio male parta sit, peccatum tamen transiit, neque virtus naturalis ex eo quidquam mali contraxit. Hoc enim perinde esset ac expendere pecuniam legitimum habentem valorem, quam Diabolus tibi attulisset. Aliud esset si quis in omnibus aut fere omnibus Diabolo crederet, et quasi sub eiusdem directione (ut supra *n. 340 II* innuebam) se constitueret. Cf. Busembaum et Sanchez apud Ballerini (*Op. th. VI.* I *93*).

386. Quid si absque interventu alicuius Spiritistae et exclusa quavis conventione cum Daemone, quis solus sic et simpliciter deprecaretur Principem militiae coelestis ut cum Anima determinatae personae defunctae loqui posset? Quid si facta hac prece, praesentiam Animae advocatae

adverteret; eique quid scire desiderat exponeret. Illa autem eiusdem manum ad scribenda responsa moveret, quae semper essent iuxta fidem catholicam, atque ut plurimum necessitatem suffragiorum et lamenta circa ingratitudinem parentum respicerent? S. C. S. O. (*1 Apr. 1898*) respondit: *Uti exponitur, non licere.* Apud *Monitore* (*X.* II *31*).

CAPUT IV.

DE IRRELIGIOSITATE.

Agendum est 1° De tentatione Dei. 2° De sacrilegio. 3° De simonia.

ARTICULUS I.

De tentatione Dei.

387. *Tentatio Dei* ***in quo consistit?*** In impie provocando vel temere expectando miraculo (aut alio effectu extraordinario) a Deo. Dixi *impie vel temere*; secus enim esset, si quis miraculum sive ad bonum et magni momenti finem humiliter peteret, sive ex certa Dei inspiratione expectaret vel promitteret.

388. ***Quot modis*** *tentatio Dei contingere potest?* Duobus nempe 1° ex culpabili incredulitate (et tunc miraculum impie provocaretur); 2° ex nimia fiducia (et tunc miraculum temere expectaretur).

389. *Quomodo tentatio Dei contingere potest* ***ex incredulitate?*** Exemplum habes in Iudaeis qui Iesu Christo crucifixo dicebant: *Si filius Dei es, descende de cruce.* Alia exempla. Impius horribilissime blasphemat, hostias consecratas pedibus conculcat, et dicit: — Si Deus existit, si Christus est in hostiis istis, si potest me punire; nunc tempus est ut suam existentiam, praesentiam et potentiam ostendat! Eia ergo fulmine me incendat — Alter impius dicit: — Si Deus vult ut credam religionem catholicam esse veram, efficiat ut miraculum aliquod conspiciam. —

390. *Quomodo tentatio Dei contingere potest* ***ex nimia fiducia?*** Exempla huiusce generis sunt innumera. Titius morbo gravi affectus respuit medicinas et expectat ut sanetur a Deo. Caius negligit necessaria ad victum atque educationem filiorum, et dicit quod de his curam habebit Deus. Sacerdos concionem non praeparat, et pro bono concionis ipsius exitu fiduciam ponit in Deo. Petrus expectat a Deo auxilia spiritualia et gloriam aeternam, exponendo se periculis et non ponendo media. Paullus ex curiositate petit videre Angelos. Sempronius ex devotione mala apprehensa vult se nutrire sola Eucharistia, aut transigere quadraginta dies sine ullo cibo; atque interim conservationem vitae a Deo expectat; vel audiens quod S. Franciscus de Paula transivit mare super pallio extenso, idem facere

intendit. Missionarius, ad conversionem haereticorum obtinendam, miracula (sine certa Dei inspiratione) eis promittit. Christifidelis, sine necessitate vel prudenti convenientia, martyrio se offert. Antiquitus tentatio Dei interveniebat dum iudices recurrebant ad ita dictam *prova del fuoco*, ad medium scilicet apprehendendi ferrum candens, vel ambulandi super prunas, ut quis sic pròbaret se esse innocentem, si nempe illaesus remansurus esset. Idem dic de probanda innocentia per duella, quae tunc dicebantur *Iudicia Dei*.

391. *Tentatio Dei cur* ***est peccatum?*** Quia est contra reverentiam Deo debitam (atque adeo contra virtutem religionis); idque verum est non solum quando culpabili incredulitate, sed etiam quando ex nimia et temeraria fiducia, miraculum provocatur vel expectatur. Praetendere enim quod Deus sive ad obtemperandum voluntati cuiuslibet, sive ad satisfaciendum vanae curiositati, sive ad succurrendum stultitiae aut temeritati alicuius, miracula faciat, nonne irreverentia est? Hinc (Matth. *IV*) legitur: « Assumpsit eum (Iesum) Diabolus in sanctam civitatem « et statuit eum super pinnaculum templi. Et dixit ei: « Si filius Dei es, mitte te deorsum; scriptum est enim: « Quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent « te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi « Iesus. Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum « Deum tuum ».

392. *An tentatio Dei sit semper peccatum* ***mortale?*** Tentatio Dei si proveniret ex culpabili et impia incredulitate, esset semper mortalis. Si vero ex nimia et temeraria fiducia proveniret, quamvis tunc quoque ordinarie esset mortalis, tamen aliquando posset esse venialis; si nempe ageretur de re, ex qua, miraculo non obtento, non magnum malum secuturum esset; ut puta, si in levi morbo quis reiiceret medicinam et speraret sanitatem a Deo; multo magis quia res huiusmodi non miracula, sed solum *gratiae*, appellari solent.

393. *Quid si quis in periculum quidem vel ruinam se coniiceret, sed ita ut a Deo nihil expectaret?* De tentatione Dei reus non foret; sed, si ruinam propriam intenderet, contra charitatem erga seipsum delinqueret; vel, si periculum non perspiceret aut a natura remedium expectaret (dum expectari non posset), stolidus esset.

ARTICULUS II.

De sacrilegio.

Agendum est 1° De sacrilegio in genere. 2° De sacrilegio reali. 2° De sacrilegio locali. 4° De sacrilegio personali. 5° De sacrilegio quoad speciem et numerum.

PUNCTUM I.

De sacrilegio in genere.

394. ***Quid est sacrilegium?*** Est indigna tractatio rei sacrae.

395. *Quomodo distinguitur sacrum a non sacro; et cur in rei sacrae mala tractatione intervenit speciale peccatum?*

I. Sacrum est quidquid cultui Dei speciali modo dicatum est. Plures dicunt exigi consecrationem vel benedictionem Ecclesiae ut aliquid sacrum evadat. (Cf. Ballerini *Op. th. VI 135*). Sed hoc mihi verum non videtur; secus enim in usurpandis illis bonis et iuribus Ecclesiae, quae benedicta non fuerunt, sacrilegium non interveniret. Fatendum tamen quod consecratio multum influit ut sacrilegium sit mortale, qua seclusa, peccatum *in ratione sacrilegii* facile veniale tantum erit.

II. In mala tractatione rei sacrae speciale peccatum intervenit, propter specialem reverentiam ei debitam; sicut aliud est conspurcare purpuram mercatoris illam vendentis, et aliud conspurcare purpuram Regis. Cf. Baller. (*l. c. 131*).

Quaedam indignae rerum sacrarum tractationes non sacrilegia, sed *irreverentiae* dicuntur. Haec distinctio hic negligitur, et de sacrilegiis et irreverentiis promiscue agitur.

396. *Sacrilegium estne peccatum* ***mortale?*** Solet esse mortale; sed levitatem materiae admittere potest. Si aliquid sacrum indigne tractetur ex sanctitatis ipsius contemptu, nempe hac ipsa de causa quia sacrum est, tunc sacrilegium est semper mortale. Si vero id fiat ex alio motivo, v. g. ex avaritia, negligentia, acedia etc., tunc

sacrilegium erit mortale vel veniale. secundum quod materia ipsius in genere irreverentiae (attenta dignitate obiecti, qualitate actionis etc.) gravis vel levis erit. Dixi *in genere irreverentiae;* aliquid enim potest esse mortale in alio genere simulque veniale in genere irreverentiae, v. g. si quis in Ecclesia voluntatem occidendi conciperet.

397. *Sacrilegium quotuplex esse potest?* Triplex: reale, locale, personale.

PUNCTUM II.

De sacrilegio reali.

398. *Quandonam sacrilegium est* ***reale?*** Quando contingit in obiectis et actionibus sacris.

Obiecta sacra sunt speciatim SS.ma Eucharistia, Reliquiae Sanctorum, Sacra Olea, altaria, vasa sacra, supellectiles sacrae, Sacrae Imagines, aqua benedicta, bona et iura ecclesiastica.

Actiones sacrae sunt speciatim celebratio Missae, administratio et receptio sacramentorum, sacrae functiones, musica sacra, sacrae conciones, et orationes.

399. *Quid de sacrilegio (quoad gradum culpae) in peragendis sacris functionibus* ***sine statu gratiae?*** Aliquando est grave, aliquando est leve, et aliquando ob solum defectum status gratiae sacrilegium non subsistit.

Est **grave** quoad celebrationem Missae, atque administrationem sacramentorum. Idem (meo sensu) dicendum est de distributione, et de quovis contactu immediato Sanctissimae Eucharistiae (1).

---

(1) Attamen (secluso Sacrificio Missae) confessio non exigitur, sed contritio sufficit. Solam Eucharistiae distributionem, aut aliam (quamvis immediatam) huius augustissimi Sacramenti contrectationem sine statu gratiae, multi a gravi culpa excusant; sed non intelligo quomodo haec doctrina cum gravissimis Ritualis et Catechismi Romani verbis componi possit. Rituale, postquam dixerit: « Impure et indigne ministrantes (Sacramenta) « in aeternae mortis reatum incurrunt », agens specialiter de Eucharistia, subdit, conscientiae sanctitatem adhibendam esse « praecipue *in admi-« strando* SS.mae Eucharistiae Sacramento ». In Cathechismo autem legitur: « Quantum ab eo scelus concipi existimandum erit, qui sibi multo-« rum scelerum conscius est; nec tamen sacra Mysteria polluto ore confi-« cere, *vel in foedas manus sumere, contrectare, atque aliis porrigere ac « ministrare vereatur?* »

Est **veniale** in tangenda SS.ma Eucharistia sed non immediate; item in Parocho qui (sine Missa) matrimonio assistat; item in exercendo officio Diaconatus et Subdiaconatus. Cf. S. Lig. (*VI 35*), et Lugo (*De Sacr. VIII 153 et 154*).

Exercere autem alias functiones sine statu gratiae **nullum** sacrilegium est.

400. *Quid de sacrilegio* ***in recipiendis sacramentis?*** Recipere sacramenta *vivorum* sine statu gratiae; et *mortuorum* sine dispositionibus ad gratiam in iisdem obtinendam requisitis, grave sacrilegium communissime reputatur.

401. *Quid si ex una parte quis esset in mortali: et ex alia casus recipiendi aut conferendi sacramentum, vel etiam Missam celebrandi, ita urgeret, ut (v. g. propter specialem difficultatem poenitendi) tempus se ad contritionem praeparandi et excitandi ei minime suppeteret? Quid si de administrando Baptismo non iam ex officio sacerdotali, sed privatim in casu necessitatis, vel de colligenda particula consecrata quae in terram decidisset, ageretur?* In his casibus, ex defectu status gratiae, sacrilegium non interveniret.

D. Th. (*Supplem. XXXVI. v ad 4*) dicit: « Quando (sacerdotes) « tangunt res sacras, quasi suo officio utentes, peccant mortaliter (si sint « in mortali). Secus autem esset si in aliqua necessitate aliquod sacrum « contingerent, vel exequerentur in illo casu, in quo etiam laicis liceret: « sicut si baptizarent in aliquo articulo necessitatis, vel si Corpus Christi « in terram proiectum colligerent ». Et Lugo (*De sacr. in gen. IV 8*) scribit: « Aliquando (licet raro) evenire posse, ut absque peccato aliquis « scienter indispositus et in statu peccati Eucharistiam sumat: ut si quis « in altari recordetur peccati, et ita arctetur angustiis temporis, ut non « possit attendere ad habendam contritionem, nisi cessando a sacrificio « inchoato cum sui honoris dispendio... Unde consequenter idem a fortiori « dicendum videtur de aliis sacramentis, in quibus (licet raro) occurrere « posset casus, quo propter angustias temporis homo non posset se ad « contritionem praeparare vel excitare, et aliunde non posset absque gra- « vissimo detrimento, vel etiam irreverentia ipsius sacramenti, illud non « suscipere. In quibus casibus, licet sacramentum non conferret gratiam, « non tamen contraheretur novum peccatum, sed esset accessus neuter, « hoc est, absque fructu et absque peccato ». Idem admittit S. Lig. (*VI 33*) si absque mora moribundus baptizari aut absolvi deberet. Haec tamen approbari nequeunt nisi pro casu vere urgentissimo; ut enim optime scripsit D. Th. (*XXXVI. v ad 6*): « Non est perplexus ut necessita- « tem peccandi habeat; quia potest peccatum dimittere, vel officium « resignare ».

402. *Praeter sacrilegia propter defectum status gratiae, quinam alii sunt casus magis practici, in quibus circa res aut actiones sacras sacrilegia vel irreverentiae (sive graves sive leves) contingunt?* Peccatum **mortale**

accidit speciatim 1° Si rectores ecclesiarum SS.mam Eucharistiam non renovent, cum periculo ne sacrae species corrumpantur; et idem dic si absque lampade ardenti Sacramentum integro die, vel aliquot integris noctibus (S. Lig. *VI 248*), relinquant. 2° Si iidem rectores templum, tabernacula, vasa sacra, sacrasque supellectiles ita negligant, ut magnae indecentiae locum habeant; et idem dic si ipsi rectores iura Ecclesiae perire sinant. 3° Si furta sacrilega in materia gravi committantur, et multo magis si bona ecclesiastica usurpentur aut usurpata emantur et in alios usus convertantur. 4° Si obiecta sacra derideantur et publicae irrisioni, v. g. in theatro vel in bacchanalibus, exponantur. 5° Si quis SS.mam Eucharistiam obviam habens nullum reverentiae signum faciat, saltem, si non ex sola pusillanimitate et respectu humano, sed ex impietate et contemptu ita se gereret. 6° Si officia spiritualia mercimonio, in quo simonia consistit (de qua infra verba faciam), exponantur. 7° Si quis (horribile dictu) sacris imaginibus ad se polluendum uteretur; quod in personis a Daemone obsessis saepe contingere solet.

Irreverentiae autem modo graves modo leves contingunt, v. g. si tempore Missae aut sacrarum functionum aut orationis, sive a sacerdotibus sive a simplicibus christifidelibus, debita devotio non praestetur; vel si imagines sacrae non satis decenter pictae (cum scandalo illas intuentium) publice exponantur; vel si vasa sacra a laicis sine necessitate tangantur: vel si aliquod supellectilis benedictae et destructae residuum in usum profanum adhibeatur; vel si corporalia, pallae et purificatoria (quin prius a sacerdote abluta fuerint) abluantur etc. Vide D' Annibale (*Summ. III 25 not. 56*). Irreverentia esset quoque reliquias, vel coronam benedictam aliamve rem sacram, dare concubinae, si praecise pro peccato haec ei darentur. Item si peccata (speciatim externa) committerentur, dum gestantur reliquiae insignes, aut oleum infirmorum, maxime vero SS.ma Eucharistia (etsi occulte). Idem tamen de peccatis commissis, dum consueta numismata collo appensa habentur, (uti patet) dici non debet. Vide Diana (*I.* VII *Res. 80. 91*).

PUNCTUM III.

De sacrilegio locali.

403. *Quandonam sacrilegium est* ***locale?*** Quando offenditur locus sacer; prout contingit 1° in profanatione Ecclesiae; 2° in violatione coemeterii; 3° in fractione clausurae; 4° in violatione immunitatis ecclesiasticae (localis).

404. *Quot modis* ***Ecclesia*** *profanari potest?* Duobus, nempe si in ipsa 1° exerceantur actiones profanae sine necessitate; 2° peccata (speciatim externa) committantur.

405. *Quid de gradu culpae in profanatione Ecclesiae?* Culpa potest esse gravissima, gravis, levis, vel levissima. Ut sit gravis, oportet ut agatur de re externa, quae magnam indecentiam praeseferat. Si sit levis, dicitur potius irreverentia.

406. *Quid de pollutione Ecclesiae?* Ecclesia nedum profanatur sed polluitur (unde indiget nova benedictione) 1° propter homicidium; 2° effusionem sanguinis; 3° effusionem seminis (intellige si sint graviter culpabilia et notoria). Item 4° propter notoriam sepulturam infidelis aut excommunicati vitandi. Sed haec alibi melius explicabuntur.

407. *An Oratorium privatum considerari debeat ut sacrum?* Affirmative. Attamen peccatum grave non aderit, nisi fuerit benedictum, in eoque Missa celebrari possit.

408. *Quot modis potest profanari* ***coemeterium?*** 1° Per quatuor praedicta (et tunc illud quoque nedum profanatur sed etiam polluitur). 2° Per sepulturam eorum, qui iuxta regulas in Rituali expositas in loco sacro sepeliri nequeunt, cuiusmodi sunt praecipue qui notorie impoenitentes mortui sunt.

Videndum tamen an coemeterium sit vere sacrum, et an regulae Ritualis in loco adhuc vigeant; nec circumstantiae particulares aliud omnino exigant.

409. *In quo consistit violatio* ***clausurae?*** Si monasterium sit subiectum clausurae, violatio consistit (si agatur de Monialibus) tum in egressu Monialis, tum in ingressu personae cuiuslibet sine legitima licentia; si vero agatur de Religiosis, solum in ingressu foeminae, et in egressu Religiosi absque Praelati sui licentia. Peccatum (seclusa dispensatione vel regularum laxatione) est mortale.

Sed haec etiam alibi (scilicet ubi agetur de statu religioso) melius explicabuntur.

410. *Quid est violatio localis* ***immunitatis ecclesiasticae?*** Consistit in iniusta et violenta invasione Ecclesiae, aut publici Oratorii, aut domus parochialis, aut palatii episcopalis, aut Seminarii Ecclesiastici, aut domus Regularium, aut coemeterii sacri.

Immunitas violari posset etiam, si absque permissione Ecclesiae reus ab his locis extraheretur. Hoc tamen intellige seclusa necessitate gravissima et urgentissima; et nisi lex ecclesiastica per *concordatum* aut per Ecclesiae tolerantiam cessasset.

PUNCTUM IV.

De sacrilegio personali.

411. *Quandonam sacrilegium est* ***personale?*** Quando male tractatur vel contaminatur persona sacra; cuiusmodi sunt non solum Clerici in sacris et Monachi professi (idem dic de Monialibus); sed etiam clerici *in minoribus* et novitii.

Imo aliquo modo (si quid opinor) quotquot de licentia Episcopi clericalem habitum induunt (etsi tonsuram adhuc non receperint), et foeminae sacrum habitum gestantes in piis congregationibus ab Ecclesia approbatis, quamvis Moniales veri nominis minime sint.

Clerici autem tonsuram habentes et monachi, etiam ante vota solemnia, sunt stricte sacri propter haec duo simul concurrentia; nempe 1° quia servitio altaris et cultui divino ex sancto motivo (quamvis imperfecte et revocabiliter) se dedicarunt; 2° quia Ecclesia ritu solemni eorum personas inter obiecta sacra collocavit. (Saeculares tamen modo mere mercenario Ecclesiae inservientes nullo modo sacri considerantur). Quando autem clerici et monachi solemne castitatis votum emittunt, tunc se Deo dedicant non solum propter servitium altaris, sed etiam quoad castitatem perpetuo servandam.

412. ***Quibus in casibus*** *contingere potest sacrilegium personale?* Iuxta theologos, casus sunt sequentes:

I. Violenta manuum iniectio in clericum vel monachum contra *privilegium canonis;* et traductio personae ecclesiasticae ad iudicem saecularem contra *privilegium fori.*

II. Violatio castitatis post Ordinem sacrum aut professionem religiosam: sive 1° persona sacra solitarie (opere aut sola cogitatione) suum votum violet; sive 2° persona saecularis cum persona sacra peccatum carnale committat (quo casu, supposito consensu ex utraque parte, utrinque sacrilegium committitur); sive 3° persona sacra tentet personam saecularem ad peccandum solitarie vel cum aliis (neque dicas, non alienam sed propriam castitatem fuisse Deo promissam; nonne enim sermonibus turpibus tu quoque peccas contra castitatem?); sive denique 4° duae personae

sacrae carnaliter peccent (quo casu non unicum, sed duplex est utrinque sacrilegium).

413. Equidem isti sunt casus principales; sed aliquo sensu (et iuxta christifidelium persuasionem) de sacrilegio participant aut saltem specialem irreverentiam includunt, v. g. contumeliae, detractiones et aliae iniuriae contra personas sacras. Item peccata mortalia, speciatim carnalia, maxime vero notoria et probrosa, commissa a personis sacrum habitum gestantibus, quamvis nec in sacris nec (solemniter) professae forent. Denique provocationes ad peccandum quomodolibet directae ad personas sacras. Concedendum tamen quod ratio sacrilegii in casibus istis facile levis tantummodo erit. Cf. Diana (*I.* VII *Res. 79*).

414. *An violatio* ***voti simplicis*** *castitatis in persona saeculari includat sacrilegium?* Violatio ista perfidiam certe includit sed non sacrilegium; per huiusmodi enim votum persona ad cultum Dei dicata minime evadit.

Si tamen matrimonium contraheret, propter sacrilegam huius sacramenti receptionem, sacrilegii *realis* reatum contraheret.

415. *An violatio voti simplicis a violatione voti solemnis differat specie?* Affirmative nedum quia in primo casu adest solum perfidia, et in secundo perfidiae sacrilegium superadditur; sed etiam quia, etsi (iuxta aliquorum sententiam) sacrilegium adesset in utroque casu, propter superadditam Ecclesiae ad Dei cultum specialissimam consecrationem, nimia diversitas inter casum et casum formaliter interveniret.

PUNCTUM V.

De sacrilegiis quoad speciem et quoad numerum.

416. *Diversitas* ***speciei*** *in sacrilegiis quomodo cognoscitur, et an desumi debeat ex eo quod sint sive realia, sive localia, sive personalia?*

Differentia specifica desumitur solum ex eo quod laedantur virtutes diversae, aut eadem quidem virtus laedatur sed modo radicaliter et valde diverso. Hinc percussio clerici et violatio monialis specie differunt, quia praeter religionem in primo casu iustitia et in secundo castitas violatur. Communio sacrilega autem et conspurcatio imaginis differunt specie, quia in utroque sola quidem religio sed modo radicaliter et valde diverso violatur.

Oportet itaque et sufficit ut poenitens ita se accuset ut haec cognoscantur; nec est bona regula ut dicat an sacrilegium suum fuerit reale, vel locale, vel personale. Hoc enim aliquando non sufficeret (quid enim si sacerdos, qui peccavit contra castitatem et clericum percussit, diceret solum: commisi duo sacrilegia personalia?); aliquando autem non oporteret (nunquid enim qui ex despectu conspurcavit Ecclesiam, in eaque etiam altaria, imagines et baptisterium, se explicare deberet dicendo: Commisi sacrilegia, inter quae unum locale, et alia realia fuerunt?). Distinctio itaque inter sacrilegia realia, localia et personalia invecta fuit, non iam ad indicandas species diversas, sed solum ad faciendam classificationem, quae ad commodum et perspicuitatem tractationis pro scholis deservit. Cf. Ballerini (*Op. th. VI.* I *n. 132*).

417. *An Sacerdos, qui sit etiam religiosus, si peccet contra castitatem, hanc religiosae professionis circumstantiam exprimere debeat?* Negative. Repetitio enim voti circa eandem materiam et ex eodem motivo peracta, circumstantiam quidem aggravantem in eiusdem violatione, sed non mutantem speciem et novam malitiam inducentem, constituit.

418. *In sacrilegiis quid notandum circa* ***numerum*** *pro regula confessionis?* Pro praxi notandum quod administratio sacramentorum, quae fiat pluribus personis absque interruptione, considerari solet ad modum unius; et proinde, si fiat a ministro non degente in statu gratiae, peccatum unicum consideratur; idque non solum quoad Eucharistiam, sed etiam quoad Poenitentiam, Confirmationem et Baptismum. Poenitens tamen non ita loquatur, ut confessarius intelligere debeat, quod unicae personae Sacramentum administraverit. Vide Lugo (*De Poen. n. 558*).

ARTICULUS III.

De simonia.

Agendum est 1° De natura et malitia simoniae. 2° De merce simoniaca. 3° De pretio simoniaco. 5° De emptione et venditione simoniaca, et de distinctione inter simoniam conventionalem et mentalem. 5° De simonia iuris ecclesiastici, et speciatim confidentiali. 6° De poenis contra simoniacos. 7° De obligatione restituendi ob simoniam.

PUNCTUM I.

De natura et malitia simoniae.

419. *Quomodo* ***distinguitur****? Quomodo* ***definitur****? Et in quo consistit eiusdem* ***malitia****?*

I. **Distinguitur** inter simoniam iuris naturalis seu divini, et simoniam iuris ecclesiastici.

II. Simonia iuris naturalis **definitur** *studiosa voluntas emendi aut vendendi rem spiritualem pretio temporali.*

Dicitur *studiosa voluntas*, quia sufficit etiam emptio aut venditio attentata.

III. Huiusmodi simoniae iuris naturalis **malitia consistit** in gravi irreverentia, vilipendio et sacrilegio; nefas enim est spiritualia cum temporalibus comparare, quasi illa istis aequalia censenda forent; unde Petrus (*Act. VIII*) dixit Simoni Mago: « Pecunia tua tecum sit in perditionem : « quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri ».

IV. Simonia autem solius **iuris ecclesiastici** contingit in contractibus de rebus sacris, qui, propter periculum simoniae naturalis, aliasve malas consequentias, ab Ecclesia (nisi eiusdem approbatio obtineatur) tamquam simoniaci considerantur et prohibentur. De speciali malitia simoniae in materia beneficiaria, vide infra (*Punct. V*).

V. **Summatim** itaque respondendum est quod ad simoniam constituendam, oportet ut vel interveniat emptio aut venditio (saltem attentata) rei spiritualis praecise, pro pretio temporali; vel (si haec extrema non verificentur) agatur de contractu qui tamquam simoniacus ab Ecclesia fuerit prohibitus.

PUNCTUM II.

De merce simoniaca, nempe quaenam sint res spirituales, in quibus simonia intervenire potest?

420. Huiusmodi sunt omnes res et actiones sacrae, quae scilicet cultui divino consecratae sunt, vel ad colendum Deum aut animas sanctificandas proxime diriguntur.

Equidem in rebus et actionibus istis pars quoque temporalis subsistit; sed simoniae obiectum esse possunt, sive quatenus emptio et venditio ad earundem partem spiritualem et sacram dirigatur (exigendo maius pretium intuitu sanctitatis adnexae), sive quatenus pars temporalis vel utcumque sit invendibilis (v. g. dos beneficii), vel Ecclesia contractum tamquam simoniacum damnet.

Et hoc in puncto notissimum est quod temporale potest esse spirituali adnexum tripliciter, nempe 1° *Consequenter*, si sit veluti consequentia rei spiritualis atque adeo quid secundarium, prout contingit in fundis et fructibus beneficii; qui dantur propter officium. 2° *Antecedenter*, si temporale sit quid principale, prout contingit v. g. in fundis qui secum ferunt iuspatronatum, et in templis, altaribus, vestibus aut vasis sacris etc. 3° *Concomitanter*, si temporale consistat in actionibus, nempe in labore qui ad res sacras peragendas exigitur. Hoc postremum subdistinguitur; potest enim esse adnexum *concomitanter intrinsece*, si nempe labor ab ipsa actione sacra sit inseparabilis, ut labor ordinarius et semper necessarius in celebratione Missae, administratione sacramentorum, assistentia moribundorum, concione etc.; vel adnexum *concomitanter extrinsece*, si nempe actioni sacrae sit accidentale, ut puta si ad Missam celebrandam longum iter suscipi, vel usque ad horam incommodam ieiunium servari deberet, aut si de obligationibus ad longum tempus suscipiendis ageretur etc.

421. Veniendo ad particularia, res et actiones spirituales sunt speciatim sequentes: 1° Collatio ordinum, et quarumcumque dignitatum atque officiorum ecclesiasticorum. 2° Collatio beneficii ecclesiastici; ius patronatus,

et praesentatio ad beneficium; item electio, confirmatio et canonica institutio. 3° Exercitium ordinum, seu quaecumque functiones ecclesiasticae, v. g. Missa, sacramenta, benedictiones, exorcismi, consecrationes, exequiae, conciones, cantus sacer, etc. 4° Res benedictae vel consecratae, v. g. templa, altaria, vasa sacra, suppellectiles sacrae, olea sacra, etc. 5° Ingressus in religionem et professio religiosa. 6° Reliquiae Sanctorum. 7° Actus iurisdictionis ecclesiasticae, v. g. absolutio a peccatis et censuris, denegatio absolutionis, indulgentiae, dispensationes, sacra visitatio episcopalis, etc. 8° Orationes etiam privatae, ieiunia, etc. 9° Locus sepulturae in coemeterio benedicto.

PUNCTUM III.

De pretio simoniaco, nempe quid habere possit rationem pretii temporalis?

422. Notissima est regula iuris canonici, quae dicit pretium temporale esse posse munus a manu, munus a lingua, munus ab obsequio.

Munus a manu, scilicet si personae, quae retribuet spirituale, detur, v. g. pecunia; remissio debiti; mutuum (maxime sine auctario); famulatus sine salario; remissio stipendii debiti pro servitiis ei praestitis aut pro celebratione Missarum, etc.; victus, vestitus, habitatio (quin dicta persona aliquid solvat), etc.

Munus a lingua, scilicet intercessiones, commendationes etc. in favorem personae quae datura erit spirituale.

Manus ab obsequio, scilicet homagium vel obsequium, quod in rei spiritualis compensationem exigatur.

PUNCTUM IV.

Quandonam vera emptio aut venditio simoniaca interveniat vel non interveniat? Et quid de distinctione inter simoniam conventionalem et mentalem?

423. *Quandonam non intervenit? Quinam scilicet sunt iusti tituli a simonia excusantes, seu quinam contractus circa res sacras absque simonia fieri possunt?* Casus sunt sequentes:

I. Si temporale nullatemus interveniat, v. g. orabo pro te si tu promittas Missam sine stipendio celebrare pro me.

II. Si temporale detur pro spirituali redundante in utilitatem non dantis ipsum temporale, sed solum in utilitatem illud recipientis; ut si quis det dotem pro professione religiosa, aut promittat praemium pro emendatione, pro actibus virtuosis, etc.

III. Si temporale detur pro spirituali redundante quidem in utilitatem dantis (v. g. dando munus pro beneficio ecclesiastico vel pro Sacramento); sed solum sponte et post factum ex gratitudine. Excipe nisi lege positiva id quoque vetetur (vide infra *n. 434 IV*).

IV. Si temporale detur quidem etiam ante factum intuitu et sub spe spiritualis redundantis in utilitatem dantis; sed ad modum doni atque insuper ita, ut malitia obligandi et veluti cogendi ad spirituale retribuendum non adsit, ut melius infra (*n. 428 II*) explicabitur. Hoc tamen in quovis casu periculosum esse solet.

V. Si temporale detur vel exigatur ad modum mulctae pro quibusdam dispensationibus, et solum in casibus ab Ecclesia approbatis.

VI. Item non est simonia (intellige a parte dantis) si temporale detur ad redimendam iniustam vexationem; attamen solum in quibusdam circumstantiis, nempe 1° si aliqua munera dentur, prouti dari solent pro alia qualibet reconciliatione obtinenda, ita ut qui spirituale dare debet (etsi reconciliatus) adhuc liber remaneat. (Palao *XVII.* III. XX *4*). 2° Si ageretur de re spirituali omnino necessaria, v. g. de Sacramento in extremis, quod nonnisi pecuniam solvendo obtineri posset; tunc enim necessitas ab irreverentia excusat. S. Lig. (*III 103*) aliique, contra D. Th. aliosque. 3° Si vexatio esset quidem in re beneficiaria; sed ita ut agatur dumtaxat de impediendo ne alii subornent superiorem, vel si vexatio iniusta ius iam acquisitum (v. g. praesentationem iam obtentam) respiceret. (Ballerini-Palm. *Tr. VI 294*). Si vero pecunia vel servitium, etc. daretur Superiori ipsi praecise ad obtinendam praesentationem, electionem, vel collationem, quae (prout expresse vel tacite manifestum fuerit) solum soluta pecunia vel praestito servitio etc. tibi dari velit; tunc simonia interveniret. Patet quia hoc expresse supponitur in Cap. *Sicut tuis* sequentis tenoris.

« Sicut tuis litteris intimasti, cum in Iemblacen. ecclesia fueris mo-
« nachus, fuisti tandem promotus ad regimen ecclesiae Flor. Verum abbate
« Iemblacen. post sublato de medio : ipsa quae te prius filium habuerat, in
« patrem per electionem canonicam te vocavit : et quia pastore carebat Leo-
« din. ecclesia cathedralis, ad Coloniensem ecclesiam (quae tua est metropolis)
« proficiscens, ipsius authoritate in Iemblacen. ecclesia interim ministrasti.
« Caeterum, postquam in Leodin. ecclesia fuit episcopus institutus, is a te
« requisitus electionem de te factam noluit confirmare. Verum *cum haec*
« *fieri pro extorquenda pecunia comperisses,* sub interminatione anathe-
« matis vetuisti ne pro facto huiusmodi aliqua pecunia offerretur. Sed quidam
« de fratribus te inconsulto et ignorante contra excommunicationis a te factae
« sententiam venientes, promiserunt pecuniam, et etiam exolverunt : et sic
« ab episc. invitatus institutionem ab eo accepisti libere, quemadmodum po-
« stulabas : et infra. Quamvis autem secundum sacrorum canonum instituta,
« etiam parvuli qui cupiditate parentum ecclesias per pecuniam sunt adepti,
« eas dimittere teneantur : quia tamen longe diversum est non praebere
« consensum, et expresse aliquid prohibere, taliter duximus respondendum,
« quoniam ex eo quod contra prohibitionem et voluntatem tuam (a qua post-
« modum minime recessisti) aliquis te penitus ignorante promisit pecuniam
« et exolvit, praesertim cum in nulla sit tibi consanguinitate coniunctus,
« nihil debet tibi ad poenam vel culpam (sicut credimus) imputari, nisi
« postea consenseris pecuniam solvendo promissam, aut reddendo solutam ».

424. Sed quid si praesentatio vel electio, etc., non ad habendam pecuniam sed ob aliam causam inique denegaretur? Tunc quoque communiter dicunt quod simonia intercederet, et fundantur in Cap. *Matthaeus,* quod sic prostat :

« Matthaeus cardinalis secreta nobis insinuatione monstravit, quod cum
« fuisses ad ecclesiae tuae regimen de voluntate maioris et sanioris partis
« fratrum electus, paucis tibi contradicentibus, quidam amicus tuus de con-
« scientia tua, et voluntate turbata ei qui magister discordiae videbatur,
« certae quantitatis munus exolvit, et sic contradictio conquievit. Nunc
« autem dubitas, quod non sis a labe simoniae prorsus immunis, donec in
« administratione volueris remanere. Quia igitur consilium requisisti quid
« tibi sit faciendum? Respondemus quod multum tibi consulis si admini-
« strationem celeriter ac sponte dimittas, illius verbi memor existens :
« Nihil prodest homini si universum mundum lucretur : animae vero suae
« detrimentum patiatur ».

At vero fundamentum istud non satis solidum mihi videtur, ut patet ex Glossa: probabiliter enim de oppositione non iam iniqua sed iusta agebatur. Aliunde, si iniustitia esset certa et evidens, plures docent quod simonia tunc a *parte dantis* non interveniret. Vide Croix (*III*. I *143*).

Dices : Nonne fieri posset regula generalis quod simonia non adest toties quoties agatur de solvenda pecunia vel de praestanda alia qualibet re temporali ad redimendam iniquam vexationem, quamvis ab ipso beneficii collatore illa quovis modo proveniret ? Negative, quia simonia adesset semper a parte collatoris ipsius, qui pecuniam reciperet, atque

insuper collatio (hac stante simonia) esset semper invalida; unde in conscientia beneficium sic obtentum retineri non posset. Caeterum qui ita coarctatus, ad se redimendum ab iniqua vexatione, pecuniam solveret (si ad superiorem altiorem pro remedio tempestive recurrere non posset) stricto sensu simoniacus non esset, et a S. Sede sanationem et confirmationem (ad beneficium legitime retinendum) petere posset atque deberet. Cf. S. Ligorium (*III 103*) et Ball.-Palm. (*VI n. 297*) dicentem: « Hoc in casu electio « semper foret simoniaca ex parte eligentium (1); atque adeo nulla; et « oporteret petere confirmationem a summo Pontifice ».

Hoc solo sensu (ni fallor) intelligi debet doctrina Canonistarum dicentium quod in casu iniustae vexationis simonia non adest si pecunia detur iis qui possunt solum obesse, adest vero si detur iis qui obesse simul et prodesse possunt.

Quid si ad redimendam iniquam vexationem, non iam temporale sed spirituale (nempe beneficium) daretur? Non esset simonia 1° Casu quo quis, v. g. tibi mortem vel infamiam, etc. comminaretur nisi beneficium ei conferres. 2° Si beneficium persecutori tuo dares cum spe quod a persecutione cesset. Lessius (*II. xxxv 31*) dicit quod si de re ista pactum fieret, simonia interveniret; sed Baller.-Palm. (*Tr. VI n. 229*) de hoc subdubitare videtur.

425. VII. Non est simonia si temporale exigatur non pro sacro ministerio, sed pro utensilibus aliisve expensis necessariis (quae ex officio gratis sustineri non debeant); vel pro scriptura et expensis cancellariae (iuxta taxas legitimas et permissas); vel si vendantur obiecta consecrata (v. g. calices, apparatus, etc.) pro valore materiae (nisi lex aliqua, prout si venderetur sacrum infirmorum oleum, in contrarium adsit); vel denique propter specialem affectionem, seu propter sacrificium, cui quis subiiceretur, aliqua re sacra (v. g. Reliquia) se privando.

VIII. Non est simonia si temporale exigatur pro labore extraordinario, seu (ut aiunt) extrinseco (*n. 420*), dummodo sit proportionatum, v. g. si Missa celebrari debeat in loco dissito, hora incommoda, etc. et *necessarium neque scandalosum sit pactum prius instituere*; vel si speciale aliquod damnum aut lucrum cessans sacerdos pati cogatur, si tali vel tali tempore in sacro ministerio (quod ex officio praestare non teneatur) pro te versari consentiat.

IX. Item si temporale detur, vel acceptetur, vel exigatur iuxta mensuram et conditiones in loco legitime probatas, titulo sustentationis (qui enim altari inservit, de altari

---

(1) Hic itaque sedulo nota quod simonia subsistere posset quamvis esset solum a parte unius.

vivere debet). Dixi *iuxta mensuram et conditiones*, etc. Sic, v. g. stipendium Missae potest dari et acceptari quamvis esset pinguissimum, sed (secluso supradicto incommodo extraordinario) exigi nequit nisi iuxta taxam consuetam, quae iuxta diversa loca et tempora maior vel minor esse potest. Sic etiam quaedam officia (v. g. Missa diebus festis, sermones ad populum, etc.) praestari debent *gratis* a parochis, sed non item ab aliis sacerdotibus.

Quaedam deduci possunt in pactum etiam *ante factum* (v. g. ut pro Missa stipendium detur): et alia (v. g. emolumenta parochi pro sepulturis) solum *post factum* exigi valent. In quibusdam rebus (v. g. pro assistentia moribundorum, pro audiendis confessionibus, etc.) sacerdotes nihil a christifidelibus, sed stipendium proportionatum a parochis (prout fit pro officio vicarii) exigere possunt. Aliqua dari et acceptari (v. g. occasione sacramentorum), sed *non peti*. Aliqua denique (v. g. ab Episcopo occasione sacrae visitationis) *ne quidem sponte oblata acceptari* valent. Cf. *Theologiam Pastoralem* (*Ed. III n. 657*).

426. *Poteruntne sacerdotes exigere retributionem etiam praecise* titulo mercedis *pro labore, qui ab ipsis actionibus sacris, quae petuntur, inseparabilis est?* Hodie negant communiter; sed haec sententia non tamquam indubitata censeri debet; non enim desunt theologi primi subsellii qui aliter sentiunt; unde Laymann (*De Sim. n. 41*) scripsit: « Controversum est, utrum labor, seu defatigatio corporis, quae per se ac necessario coniuncta est cum sacro ministerio, puta celebratione Missae, sacra « exhortatione, etc., pretio aestimari aut mercede locari possit? Affirmant « Adrianus.... Riccardus..,. Bonaventura.... Glossa ». Quibus novissime accedit cl. d'Annibale, qui (*III 444*) dicit, mercedem exigi posse pro labore nedum extrinseco sed etiam intrinseco, et addit: « Sane labor intrin« secus, qua labor est, in quo differt ab extrinseco? » Doctrina ista mihi non prorsus displicet propter sequentes rationes: 1° Quamvis labor intrinsecus a sanctitate sit inseparabilis, hinc non sequitur quod destruatur, pro eoque merces exigi nequeat. Sicut enim ex eo quod calix consecratus non sit vendibilis sub respectu consecrationis, non sequitur quod non sit vendibilis sub respectu substantiae materialis; ita ex eo quod actio sancta non sit pretio aestimabilis sub respectu sanctitatis, non sequitur quod non sit pretio aestimabilis sub respectu laboris materialis. 2° Numerorum (*XVIII 20-31*) legitur: « Dicesque ad eos (Levitas).... Comedetis eas (de« cimas);.... quia *pretium* est pro ministerio quo servitis in tabernaculo « testimonii ». 3° Apostolus agens de ministerio praedicandi verbum Dei, dixit (*1ª Corinth. IX 7*): « Quis militat suis *stipendiis* unquam? », et (*1ª ad Timoth. V 18*): « Dignus est operarius *mercede* sua ». 4° In Cap. fin. *Causa I* dicitur: « Clerici omnes.... *stipendia sanctis laboribus debita....* « consequuntur; » 5° Glossa (*ad cap. Significatum XI.* L. III. v *De Praebendis*) subdit: « Si (Sacerdos) nullum habet beneficium ecclesiasticum, ra-

« tione cuius ad hoc (scil. ad celebranda divina) teneatur, potest *locare* « *operas suas* ad certum tempus, et recipere *mercedem* pro labore suo; « nec simoniam committit ». 6º Iuxta hanc sententiam melius intelligitur cur sacerdotes retributionem recipere et (exceptis excipiendis) exigere possint pro laboribus ex officio non debitis, quamvis ditissimi essent et sustentatione non indigerent, vel etiam quamvis largissima sustentatione per beneficia pinguissima ab ipsa Ecclesia provisi fuissent. 7º Denique melius explicatur cur ea, quae dantur propter functiones ecclesiasticas, non iam cleri (aut particularis sacerdotis) necessitatibus proportionentur; bene vero (ad instar pretii ut in aliis rebus) crescant vel decrescant, iuxta diversa loca et tempora, sumpta proportione, in genere a maiori vel minori sacerdotum et christifidelium spiritualia petentium abundantia, et in particulari a diversitate ministerii; quanto magis enim ministerium quod petitur est diuturnum, vel laboriosum, vel difficile, etc., eo magis retributio crescere solet atque debet.

Caeterum haec semper intellige si quod exigitur sit iuxta conditiones de quibus mox supra (*n. 425 IX*) verba feci.

Hinc, titulo stipendii et mercedis pro incommodo et labore, aut saltem (si id solum concedere velis) titulo sustentationis, licet quid congruum dare non solum sub spe, sed etiam sub praecisa conditione, v. g. applicationis Missae, celebrationis anniversarii, tridui, precum novendialium, sacrae concionis, etc. Idem dic de stipendio praestito clericis sive Missis sive aliis sacris functionibus inservientibus. Idem denique dicendum videtur de retributionibus, quae pauperibus pro pia peregrinatione, auditione Missarum, precibus etc., promittuntur et dantur.

427. *Quandonam vera simonia, seu vera emptio et venditio simoniaca intercedit?* R. Quando ex una parte unus dat spirituale et alter temporale, et ex alia parte in hoc vel celebratur contractus vel intervenit retributio quin adsit ullus ex praedictis titulis qui ab iniustitia et sacrilegio excusent, quod accidit speciatim quando spirituale sine ullo incommodo et labore (prout in patronis et electoribus) vel gratis ex officio dari debeat. Aliis verbis: Adest simonia quando, deficientibus legitimis titulis excusantibus (ut supra), iam iuxta sensum communem de vera emptione vel venditione rei sacrae invendibilis (v. g. beneficii, sacrae ordinationis, sacramenti, etc.) agitur; vel pro pecunia dantur ea quae gratis, pro necessitatibus spiritualibus aut pro meritis, dari deberent (1).

428. *Loquendo de distinctione inter simoniam conventionalem et mentalem, quandonam est* ***conventionalis?***

---

(1) Non tamen esset simoniacus superior qui, absque ullo pacto, conferret beneficium sacerdoti (digno) ut se liberaret a necessitate ei subveniendi eleemosynis, vel cum spe ut sic ille debita contracta non solum erga alios sed etiam erga semetipsum soluturus sit. Baller.-Palm. (*l. c. n. 227*).

I. Quando intervenit *pactum expressum;* et tunc simonia potest esse pura, mixta, et realis. *Pura*, si sola promissio ex utraque parte adfuerit; *mixta,* si executio locum habuerit, sed solum ab una parte; *realis,* si ex utraque parte contractus fuerit executioni demandatus, quin tamen obstet, si forte pretium non totaliter adhuc solutum fuisset.

II. Quando intervenit *pactum tacitum* (1); ita scilicet ut, quamvis conventio expressa non adfuerit, tamen *clare* et *manifeste* temporale datum fuerit ex intentione obligandi ad retribuendum spirituale, et sic vicissim fuerit acceptatum cum tacita promissione dandi ipsum spirituale; unde in tribunalibus quoque de existentia simoniae iudicium ferri posset. Dixi *ex intentione obligandi:* ita scilicet ut, secus (prout dicit Viva in *Prop. XLV* Innoc. XI) superior « aliquam notam subiret, perinde ac si aut iniuste « aut infideliter se gereret, acceptando temporale, et non « conferendo spirituale, aut e contra ». Casum habes, v. g. si quis servitia (magna mercede digna) declararet se gratis praestare Episcopo, de quo sit notorium quod gratis ei inservientibus, beneficia confert; aut si quis ad beneficium concurrens ingentem pecuniae summam daret Episcopo, qui illam acceptaret, simulque beneficium ei conferret. Ita docent Reiff (*h. t. 18*), Lessius (*II.* xxxv 36), aliique cum Viva, qui (*pr. XLV* Inn. XI *16*) dicit, hanc esse veram emptionem beneficii « ad eum modum, quo, quando quis « iudici dat munera alicuius momenti, tunc in morali aesti« matione non censetur gratis illa dare, sed animo obli« gandi illum ad ferendam iniquam sententiam; et iudex, « litem illi adiudicando, dicitur iustitiam vendidisse ». Lessius (*l. c.*) advertit nihil obstare si oblatio in speciem donationis facta fuerit, dum ex circumstantiis *clare* et *manifeste,* cognoscitur quod non de donatione, sed de pretio ad obligandum dato agitur. Hae circumstantiae sunt praecipue sequentes: nempe si collatio beneficii sit imminens, dum prius munera non dabantur; si munus consistat in pecunia,

(1) Notanda est differentia inter pactum expressum et tacitum. In primo enim parum sufficit ut pretii et venditionis natura vel species constituatur; in secundo autem non item.

vel in debiti pecuniarii remissione, vel in obiecto magni valoris, v. g. aureo vel argenteo; si subiectus sit indignus vel parum dignus; si dans et accipiens sint avari, etc.

Dixi *si superior pecuniam oblatam acceptaret et beneficium conferret;* si enim illam non acceptaret (prout fecerunt Apostoli cum Simone), aut si ficte acceptaret et beneficium non conferret; tunc simonia neque realis neque conventionalis constitueretur; et huic simoniae speciei (quae nequidem mentalis dici posset eo quod a parte dantis esset manifesta) canonistae nomen speciale non assignant. Cf. Schmalz. (*h. t. 49*).

429. Notandum quod simonia potest esse **palliata.** Damnatae fuerunt ab Innoc. XI duae sequentes propositiones:

I. « Dare temporale pro spirituali non est simonia, « quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale est solum gratuita « compensatio pro spirituali, vel e contra ».

II. « Et id quoque locum habet etiamsi temporale sit « principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis « ipsius rei spiritualis, ut si id pluris aestimetur quam « res spiritualis ».

Reapse circa gratuitam compensationem, si illa in pactum deduceretur, vel promitteretur sub conditione habendi beneficium, vel ex sese vim cogendi haberet; iam ex hoc ipso in pretium resolveretur. Circa rationem dandi temporale tamquam motivum quod alium inducat ad dandum spirituale; equidem id permitti posset si res esset de Missis, anniversariis, sacris concionibus et similibus, in quibus (propter laborem adnexum) mercedis vel aequae sustentationis titulus intercedit (ut supra dicebam); sed in aliis, quae sine ullo labore dari vel effici possunt (v. g. absolutione, dispensatione, praesentatione, electione, collatione beneficii, etc.) effugium istud valere nequiret. Cf. Viva (*in h. pr. n. XXIII Quoad*) ubi innuit propositionem damnatam fuisse propter suam generalitatem, quasi *universim* licitum esset dare temporale pro spirituali tamquam motivum, et subdit quod in re beneficiaria, et in aliis similibus casibus, *motivum revera habet rationem pretii, ac praesumitur simonia.* Vide etiam Lehmkuhl (*I 497*).

430. *Quid (in re beneficiaria) de dante pecuniam non proprie collatoribus, vel patronis, vel electoribus, sed aliis personis, quae v. g. laudes, intercessiones, preces, etc. apud eosdem adhibendo, ad beneficium obtinendum viam ei sternant?*

Fatentur omnes non esse simoniam si solum et praecise pro expensis itineris, aut pro incommodo exinde sustinendo, aut pro pura et simplici expositione meritorum atque circumstantiarum aut pro calumniarum purgatione legitime alicui personae privatae pecunia solvatur.

Loquendo autem de vera intercessione et commendatione cum precibus, theologi et canonistae non conveniunt.

Schmalz. (*De sim. n. 112*) cum communi dicit: « Oblationem et exactionem pecuniae pro huiusmodi intercessione, commendatione, etc. a labe simoniae, *saltem iuris ecclesiastici*, excusari non posse ». Sed aliqui, quibus novissime accedunt Baller.-Palm. (*Tr. VI n. 235*) et *il Monitore eccles.* (*Vol. IX.* I *pag. 61*) contradicunt. Rationem afferunt quia ex una parte intercessio non est quid spirituale, et proinde (dando temporale pro temporali) non potest adesse simonia iuris naturalis, et ex alia textus iuris canonici qui adducuntur, vel non sunt ad rem, vel non sunt clari, atque adeo rem non evincunt.

Ego censeo simoniam esse recognoscendam si pecunia daretur iis, qui iam ex officio commendationem iuxta merita facere debent (cuiusmodi esse possunt cancellarii, vicarii et consiliarii Episcoporum, maxime vero Episcopi ipsi pro consuetis ad S. Sedem commendatitiis). Ad hoc forsan alluditur in decreto Gratiani (*P. II Caus. I q. 5 C. 3*), ubi Urbanus II expresse supposuit adfuisse simoniam per pecuniam non Episcopo, sed *cuidam principum eius*, datam.

431. *An, casu litis in re beneficiaria, transactio fieri possit ope pecuniae absque simonia?* Auctoritate Episcopi affirmative; auctoritate propria negative.

Enimvero Episcopus potest hoc modo res componere, ita tamen ut pecunia detur non iam ad emendum ius quod collitigans habere posset ad beneficium; bene vero ob alias iustas causas; scilicet 1° ob bonum pacis; 2° titulo sustentationis; quum enim collitigans posset habere ius ad sustentationem ex fructibus beneficii, aequum est, ut, si iuri suo cedat, aliquid sustentationis alio modo (pro rata dubii) ei detur; maxime si in egestate versaretur; 3° in recompensationem expensarum, quas prius sustinuisset; et

quas alter in posterum (usque ad litis exitum) sustinere cogeretur. Cf. S. Lig. (*III 78-80*).

Quod autem privata auctoritate transactiones huiusce generis fieri nequeant absque simonia (saltem iuris ecclesiastici), patet ex pluribus clarissimis iuris canonici textibus; scilicet 1° ex Cap. *Praeterea*, *IX De transact. Tit. 36;* 2° ex Cap. *Super eo, VII* (eod. tit.); 3° ex Cap. *Constitutus IV* (eod. tit.); 4° ex Cap. *Cum pridem* De pactis. *Tit. 35.*

432. *An sit simonia dare pecuniam competitori ut desistat concurrere ad beneficium quod tu praetendis?* Affirmant passim, sed aliqui probabiliter contra sentiunt. Hi sunt Pasqualigo et Elbel eorumque rationes sunt sequentes: 1° Haec abstinentia a concursu nequit dici aliquid spirituale quod ematur. 2° Competitor (abstinendo) nihil positive confert ad beneficii collationem, sed tantum negative se gerit. 3° Ius canonicum de casu isto (saltem clare) nihil statuit.

433. *Quid est* ***simonia mentalis?*** In sensu Canonistarum est non iam simonia mere interna (scilicet propositum mente conceptum committendi simoniam); et nequidem est dare aliquod munus vel praestare aliqua servitia ex solo fine sibi conciliandi benevolentiam et gratitudinem superioris, et cum spe (forte etiam expressa) quod ille gratitudinis debito satisfacturus erit conferendo beneficium; dummodo superior ipse semper liber remaneat, et aliis mediis benevolentiae et gratitudini congrue et commode satisfacere valeat. (Schmalz. *h. t. 53*). Simonia itaque mentalis consistit in dando temporali ad finem obligandi, seu moraliter cogendi, superiorem praecise ad dandum beneficium: sed ita ut haec malitia adsit quidem in mente offerentis, sed (secus ac supra *n. 428 II*) *non clare* et *manifeste* in facto ipso, quod per se talem vim manifestam, inspectis quoque circumstantiis, non haberet; unde (apud Croix *III.* I *58*) Suarez scripsit: « Simonia mentalis dicitur, quando actus exterior, qui in illa intervenit, talis est, ut in illo non statim appareat malitia simoniae, nec ex iis, quae circumstant actum probari possit ».

Exempla. 1° Titius non pauper longo tempore deservit Episcopo et non declarans an gratis inserviat, an vero mercedem expectet, animo suo recondit intentionem habendi pro mercede beneficium, quod episcopus (qui pariter de mercede in posterum ei danda vel non danda nihil dicit) ei confert. 2° Caius Episcopo commodavit centum francos, qui post breve tempus restitui debuissent. Sed, Episcopo nihil restituente, Caius silet, expectando pro illis beneficium; quod reapse ei confert Episcopus, qui nec tunc nec postea de centum illis francis quidquam dicit. 3° Sempronius Patrono cuiusdam Beneficii dat munera alicuius valoris, illumque identidem invitat ad prandium eo solo animo ut suo tempore beneficium ipsum obtineat.

PUNCTUM V.

De simonia iuris ecclesiastici et speciatim de simonia confidentiali.

434. *Quandonam accidit simonia iuris ecclesiastici* ***in materia beneficiaria?*** Casus sunt praecipue sequentes.

I. Vendere beneficia, accipiendo pecuniam non pro iure exercendi officium (tunc enim certe esset iuris divini), sed pro iure percipiendi fructus.

Ita docent plures (contra alios, qui censent, tunc quoque simoniam esse iuris divini. S. Lig. *III 69*). Attamen certe, praeter simoniam iuris ecclesiastici, interveniret iniustitia; unde Alexander VII damnavit sequentem prop.: « Non est contra iustitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur ». Enimvero beneficia pro pecunia dare iniustum est; non solum quia clerici cogerentur emere id quod gratis obtinere debent; sed etiam (imo praecipue) quia beneficia non sunt Episcoporum aut patronorum, sed Ecclesiae, quae nullo modo consentit nec consentire potest, ut vendantur et emantur; bene vero vult ut pro meritis et iuxta fundatorum intentionem conferantur; atque adeo vult etiam ne pro pecunia dentur, vel pro ipsis aliquid exigatur, (vel privata auctoritate) quidquam oneris imponatur. Nec solum de iniustitia ageretur, sed etiam de sacrilegio; in re beneficiaria enim

praesentatio, electio, collatio etc., sunt actus spirituales, quos vendere et emere sacrilegum est.

II. Vendere ius patronatus. Haec est certe simonia iuris ecclesiastici, sed plures censent esse etiam iuris divini. Cf. S. Lig. (*l. c. 71*).

III. Transationes facere circa beneficia absque legitima auctoritate, ut patet ex supradictis (*n. 431*).

IV. Aliquid dare (etsi sponte) examinatoribus synodalibus, vel sponte datum accipere, occasione examinis in concursu ad ecclesias parochiales. (*Trid. XXIV.* xviii) et Cf. Ballerini (*n. 289 III 6*).

V. Si quis promittat pecuniam pro fabrica vel dotatione Ecclesiae, vel pro quovis alio opere pio, sub conditione quod ei detur beneficium. Ratio est, quia (seclusa approbatione Pontificis) omnes pactiones in materia beneficiaria sunt simoniacae. Cf. *Monitore* (*X.* i *65*).

VI. Beneficia commutare sine legitima auctoritate. S. Lig. *l. c. 72-76*).

VII. Resignare beneficium in manu Episcopi cum designatione personae, scilicet conventione facta cum Episcopo ipso, ut beneficium eidem personae detur. Resignationes huiusmodi solum in manu Pontificis absque simonia fieri possunt. S. Lig. (*l. c. 81-84*).

VIII. Aliquid solvere pro admissione in possessionem beneficii, nisi ex consuetudine ageretur de solutione ad causas pias.

435. *Quandonam intervenit simonia* ***confidentialis*** *seu fiduciaria, seu qualificata?* Intervenit quando qui alteri beneficium dat vel renuntiat, sibi aliquid reservat circa beneficium ipsum pacto occulto vel a solo Episcopo approbato, sine licentia Sedis Apostolicae. Renuntiationes huiusmodi possunt esse sequentes. 1º Reservatio *fructuum vel pensionis* (adest simonia iuris ecclesiastici, quamvis pensio esset spiritualis seu clericalis. S. Lig. *73*). 2º Reservatio *accessus,* seu pactum renunciationis post aliquod tempus, ut alter beneficium ipsum tunc habere possit. 3º Reservatio *ingressus* vel *regressus*, quae accidit quando quis ad beneficium nominatus, vel beneficium iam possidens, illud renuntiat in favorem alterius, cum pacto in illius

possessionem ingrediendi vel regrediendi, quando beneficiatus illud dimiserit.

436. *Quandonam intervenit simonia iuris ecclesiastici* ***extra materiam beneficiariam?***

I. Si aliquid accipiatur (etsi sponte oblatum) occasione collationis Ordinum vel primae tonsurae. Excipe taxam consuetam pro Notario et candelam pro Episcopo, et mappam (*tovaglia*) dandam a Presbyterandis. Excipe etiam taxam consuetam pro dimissoriis et testimonialibus.

II. Si exigatur pecunia pro admissione ad Religionem, ratione non ipsius status religiosi (tunc enim esset iuris divini), sed sustentationis; nisi consuetudo esset in contrarium vel paupertas monasterii excusaret.

III. Si vendantur vel emantur officia Procuratoris, Sacristae, Oeconomi, Defensoris Ecclesiae, vel Thesaurarii, vel Cantoris.

IV. Si aliquid accipiatur pro erectione vel aggregatione piae Confraternitatis.

V. Si vendatur Oleum benedictum vel Chrisma, etsi pro solo valore materiae. Excipe nisi alicubi aliquid minimum acciperetur ex consuetudine (*Acta XIII 184*).

VI. Si rosaria, cruces, vel numismata *benedicta* venditioni exponerentur.

VII. Si (ut alibi iam dixi) aliquid, etsi sponte oblatum recipiatur occasione visitationis episcopalis, excepta procuratione (*Trid. XXIV.* III) de qua notandum 1° quod in civitate episcopali et suburbiis nulla debetur procuratio (S. C. C. *17 Nov. 1865*); 2° quod vecturae in ea non comprehenduntur, ut pluries decisum fuit. Cf. Lucidi (*I.* II *n. 51*) et Ferraris v. *Episcopus* (*c. VI n. 115*). Itaque in solis victualibus consistit. Vecchiotti (*I B. 64*) dicit: « Exceptis tamen itineris et equorum seu vecturarum « expensis, quae nunquam Episcopo visitanti debentur ». Ex « S. C. C. *Ferent. 26 Febr. 1826*.

Alicubi tamen consuetudo viget ut Episcopi vel alii de eius comitatu, speciatim occasione sacrae visitationis, aliquid accipiant. Agiturne de consuetudine legitima, an vero de corruptela? R. Agitur de corruptela. Patet ex decisione S. C. C. (*17 Dec. 1881*); quum enim quidam

Caeremoniarius ex antiqua consuetudine recipere soleret duodecim libellas a rectoribus Ecclesiarum, S. C. interrogata an talem retributionem percipere valeret, respondit: *Negative, nisi operam suam praebeat a rectoribus Ecclesiae specialiter invitatus.* Vide Acta S. Sedis (*XV pag. 81-85*), ubi subditur: « Nihil esse accipiendum, praeter « victualia, sacrae visitationis causa, ita rigorose praece- « ptum fuisse, ut minime proficiat contraria consuetudo, « etiam immemorabilis ».

VIII. Si vendantur vel emantur sacrae reliquiae, quamvis authenticitate pollentes, sigillo munitae, et in capsulis reconditae essent. Ita SS.mus D. N. Leo XIII (*21 Dec. 1878*). Vide Ball.-Palm. (*Tr. VI n. 299*).

PUNCTUM VI.

De poenis contra simoniam.

437. *Quaenam sunt poenae istae?* In casibus hic declarandis sunt praecipue 1° Excommunicatio. 2° Invaliditas actuum. Dixi *praecipue*, quia interdum adest etiam privatio beneficiorum, et irregularitas.

Declarationis gratia notanda sunt sequentia.

I. **Excommunicatio** Romano Pontifici simpliciter reservata fertur contra reos simoniae *realis* (Cf. *n. 428*) in beneficiis quibuslibet et complices. Item contra reos simoniae *confidentialis* (Cf. *n. 435*) in beneficiis quibuscumque cuiuscumque sint dignitatis. Denique contra reos simoniae *realis* ob ingressum in religionem.

Si tamen casus esset occultus, tunc absolvere possent etiam Episcopi, ex Cap. *Liceat.* Cf. Const. *Apostolicae Sedis.*

II. Ob simoniam *realem* in materia beneficiaria, incurritur **invaliditas** *electionis, praesentationis et canonicae institutionis;* unde sic provisus nequit fructus facere suos.

Hoc verum est quamvis pecunia data fuisset a tertia persona, proviso prorsus ignaro. Excipe nisi per biennium in bona fide mansisset; vel, cognito simoniae consilio, contradixisset, et nihilominus eo inscio simonia commissa fuisset; vel denique tertius simoniam commisisset eo fine ut illum inhabilem redderet.

Ob eandem simoniam incurritur etiam **inhabilitas ad idem Beneficium in posterum obtinendum.**

Dispensatio ab inhabilitate ista reservatur Sanctae Sedi si provisus fuisset reus; secus (beneficio resignato), dispensare posset Episcopus. Cf. Bucceroni (*n. 77*).

Generatim autem, an et quo pacto obtineri possint sanationes. Vide Bened. XIV (*Notif. XIII in fine*).

Propter simoniam confidentialem incurruntur eaedem poenae statim ac beneficium datum et acceptatum fuerit, etiamsi pactum ab eo, qui illud recepit, nondum fuisset impletum. Vide alia apud Scavini (*II 143*).

III. Propter simoniam ob ingressum in religionem, praeter excommunicationem, incurritur etiam **infamia iuris,** et proinde **irregularitas** ex utraque parte. Professio tamen (N. B.) valida esset.

IV. Omnes electiones simoniacae ad Generalatum, Rectoratum et quodlibet officium spirituale in religione, sunt **invalidae.**

V. Ob simoniam commissam ab Examinatoribus synodalibus (recipiendo aliquid occasione examinis pro paroecia), tam ipsi quam dantes absolvi nequeunt, nisi **dimissis beneficiis,** quae quomodocumque etiam antea obtinebant. Insuper ad alia in posterum **inhabiles** redduntur. Trid. (*XXIV.* XVIII).

VI. Ordinati ab Episcopo simoniaco incurrunt **irregularitatem.**

N. B. Propter simoniam *mentalem* **nulla poena** incurritur. Ball.-Palm. (*VI 313*).

PUNCTUM VII.

An et quomodo simoniaci teneantur ad restitutionem?

438. *An adsit obligatio restituendi* ***rem spiritualem simoniace acceptam,*** *seu (ut aiunt) mercem simoniacam?*

Merx simoniaca potest esse 1° Aliquid quod restitui nequeat, v. g. Sacramentum, Ordo sacer, professio religiosa, etc. Potest esse 2° Beneficium ecclesiasticum. Potest esse 3° Officium ecclesiasticum, vel ius ad pensionem, vel quidquid aliud nomine Ecclesiae conferendum. Potest esse 4° Alia res sacra quae pacto privato simoniace vendita fuisset.

I. Si sit aliquid quod restitui nequeat, non est cur de restitutione loquamur.

II. Si sit Beneficium ecclesiasticum, hoc certe restitui debet, et quidem in conscientia ante quamlibet iudicis sententiam. Ratio est quia illius collatio (iure ecclesiastico) invalida fuit ipso facto.

Consequenter idem dic de fructibus ex eodem perceptis. Excipe 1° nisi quis bona fide eos percepisset et consumpsisset, quin factus fuisset ditior. Excipe 2° stipendium servitio (si praestitum fuerit) debitum; et a fortiori quae *iure stolae* recepta fuerint. Dicti fructus restituendi sunt sive Ecclesiae in qua adest beneficium (dummodo ex hac restitutione commodum non recipiant ii qui simoniam commiserunt), sive (ut aliqui dicunt) successori in beneficio, sive pauperibus, sive causis piis (nisi compositio cum Pontifice obtineatur).

III. Si sit officium ecclesiasticum aut quidquid aliud (diversum a Beneficio) quod nomine Ecclesiae conferatur; tunc nulla lex traditionis invaliditatem (ipso facto) statuit; et proinde restitutionis obligatio (ante iudicis sententiam) non adest.

Nec obstat quod res istae datae fuerint cum obligatione vel sub conditione solvendi pretium simoniacum: huiusmodi enim obligatio subsistere non potest; et Ecclesia, dum ratam habet collationem, reiicit conditionem, et pro non adiecta illam habet, ut docet Schmalzgrueber (*V.* III *n. 284*).

IV. Si denique sit alia res sacra, quae pacto privato simoniace vendita fuerit; utique tunc contingere posse dicerem quod sit restituenda casu quo venditor, ad modum conditionis sine qua non, pretium habere intenderit; tunc enim, deficiente voluntate transferendi dominium, hoc ipsum dominium transferri non posset, et sic res accepta (dum alter pretium non obtineat aut retinere nequeat) eidem restitui deberet. Si ageretur de Reliquia, aut alia re sacra cuius dominium semper manuat apud Ecclesiam, Episcopus consuli deberet. Cf. Baller.-Palm. (*VI-299*).

439. *An et quibus in casibus restituendum sit* ***pretium simoniacum?***

Obligatio restitutionis oriri potest tantummodo ex laesione iustitiae, aut ex speciali lege Ecclesiae vel sententia Iudicis, quae ad restitutionem obliget; non vero ex solo sacrilegio. Hinc obligatio restituendi pretium intervenit in sequentibus casibus.

I. Si pretium acceptum fuerit pro re mere spirituali, quae non est vendibilis nullumque pretium temporale habet.

Vendidisti, v. g. res sacras aut benedictas, et intuitu consecrationis vel benedictionis maius pretium exegisti: aut vendidisti Reliquias, et ultra valorem thecae (vel expeditionis) pretium voluisti, etc. Idem dic de sacerdote non obligato ad ministranda *gratis* spiritualia, qui, ultra stipendium legitimum, aut valorem laboris, pretium exegisset.

II. Si pretium acceptum fuerit pro re temporali coniuncta cum spirituali, vel relationem habente cum spirituali, quae ex officio gratis dari debuisset.

III. Si pretium receptum fuerit a Patronis Beneficiorum, aut Electoribus, aut ab iis qui forte ius beneplaciti haberent.

Alexander III (Cap. *De hoc*) dixit: « Regem autem et Principes eius « debes inducere, ut si qua receperint a praefato Episcopo, ut eius ele- « ctioni praestarent assensum, Ecclesiae.... sine diminutione restituant, « cum ea sine gravi suae salutis periculo retinere non possint ».

440. *Pretium istud cuinam restitui debet?* Regulariter restitui debet danti.

Dixi *regulariter;* in re enim beneficiaria, etsi, beneficio non adhuc tradito, pecunia restitui debeat danti; tamen illo tradito, restitutio facienda est Ecclesiae in qua est beneficium, ut patet ex citatis Alexandri III verbis. Plures tamen docent, hoc esse intelligendum solum post Iudicis sententiam; qua non interveniente, restitutionem fieri posse (imo debere) danti. Cf. Ballerini (*Op. th. Vol. II n. 360*), qui exinde deducit, in casibus omnibus (seclusa Iudicis sententiam) restitutionis obligationem cessare, si qui pretium dedit, gratuito illud remittat.

441. *Quibus in casibus pretium acceptum restituendi obligatio non adest, eo quod simonia quidem sed non iniustitia adfuerit?* Ante iudicis sententiam, casus (saltem iuxta plures magni nominis canonistas et theologos) sunt sequentes.

I. Si beneficiatus renunciaverit suum beneficium (atque adeo se privaverit emolumentis ex eo derivantibus), ut postea illud obtineret alter, a quo pro renuntiatione ista pretium acceperit.

Idem dic a fortiori si habens aliud officium Ecclesiae (v. g. cantoris) et maxime si esset officium temporale (v. g. Oeconomi), illud dicto modo renuntiasset. Cf. Ballerini (*l. c. n. 354*).

II. Si Monasterium acceperit pecuniam pro admissione alicuius ad religionem, dummodo 1° pecunia accepta non excesserit aestimationem alimentorum personae admissae; 2° pecunia ipsa non in privatam Abbatis vel Abbatissae utilitatem, sed in communem Monasterii usum adhibita fuerit. Ballerini (*l. c.*).

III. Si habens fundum, cui adnexus est ius patronatus, illum carius vendiderit, eo quod honore temporali (ex iure illo derivante) se privaverit.

IV. Si quis iusto pretio vendiderit imaginem miraculosam, computando lucrum quod ex illa percipiebat; vel aliam rem spiritualem seu sacram, computando voluptatem quam ex illius possessione hauriebat.

V. Si adesset prohibitio recipiendi aliquid ultra taxam pro celebratione Missae, non obstante tali vel tali incommodo extrinseco, statutam; et nihilominus sacerdos sine laesione iustitiae aliquid ultra illam exegisset. Idem dic de sacerdote qui non obligatus ex officio, pro tali vel tali sacra functione, quae ex lege vel consuetudine gratis praestari debeat, pretium, quod non excedat laboris et incommodi valorem, exegisset. Ballerini (*l. c.*).

Sectio II.

DE SECUNDO DECALOGI PRAECEPTO.

442. Hoc praeceptum dicit: *Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum.* Praecipit honorem Nomini Dei exhibendum, et proinde vetat quamlibent contra illud irreverentiam, quae accidere potest 1° in blasphemia; 2° in vana Nominis Dei usurpatione; 3° in adiuratione; 4° in iuramento; 5° in voto.

CAPUT I.

DE BLASPHEMIA.

ARTICULUS I.

De natura et malitia blasphemiae eiusque distinctionibus.

443. ***Quid est** blasphemia?* Est locutio contra Deum vel Sanctos vel res sacras per modum contumeliae aut maledictionis.

Dicitur *locutio,* quia proprie consistit in verbis sive ore prolatis sive scriptis.

Theologi advertunt I. Blasphemiam non posse consistere in nutibus; sed certe etiam nutibus gravis vel gravissima contumelia exprimi valet, ut puta, si quis (veniam peto de hac et sequentibus expressionibus, quas claritatis gratia adducam) *facesse le corna a Dio;* unde huiusmodi nutus blasphemiae aequivalerent.

Advertunt II. Blasphemiam veri nominis esse non posse pure mentalem. Hoc verum est; sed, sicut malitia furti vel homicidii potest esse etiam in affectu, idem dici debet de blasphemia; dummodo verba blasphema vere sint in affectu, et non (prout in personis piis subinde contingit) in sola mente, reluctante voluntate.

Dicitur *contra Deum vel Sanctos vel res sacras,* quia blasphemia esset quoque si maledicerentur res aut personae sacrae qua tales, v. g. maledicendo sacramenta, Ecclesiam, altare, Papam etc.).

Dicitur *per modum contumeliae,* quia simplex usurpatio vana Nominis Dei (in qua contumelia non adesset) blasphemia minime foret.

Dicitur denique *aut per modum maledictionis*, quia contumelia supponit sermonem directum ad personam praesentem vel consideratam ut praesentem; sed blasphemia intervenit etiam quamvis haec circumstantia (et proinde contumelia stricte dicta) non verificetur; bene vero si utcumque Dei vel Sanctorum etc. interveniat maledictio. Haec autem maledictio duplici modo intervenire potest: 1º Maledicendo sic et simpliciter Deum vel Sanctos etc. 2º Attribuendo aliquod malum Deo vel Sanctis etc. (v g. *Dio non è giusto*). Sed haec melius declarabuntur infra.

444. *An peccent, qui blasphema verba obtruncant, et alterant, aut illis aliud verbum addunt, quod sensum blasphemum destruit?* Exemplum habes in iis qui, loco dicendi *Dio*, dicunt *dis, dios, Dio di legno, Dio di carta, Dio vecchio, Dio cattivo* (idest: non Deum bonum, non Deum verum), *Dio che non s'usa,* etc.? Isti certe non blasphemant, et aperte indicant se blasphemare nolle.

Interdum tamen malitia blasphemiae adesset, si in addendo verbo blasphemiae destructivo, nimis tardarent; vel si ab initio intentionem habuissent blasphemandi, et solum, blasphemia iam prolata, poenitentia ducti illud verbum adiungerent.

Praeterea, si in huiusmodi locutionibus essent habituati, aliquot scandalum praeberent, et in aliquod vere blasphemandi periculum se coniicerent: unde ab omni prorsus culpa excusandi non sunt (Croix *III.* I *232*). Genitores autem curare debent ut filii ab his (ut ita dicam) dimidiatis blasphemiis abstineant, ne postea ad veras blasphemias gradum faciant.

445. *Quid advertendum circa rudes, qui in confessione dicunt se blasphemasse?* Saepe sic dicunt, quamvis verba blasphema obtruncaverint, etc. (ut modo dicebam), aut in vanum tantummodo Nomen Dei usurpaverint, imo et quamvis imprecationes (contra creaturas) vel sola verba inurbana protulerint. A confessario itaque interrogandi sunt.

446. *Quid de illis qui ex habitu contracto, aut magna ira abrepti, blasphemant? Potestne scilicet contingere quod desit reatus ex defectu advertentiae?* Certe habitus (si iam a longo tempore contractus fuerit) efficere potest ut blasphemiae evaserint tamquam *intercalare*, quod saepe saepius sine advertentia proferri solet. Posset tamen remanere reatus in causa; sed (ut notat Ballerini) oporteret ut persona reflexisset se peccare mortaliter eo quod ad habitum ipsum destruendum media sufficientia non adhi-

beat; quae reflexio in personis rudibus contingere non solet. Si autem ira magna superaddatur, tunc adhuc facilius advertentia deficere potest; in magno enim impetu irae ratio obnubilatur, et homo (ut dici solet) caecus evadit et nescit amplius quid dicat et quid faciat (sed de re ista vide theologiam fundamentalem; ubi de actibus humanis et praecise de concupiscentia et de habitu). Confessarii itaque interrogent poenitentes an prius vel actu blasphemiae, an vero solum postea se blashemasse adverterint.

447. *Quid de* ***gradu culpae*** *in blasphemia?* Est peccatum mortale ex toto genere suo, neque admittit parvitatem materiae.

Solum ex imperfectione actus (scilicet ex defectu plenae advertentiae) blasphemia venialis reddi potest.

Aliqui tamen notant, levitatem materiae intervenire si ex ioco aliquid indecorum diceretur de Sanctis, ut puta, si Sancti Ioannes et Paulus dicerentur eunuchi. Ballerini (*Op. th. VI.* II *17*).

448. *Quomodo* ***dividitur*** *blasphemia?* Alia est simplex, alia haereticalis, alia haeretica. Est *simplex* quando praeter contumeliam aut simplicem maledictionem contra Deum etc., nullam aliam malitiam continet. Est *haereticalis* quando blasphemus immiscet etiam aliquid fidei contrarium, sed sine errore interno (1). Si autem error quoque internus adesset, tunc *haeretica* foret. Sed de his differentiis agendum est singillatim in articulis sequentibus.

449. *Quot modis blasphemiae possunt esse* ***specie diversae****, atque adeo in confessione distinguendae?*

I. Blasphemia *haereticalis vel haeretica* specie distinguitur a *simplici*; dum enim in ista solum religio, in illis fides quoque laeditur.

II. Blasphemia prolata *ex odio contra Deum*, et proinde cum directa intentione illum inhonorandi, specie distinguitur ab aliis quae sine odio Dei, ex ira contra creaturas, proferuntur. Ballerini (*l. c. 19 41*).

---

(1) Busembaum apud S. Lig. (*III. n. 122*) dicit esse haereticalem solum quando coniungitur cum errore interno, secus esse simplicem. Sed hoc non est admittendum, quia Episcopi solent sibi reservare blasphemiam haereticalem, dum haeretica reservatur Papae. (Ballerini, *Op. theol. Tr. 5 Sect. 2 C. 1 n. 9*).

III. Blasphemias specie non distingui secundum quod contra Deum, vel contra B. Virginem, vel contra Sanctos proferantur, docent theologi, quia (dicunt) eadem semper virtus (nempe religio) offenditur, nec modus est substantialiter diversus; qui enim blasphemant Sanctos, reipse blasphemant Deum, qui vilipenditur in Sanctis suis. Sed haec doctrina est contra sensum communem christifidelium; ipsi enim, quamvis a confessariis non interrogarentur, sponte sua ordinarie blasphemias istas distinguunt; et quando blaspemant Sanctos, credunt quidem offendere, sed non blasphemare Deum. Aliunde modus offendendi religionem videtur non accidentaliter sed substantialiter diversus; nimia enim est differentia inter eum qui Sanctos, et eum qui Deum ipsum directe blasphemat: quod patet etiam ex differentia inter vilipendium Aulici, et vilipendium Regis ipsius.

IV. Blasphemiae saepe differentiam specificam sumunt etiam ex *scandalo*.

Explicatis his differentiis, certe a poenitentibus, quaenam verba prolata seu quaenam expressiones adhibitae fuerint, in confessione explicare non oportet.

ARTICULUS II.

De blasphemia simplici.

450. ***Quot modis** contingere potest blasphemia simplex?* Duobus modis principalibus, scilicet 1° maledictione; 2° contumelia. Sed ad maledictionem reducitur furor; et ad contumeliam reducuntur sive verba exprimentia vilipendium, sive improperia quae animo contumelioso aut irrisorie proferantur.

Aliis verbis: blasphemia simplex contingere potest 1° maledictione; 2° vilipendio; 3° improperio; 4° irrisione; 5° furore. Do exempla.

Maledictione; ut puta, dicendo: *Maledetto te e chi ti ha creato*, aut *Accidenti a Cristo* aut *Managgia Dio.*

Vilipendio, dicendo, v. g. *Madonnaccia: Colui di Dio*, etc.

Improperio, si nempe aliquid criminosum, aut probrosum, aut vile animo contumelioso exprobraretur, ut puta, si Sanctus Rex David *Sanctus adulter;* vel Sancti Ioannes et Paulus *Sancti eunuchi;* vel Christus *il figlio del falegname* appellarentur.

Irrisione, si praedicta vel similia non animo contumelioso, sed irrisorie dicerentur.

Furore, ut puta, dum quis iratus dicit: *Corpo di Dio*, *Sangue di Dio, Sangue della Madonna, Ostia*, *Sacramento*, etc., quasi nempe haec furibundus aggredi et destruère vellet.

In hoc conveniunt omnes, si animi indignatio contra Deum, vel B. Virginem praecise directa esset. Sed, hac quoque seclusa circumstantia, huiusmodi verba cum magno furore prolata communissime apud nos pro magna et gravi irreverentia sensu populi habentur; unde in magnam Dei et B. Virginis inhonorationem redundant, et a peccato mortali excusari nequeunt. Aliqui dicunt: verba ista in se considerata nihil convicii, nihil contumeliae continent: quomodo ergo gravem irreverentiam secum ferre possunt? Respondeo. In Calabria vulgare est effatum *Sanctus diabolus*. Hoc in se consideratum honorem diabolo praebet; attamen in sensu populi pro signo honoris diabolo praestiti minime habetur. Hac itaque in re verba sunt consideranda iuxta sensum non iam grammaticalem sed popularem. Atqui verba praedicta, si (repeto) cum clamore et magna ira proferantur, magnum faciunt horrorem, et sensu populi apud nos pro magna irreverentia ab omnibus habentur (ut dixi). Donec itaque huiusmodi sensum blasphemum habeant, a peccato mortali, nisi inadvertenter e lingua excidant, excusari nequeunt, ut recte docet P. Segneri (*Crist. istr. P. 1, R. 8, n. 4*). Adde quod huic gravi contra Deum irreverentiae scandalum superadditur, quatenus viri sic pessime habituati in causa sunt cur in familiis et paroeciis istae blasphemiae perpetuentur, et sic innumera peccata mortalia committantur. Hoc in puncto caute legendus Ballerini-Gury (*I 296*).

Notari potest etiam quod communiter maior horror habetur si dicatur *sanguis*; minor autem si dicatur *corpus*; adhuc denique minor si dicatur *per Deum*.

ARTICULUS III.

De blasphemia haereticali et haeretica.

451. ***Quot modis*** *contingere potest blasphemia haereticalis vel haeretica?* Tribus: 1° Attribuendo Deo (vel B. Virgini, etc.) quod ipsi non convenit. 2° Negando quod eidem convenit. 3° Attribuendo creaturae quod soli Deo convenit.

Exempla primi modi. Huiusmodi communiter censentur esse illae blasphemiae horribilissimae (hodie heu nimis communes!), quibus Deus dicitur *porco, boia, cane*, *vigliacco*, etc.; vel B. Virgo dicitur *putt....*

Exempla secundi modi: — *Dio non è giusto:* — *Dio non è provvido: ci ha fatti e ci ha abbandonati: Dio non sa quello che si faccia:* — *Non è buono nemmeno*

Dio (negando scilicet eius potentiam). Idem dic si eius existentia negaretur vel in dubium revocaretur, dicendo, v. g.: — *Dio non c'è:* — *Se è vero che ci sia Dio,* — etc.

Exempla tertii modi: — *Satana è più fedele di Dio:* — *È meglio star col Diavolo che con Dio,* etc.

N. B. Quum tamen expressiones istae nec maledictionem indicent nec contumeliam (contumelia enim dirigitur ad personam quae est vel censetur esse praesens, atque adeo exprimitur casu vocativo), etsi a theologis dicantur blasphemiae, sensu communi non blasphemiae, sed haereses appellantur; et Ballerini (*l. c. n. 5*) dicit blasphemiam haereticalem intervenire quando « simul cum contumelia additur error contra fidem. Dixi *simul* « *cum contumelia;* quia, si haec absit, erit haeresis, sed non blasphemia ». At vero, quum haec sit quaestio de nomine, non refert immorari.

452. *An qui blasphemat haereticatiter sit* ***denuntiandus?*** Lex denuntiandi blasphematores (apud nos) in desuetudinem abiit. Viget tamen adhuc, si de *sacerdote* ageretur. Vide etiam Ballerini (*l. c. 7*).

CAPUT II.

DE VANA USURPATIONE NOMINIS DEI.

453. ***Quid est*** *vana usurpatio Nominis Dei?* Contingit quando, nulla interveniente necessitate aut convenientia (attamen etiam sine ulla contumelia aut maledictione) Nomen Dei profertur. Idem dic de Nomine B. Virginis, vel Sanctorum, vel SS.mi Sacramenti, etc. Hoc contingere potest praecipue 1° Ex quadam impatientia; dum scilicet, occurrente aliqua re molesta, quis impatienter dicit: *Ma Santo Dio!* 2° Ex quodam intercalari, dicendo (sine furore), v. g. *Corpo di Dio, Sangue della Madonna*, etc.

454. *Quid de gradu culpae?* Solet esse venialis.

Sed hic quoque regula generalis dari non potest. Sic, v. g. apud nos (speciatim in bonis paroeciis ruralibus), si quis dicat (etiam sine furore) *corpo, sangue, ostia,* etc. habetur ut blasphemator, et (maxime si esset sacerdos vel parochus) magnum scandalum praeberet. Sed in aliis etiam locis rem istam sic intelligi mihi significatur.

Appendix

Variae quaestiones.

455. *Locutiones:* Questo è vero come è vero Dio; *vel:* Questo è Vangelo; *vel*: In questo sono innocente come Dio; *vel*: Tu sei la mia Dea, l'idolo mio, *suntne blasphemiae haereticales?* R. Locutiones istae communi sensu tamquam hyperbolicae, non vero tamquam haereticales, aut Deo graviter iniuriosae, accipiuntur, et proinde aliquam quidem irreverentiam, sed malitiam blasphemiae minime includunt. Cf. S. Lig. (*III 123*).

456. *Locutiones:* Dio si è dimenticato di me! Perchè mi creò? Perchè mi tratta così? *suntne blasphemiae*? R. Haec etiam ordinarie tamquam lamenta tantummodo, ad ostendendam animi tristitiam, non vero tamquam graves contra Deum iniuriae, communi sensu accipiuntur.

457. *Dicere:* Rinnego Dio, se la cosa non fu, non è, o non sarà così, *estne blasphemia?*

Negative ordinarie; sensus enim esse solet: Sicut sum certissimus quod Deus existit, et proinde nunquam illius existentiam negare potero; ita sum certissimus quod res ita fuit, vel est, vel erit. Si tamen ageretur de re habita ut incerta (quod speciatim contingere posset si adhuc esset futura), utique tunc dubium de existentia Dei exprimeretur, et proinde propositio huiusmodi haereticalis esset.

Caeterum in quovis casu vana Nominis Dei usurpatio certe interveniret. S. Lig. (*l. c.*).

458. *Quid de dicente:* Maledetto questo animale di Dio, questa pioggia di Dio, etc.? R. Dicunt esse blasphemiam, quia sensus est maledicendi Deum quatenus illud brutum creavit, aut illam pluviam misit, etc. S. Ligorius (*l. c. 128*).

459. *Quid de volente aliquid facere, qui, dum alius ei dicit rem illam non esse executurum, respondeat:* Lo farò a dispetto di Dio, e di tutti i Santi? *Loculio ista estne blasphema? Estne haereticalis?* R. Verbum *a dispetto* significat: contra voluntatem (unde proverbium: *Non*

conviene andare in paradiso a dispetto dei Santi). Sensus itaque est: Etsi futurum esset quod Deus nollet, hoc faciam. Sed Deus potest nolle duobus modis: 1° physice impediendo: 2° solum prohibendo. Qui itaque dum dicit: *A dispetto di Dio*, dicere intenderet se rem illam esse executurum, non obstante voluntate, quam Deus habeat, illam physice impediendi; iam negaret omnipotentiam divinam, et sic haereticaliter blasphemaret. Si vero dicere intenderet, se propositum suum esse executurum non obstante prohibitione divina, tunc huiusmodi propositio haereticalis minime foret. Sensus enim expressionis, quando est ambiguus, ab intentione determinatur. Utcumque, hanc propositionem, quia magnum spretum Dei sonat, blasphemam esse, dicit S. Lig. (*l. c. 122*). Blasphemia haereticalis clarius apparet in expressionibus: *Non c'è Dio, che mi tenga; non c'è Dio, non vi sono Santi, che mi trattengano*; maxime vero si quis diceret: *Non è buono nemmen Dio di trattenermi*, aut *sfido Dio*.

CAPUT III.

DE ADIURATIONE

460. ***Quid est adiuratio?*** Adiuratio (it. *scongiuro*) hic accipitur pro interpositione nominis Dei, vel Sanctorum, aut pro recordatione alicuius rei Deo carae, ad inducendum Deum ipsum, vel creaturas intellectuales (inter quas est etiam Daemon), ad aliquid faciendum vel omittendum.

Exempla. In litaniis, v. g. adiuramus Deum dicendo: *Per nativitatem tuam.... Per Crucem et passionem tuam*, etc. *libera nos, Domine.* Ecclesia orationes suas semper concludit dicendo, v. g. *Per Christum*, etc. Pauperes petere solent eleemosynam dicendo: *Per amorem Dei*. Et, quando nobis valde cordi est aliquid obtinere ab aliqua persona, dicimus: *Te rogo, per Deum, per B. Virginem, per quantum adest sacri in coelo et in terra*. Denique adiurando Daemonem (in exorcismis) dicimus v. g.: *Per hoc signum Sanctae Crucis*, etc.

461. ***Quotuplex potest esse adiuratio?*** Potest esse 1° Deprecativa et imperativa. 2° Solemnis et privata; 3° Directa et indirecta,

Est *deprecativa* si fiat ad modum precis, alicui dicendo v. g. *De re ista te rogo per Deum;* ut scilicet, sive propter amorem Dei sive propter respectum Nomini Dei interposito, rem illam faciat.

Est *imperativa* seu *praeceptiva* si fiat ad modum imperii; dum, v. g. Superior dicit: *Hoc tibi praecipio per Deum,* scilicet auctoritate Dei, nomine Dei.

Est *solemnis* vel *privata* secundum quod fit ab Ecclesiae Ministris nomine Ecclesiae et iuxta liturgiam; aut privatim.

Est *directa* si adiuretur Daemon directe et expresse; est autem *indirecta* si adiurentur creaturae irrationales, v. g. aqua, aer, animalia nociva, etc. (prout fit in eorum exorcismis); tunc enim indirecte et tacite adiuratur Daemon, ut ab illis recedat, et per illas nocere desistat.

462. *Adiuratio estne **licita?*** Affirmative; sed tria exiguntur, scilicet veritas, iustitia, iudicium, ut statim explico.

Veritas, ut scilicet adiurans vere intendat assequi quod petit; quid enim si quis ficte invitaret alium ad mensam, et sciens illum invitationem non esse acceptaturum, diceret: *Veni, veni; te rogo per Deum?* Idem dic si petitio esset quidem sincera, sed causa esset falsa, ut puta, si fictus pauper eleemosynam peteret per Deum. Quum tamen Deus non invocetur in testem falsi (sicut esset in iuramento), huiusmodi veritatis defectus culpam mortalem ordinarie non constitueret.

Iustitia, ut scilicet non fiat adiuratio pro re iniusta vel illicita, prout contingeret 1° si quis adiuraret Deum vel Sanctos ut sibi opem ferrent pro rebus huiusmodi illicitis; 2° si quis adiuraret aliquem ad committendum peccatum, v. g. fornicationem. In his casibus culpa esset mortalis.

Aliqui tamen excipiunt si adiuratio adhiberetur ad obtinendam ab homine rem leviter malam (v. g. leve mendacium). Dixi ***ab homine;*** petere enim a Sanctis auxilium pro re mala, etsi leviter, semper grave contra Dei Sanctitatem crimen esset.

Iudicium, ut scilicet adhibeatur debita discretio, adeoque non deficiat tum sufficiens causa adiurandi, tum debita submissio et resignatio in divinam voluntatem. Huius autem iudicii carentia leve peccatum non excederet.

463. *Suntne aliqua specialiter notanda* **circa Daemonis adiurationem?** Notanda sunt sequentia.

I. Fieri potest solum *modo imperativo*, non vero deprecativo; tum quia non convenit Daemonem deprecari et maxime nomine Dei, tum quia Daemones nihil faciunt ex respectu divini honoris, sed solum adigi possunt timore divinae potestatis.

II. Non licet adiurare Daemonem ut opem temporalem praestet vel inutilia aut curiosa revelet; sed solum ut fugae se dedat et nocere desinat, vel ut revelet aliquid, quod in suum damnum vel utcumque in Dei gloriam redundet. Si tamen modo imperativo pauca aliqua curiosa ab illo peterentur, probabiliter peccatum mortale non esset. Cf. Bucceroni (*n. 117. 118*).

III. Adiuratio contra Daemones licita est omnibus *privatim*. Solemnis vero adiuratio per exorcismos (in casu obsessionis) competit solum iis qui Exorcistatus Ordine sunt insigniti; et quidem (sub gravi) cum expressa Episcopi licentia.

CAPUT IV

DE IURAMENTO

Agendum est 1° De iuramenti natura, distinctionibus et validitate. 2° De requisitis ut iuramentum sit licitum. 3° De iuramento promissorio aut comminatorio aut utcumque de re futura.

ARTICULUS I.

De iuramentis natura, distinctionibus, et validitate.

464. ***Quid est*** *iuramentum?*

Praescindo a iuramentis, quae ioci causa fiunt, dicendo, v. g. *iuro per barbam, per muscas, per Baccum*, etc.; et loquor solum de iuramento serio.

Iuramentum adhibetur in confirmationem alicuius assertionis, aut promissionis, aut comminationis, aut propositi; et sensu proprio consistit in advocando Deum in testem, aut vindicem; vel in declarando rem dici, aut promitti, aut

proponi, in praesentia Dei, in cuius irreverentiam redundaret si falsum diceretur aut promissio non servaretur.

Sensu autem minus proprio consistit in nominanda aliqua re, cuius respectu iurans, veritatem dicere aut promissionem servare, magis quam simplici assertione aut promissione adigatur. Iuramenti minus proprii exemplum habes in illis, qui iurant *sul proprio onore.*

An autem qui iurant nominando res sacras sive tales in quibus attributa divina valde elucent, censeantur iurare in sensu proprio; an vero iuramentum non proprie dictum emittant, declarabitur infra.

465. *Quaenam sunt principales iuramenti* ***distinctiones?***

I. Est *assertorium* si in assertionis; *promissorium* si in promissionis; *comminatorium* si in comminationis confirmationem adhibeatur.

II. Promissorium et comminatorium potest esse *absolutum* (seu *illimitatum*) et *conditionatum.*

III. Est *solemne* seu *iuridicum*, si fiat coram iudice vel notario iuxta formam a legibus praescriptam. Est *privatum,* si privatim fiat.

IV. Potest esse *expressum* vel *tacitum*, secundum quod fiat expressis verbis, aut actione aliqua (v. g. elevatione manus, tactu pectoris, etc.), quae in quibusdam casibus, pro iuramento habeatur.

V. Potest esse mentale, verbale, reale, mixtum. *Mentale,* si quis in mente sua aliquid proponat aut voveat, simulque iuret; *verbale*, si actione aliqua; *mixtum* si verbis simul et actione exprimatur.

VI. Dicitur *accessorium* si in confirmationem voti aut contractus; et *per se stans* aut *simplex* si mero proposito adnectatur; ut puta, si quis diceret: *iuro me non ingressurum cauponam.*

VII. Dicitur *suppletorium* quando aliae probationes exigerentur; sed, quum haberi non possint, suppletur iuramento.

VIII. Denique dicitur *invocatorium*, si Deus ut testis; et *imprecatorium* si Deus ut vindex invocetur.

466. *Quo sensu potest quis Deum invocare in testem; et quomodo iuramentum est actus religionis?*

Qui sic iurat, perinde est ac si dicat: *Deus scit me dicere verum, et vellem ut ille esset mihi testis, illumque, quantum in me est, invoco in testem.*

Iuramentum autem huiusmodi (quod dicitur *per Deum*) utique est actus religionis, quia iurans, onniscientiam Dei eiusque indefectibilem veracitatem summamque auctoritatem, obtestatur. Nec minus est actus religionis si quis iuret declarando se rem dicere aut promittere in praesentia Dei; sic enim tacite fatetur Deum esse dignissimum ut in eius reverentiam verum dicat, aut promissa servet.

Idem dic de iuramentis improprie quidem dictis, sed in quibus res sacrae nominatae fuerint, in quarum reverentiam veritas dici aut promissio servari debeat.

467. *Quid exigitur ut iuramentum vere subsistat et sit* ***validum?*** Loquendo de iuramento non mere mentali, imprimis duo exiguntur: 1° Formula vel actio iuratoria; 2° intentio (seu cognitio) iurandi; 3° in iuramento promissorio, vel de re futura, vel confirmante contractum quaedam specialia exiguntur. Sed haec omnia sunt explicanda.

468. *Quandonam formula vel actio erit* ***iuratoria?*** Quando formula (scilicet verba prolata) vel actio in loco habeat sensum iuratorium, ita ut (inspectis quoque circumstantiis) tamquam verum iuramentum ab audientibus accipi debeat. Dixi *inspectis quoque circumstantiis;* quae enim communiter indicant verum iuramentum, talem sensum habere cessant in quibusdam circumstantiis. Sic apud nos a mediatoribus infimae notae (v. g. in mercatibus belluarum) innumera (verbis, crucibus, etc.) fiunt iuramenta, quae ab omnibus pro nihilo habentur, et tamquam mera comoedia considerantur.

469. Veniendo autem ad particularia, *apud nos* ordinarie sensum veri et proprii iuramenti *per Deum* habet verbum *iuro*, saltem si adhibeatur in re momentosa vel ad confirmandum dictum quod ab audientibus credi nollet. Idem dic a fortiori 1° Si dicatur v. g. *Iuro per Deum: Deum attestor: Sit mihi testis Deus: Sic me Deus adiuvet: Deus me caecum reddat, et filios meos uxoremque meam videre non possim, nisi res ita sit* (Rudes tamen haec postrema verba pro simplici imprecatione, non vero

pro iuramento, habere solent). 2° Si, dicendo *iuro*, fiat signum crucis, vel tangantur Evangelia. Semper autem pro iuramento habetur subscriptio scripturae, in qua declaratur rem deponi vel firmari cum iuramento. Interdum sufficit signum conventionale, prout faciunt milites qui, requisiti de iuramento, manum elevant.

470. Plures dicunt, iuramentum semper esse debere invocativum, ita scilicet ut Deus (sive expresse sive tacite) invocetur ut testis aut vindex; non vero sufficere verba mere enuntiativa (etsi in ipsis nomen Dei interveniret): unde tamquam iuratorias non habent expressiones: *In praesentia Dei id dico* vel *promitto* — *Testis est mihi Deus.* — Sed ego censeo, hoc non esse verum; et reapse S. Augustinus in sensu iuramenti interpretatur verba Apostoli (*Gal. 1. 20*): *Ecce coram Deo, quia non mentior.*

471. Dicunt etiam, iuramentum proprie dictum intervenire, si quis iuret per rem aliquam, in qua aliquod Dei attributum valde eluceat. Sed obiici potest quod apud nos qui iuraret per solem intelligeretur iocari.

Dicunt denique, iuramentum proprie dictum intervenire iurando per aliquam rem sacram. Sed in contrarium obiici potest quod in iure canonico (Can. *Si quis Presbyter 4 Caus. 2 q. 4*) dicitur, non esse proprium iuramentum si Presbyter iuret *per sanctam consecrationem.*

In his casibus ego dicerem 1° Standum esse interpretationi, quae in loco communiter vigeat, ut supra innui (*n. 468*). 2° Si formula sit ambigua, standum esse intentioni loquentis, si de ea constet. 3° Si ad assertionem vel promissionem confirmandam, Nomen Dei interpositum fuerit, tunc (etsi Deus proprie non fuerit invocatus) ob reverentiam Nomini ipsi debitam, semper aderit aliqua maior obligatio virtute religionis. Et idem dic si per aliquam rem sacram iuratum fuerit. Imo existimo iuramenta huiusmodi impropria iuramento stricte dicto (quoad effectum obligandi sub gravi virtute religionis) facile aequivalere. Cf. Ballerini (*Op. th. VI.* II. II *9*).

472. *Quid de dicentibus: in veritate: in conscientia: in fide boni viri?* Formulae istae (sicut et verbum: *parola da galantuomo*) non censentur iuratoriae; aliquam tamen maiorem obligationem superaddunt: et speciatim si diceretur: *In fide boni Christiani:* vel *in fide Sacerdotis.*

473. *Quid de dicentibus:* Giuro sul mio cuore: *vel de Principe dicente: Iuro in fide Principis?* Haec etiam pressius obligant, sed non virtute Religionis. Baller. (*l. c. n. 9*).

474. *Quid de illis, qui, postquam aliquid dixerint, addunt:* Così è, per Dio, *quin dicant: iuro?* Hoc apud nos pro iuramento facile quidem, sed non semper, accipi videtur.

475. *Quid si quis adhibuerit formulam iuratoriam, sed **intentionem iurandi non habuerit?*** Si non cognovisset formulam esse iuratoriam, et proinde ignoranter ita se gessisset, tunc certe non iurasset; quia iuramentum debet esse non mere materiale, sed actus humanus. (Ballerini *l. c. 4*). Si autem cognovisset formulam esse iuratoriam, et nihilominus non Deum invocare, sed ficte iurare intendisset; tunc, supponendo quod formula ipsa,

etiam in circumstantiis, apud audientes sensum iuratorium haberet, practice perinde esset ac si vere iurasset; et, si nomen Dei aut rem sacram interposuisset, ut audientes crederent, iam haec ipsa interpositio voluntaria fuisset, et proinde nedum ad praecavendum damnum aut scandalum proximi, sed etiam propter reverentiam Divino Nomini aut rei sacrae debitam, atque adeo ex Religione, verum dicere aut promissionem servare teneretur; secus enim qui falsum iurant, semper habere possent intentionem ficte iurandi, et sic nunquam falso iurarent et nunquam contra religionem delinquerent; quod credi nequit. Sed res ista in tractatu *de VIII praecepto* melius explicabitur.

476. *Quid de illis qui iurant, sed nesciunt quid sit iuramentum, quod scilicet agatur de advocando Deo in testem; attamen intendant facere sicut faciunt alii?* Hos non vere iurare dicunt plures (Cf. Ballerini *l. c. 4*). Sed id quoque mihi non plene placet; et censeo quod taliter iurans, si in confuso cognoverit se valde maiori obligatione obstringi, ea reapse obstringatur; et religionis quoque vinculum contrahat, si, Deum nominando vel Evangelia tangendo, etc. in confuso quoque adverterit quod, propter reverentiam Deo vel rei sacrae debitam, specialis obligatio consurgit.

477. *Ut iuramentum* ***promissorium, vel utcumque de re futura,*** *nedum emittatur, sed habeat effectum (scilicet sit* ***validum,*** *vere teneat et obliget) praeter formulam iuratoriam et cognitionem iurandi, quid insuper exigitur?* Quum tota ratio, cur servari debet iuramentum virtute Religionis, sit reverentia debita Deo (in cuius praesentia iurans se obligavit), omnino oportet ut eius observatio in Dei ipsius reverentiam redundet; qua cessante, iam iuramentum nullam vim habere potest. Hinc iuramentum **non tenet** in sequentibus casibus.

I. Si agatur de re sive graviter sive leviter illicita (v. g. exequendi vindictam), unde dicitur quod *iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis.* (Si tamen res esset partim licita et partim illicita, iuramentum tenere posset pro parte licita, si sit separabilis).

II. Si iuraveris non facere rem bonam (intellige bonam sub omni respectu) prout potest contingere si quis iuraret v. g. non facere eleemosynam, non frequentare sacramenta, non ingredi religionem, non audire Missam die feriali. Idem dic si quis iuraret nunquam ludere (nequidem ludo honesto), nisi ex intentione magnae perfectionis sic iuraretur.

III. Si iuraveris rem impossibilem, aut vanam, otiosam, inutilem, v. g. capiendi pulicem, aut non vendendi mercem minori pretio, aut non occupandi primum locum, aut non praecedendi in ingressu portae, aut serius ocius castigandi prolem eique non ignoscendi (quamvis aeque bene ei ignosci posset; et maxime si in aestu irae sic iuratum fuisset).

Effatum itaque quod servandum sit iuramentum semper ac sine salutis dispendio servari possit, cum mica salis intelligi debet.

IV. In iuramento promissorio vel confirmante contractum, quid dicendum si metu aut dolo extortum fuerit; aut si lex positiva de eiusdem contractus invaliditate vel rescindibilitate disposuerit, videbimus infra (in tractatu *de Contractibus*).

ARTICULUS II.

De iuramenti liceitate.

478. *Quid exigitur ut iuramentum sit* ***licitum?*** « Iurabis: Vivit Dominus, in veritate et in iudicio et in iustitia ». Sic dicitur Hieremiae (*IV 2*); et hinc theologi docent quod iure naturae in iuramento debent esse tres comites: scilicet *veritas*, *iudicium*, *iustitia*. Dixi *iure naturae*; interdum enim iuramentum etiam ex prohibitione alicuius legis positivae illicitum evadere potest. Sic itaque ad illius liceitatem quatuor exiguntur: 1° veritas; 2° iudicium; 3° iustitia; 4° quod nulla lex positiva obstet. Haec sunt explicanda.

479. *Quid de primo comite:* ***cum veritate?*** Iuramentum adhibitum ad confirmandum mendacium semper illicitum est, et dicitur *periurium*. Accidit non solum quando quis iuret falsum; sed etiam quando iuret verum credendo esse falsum. Item quando quis iuret ut certum quod sibi dubium sit.

Hic omitto plures quaestiones (v. g. circa restrictiones mentales, amphibologias, petitionem iuramenti ab iis qui forte sint peieraturi, etc.), quae in Tract. *de VIII praecepto Cap. XI* evolvi debebunt.

Periurium est semper mortale, nec admittit parvitatem materiae; quamvis scilicet mendacium leve esset, periurium semper grave foret. Qua de re habemus prop. ab Innoc. VI damnatam, quae dicebat: « Vocare Deum in te- « stem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter « quam velit aut possit damnare hominem ».

Mendacium autem leve et periurium grave intervenire potest non solum in iuramento *assertorio,* sed etiam in iuramento *promissorio;* si nempe quis aliquid leve iureiurando promitteret, et intentionem vere promittendi et se obligandi non haberet.

480. *Quid de secundo iuramenti comite:* ***cum iudicio?*** Significat iurandum esse 1° caute; 2° ex causa sufficienti.

Caute: 1° Ne incurratur periculum iurandi falsum. Periculum falsitatis in simplici assertione saepe non obest, et facile subintelligitur restrictio: *ut mihi videtur*: sed iuramentum (nisi quis palam faciat se iurare solum de credulitate vel opinione) plenam certitudinem praevia ponderatione exigit (ita tamen ut certitudo moralis sufficere possit). 2° Ne ex iuramento malae consequentiae (v. g. damnum religionis, aut scandalum proximi) secuturae sint. Sic, v. g. iuramentnm fidelitatis *illimitatum* erga Gubernium Ecclesiae hostile (etsi limitationes subintelligerentur) scandalosum et malarum consequentiarum ferax esse potest; et proinde S. Sedes in pluribus circumstantiis illud interdixit. Sed de hoc in particulari sufficiunt quae dixi supra *n. 270.*

Ex causa sufficienti; scriptum est enim: » Sit autem sermo vester: est est, non non »; et profecto interponere nomen Dei in vanum non licet; unde solum ad subveniendum alicui defectui vere notabili, iuramentum adhiberi potest. Peccant itaque qui, dum aliquid promittunt, semper iurant; aut, dum alii assertioni non credunt, semper iuramentum adiiciunt.

481. *Quid de gradu culpae si iuramentum sine iudicio emittatur?* Si id accidat ex solo defectu causae sufficientis, peccatum erit veniale (ageretur enim solum de vana Nominis Dei usurpatione). Si autem cum periculo sive iurandi falsum, sive provocandi aliquod malum, id accideret; tunc, iuxta gradum huius periculi et magnitu-

dinem huius mali, peccatum grave vel leve esse poterit. Certe qui habent consuetudinem iurandi, absque ulla consideratione an verum vel falsum dicant, graviter peccant.

482. *Quid de tertio iuramenti comite:* ***cum iustitia?*** Hic defectus consistit in iuranda re peccaminosa.

Id accidere potest duobus modis.

Primus est si quis iuret se executurum rem iniustam vel utcumque illicitam: quod accidere potest speciatim 1° in iuramentis comminatoriis (dicendo, v. g.: Iuro te non esse declinaturum meam vindictam); 2° in iuramentis promissoriis de re illicita (dicendo, v. g.: Iuro me tibi auxilium esse praebiturum in furto).

Secundus modus verificari potest in iuramentis assertoriis, dum scilicet quis detractioni, vel rei quae prodi non poterat, vel iactantiae de delicto executo, vel contumeliae iuramentum adiiceret.

483. *Quid de gradu culpae, si iuramentum sine iustitia emittatur?* Distinctiones fieri debent iuxta diversos casus.

I. Qui se iactat de peccato (v. g. de fornicatione), atque, ut audientes credant se revera illud commisisse, iuramentum adiiciat, poterit quidem peccare mortaliter ratione iactantiae sed non ratione iuramenti; illud enim veritatem respicit, et nihil aliud; neque Deus ut *approbator*, sed solum ut testis peccati vere commissi adducitur; et iuramentum confirmat actionem non ut malam sed ut veram. S. Lig. (*III 146*).

II. Qui cum iuramento minitatur vel promittit vel utcumque asserit se esse executurum rem illicitam, (nisi ignorantia excuset) peccat mortaliter: perinde enim est ac si declaret Dei interpositionem esse idoneam ad dandam longe maiorem securitatem vel impulsum ad delictum exequendum, quasi delictum ipsum in Dei reverentiam omnino consummari deberet; quod (uti patet) impiissimum est. Equidem plures docent, peccatum esse leve si iuramentum rem leviter illicitam respiceret; sed ego (cum S. Lig. *l. c.*) de doctrina ista persuasus minime sum. Vide etiam Ballerini (*Op. th. VI.* II. II *41*).

Dixi *nisi ignorantia excuset;* recte enim S. Lig. (*l. c.*) dicit: « Ex ira proferentes, v. g.: « *Per Deum te occidam,* « communiter non peccant graviter, quia ex ignorantia vel « indeliberatione ut plurimum excusantur »; intendunt scilicet non iam iurare sed solum terrefacere.

III. Qui detractionem, vel revelationem illicitam, vel contumeliam confirmat iuramento, intendit adducere Deum in testem veritatis, et, re ista tantummodo spectata, peccatum contra religionem mortale minime esset. Quum tamen interpositio divini testimonii ad detractionem vel contumeliam ipsam corroborandam et credibiliorem reddendam adducatur, ex hoc culpa gravis exurgit. Sed hic quoque theologi dicunt, iuramentum esse leviter illicitum casu quo detractio vel contumelia venialis esset; quod pariter (nisi ignorantia, seu defectus reflexionis ad totam huius actus malitiam excusaret) mihi clarum minime est.

484. *Quid de iuramenti illiceitate **ex lege positiva?*** Ius canonicum vetat ne Clerici absque licentia Ordinarii, et ne Episcopi absque licentia Summi Pontificis *in iudicio coram iudice laico* iurent. Ubi itaque lex ista vigeat (sicut apud nos), utique iuramentum, licentia non obtenta, graviter illicitum foret.

ARTICULUS III.

Agitur in particulari de iuramento promissorio aut comminatorio aut utcumque de re futura.

485. *Quid de differentia inter iuramentum de re futura et iuramentum simpliciter assertorium?* Differentia est quia iurans in assertorio, iurat solum dicere veritatem de re praesenti vel praeterita; in promissorio autem vel comminatorio, etc. duo iurat: nempe 1° iurat se hic et nunc habere intentionem talem vel talem rem exequendi; 2° iurat executionem futuram, quasi scilicet fateretur se contra Dei reverentiam peccaturum, si quod in eiusdem praesentia promisit, vel comminatus fuit, vel proposuit, executurus non sit.

486. *Quid de gradu culpae si rem exequendi intentionem non haberet, et nihilominus iuraret?* Tunc semper peccaret mortaliter. Dico *semper*, quamvis scilicet res iurata esset levis vel etiam iniqua. Ratio est quia in testem falsitatis (scilicet intentionis quae non habetur) Deum adducere semper grave nefas est, ut patet ex supra dictis (*n. 479*).

487. *Quid de gradu culpae si quis rem iuratam ad executionem non deducat?* Nisi sit legitime excusatus, contra iuramentum certe peccat mortaliter, si rei iuratae executio sit (in se aut propter circumstantias) gravis momenti; et in hoc omnes conveniunt.

Si autem executio ipsa levis momenti esset (ut puta, si quis iurasset se esse daturum obolum in eleemosynam, aut se esse servaturum secretum de quo servando parum referret), tunc theologi disputant (Cf. S. Lig. *III 173*). Plures dicunt peccatum semper esse mortale, quia Deus adducitur non solum ut testis intentionis praesentis, sed etiam ut testis et quasi fideiussor executionis futurae. Alii e contra (et meo sensu verius) opinantur peccatum esse leve, si res iurata sit levis, quia Deus adducitur solum ut testis obligationis, ea intentione contractae, ut sine Dei ipsius irreverentia negligi nequeat. Haec autem irreverentia utique potest esse levis si materia sit levis, prout contingit in voto. Adde quod, si vera esset sententia contraria, in quolibet etiam levissimo defectu, qui in iuramenti executione contingeret, peccatum mortale reponi deberet; quod equidem admitti nequit.

488. *Quibus de causis quis excusari vel eximi possit a iuramento adimplendo?* 1° Si iuramentum non teneat (iuxta dicta *n. 467 et sqq.*). 2° Si fuerit irritatum aut dispensatum (prout explicabitur infra *De voto*). 3° Si agatur de casu ad quem iuramentum non extendatur; in iuramento enim adiecto promissioni, aut contractui oneroso, aut comminationi, aut proposito, semper subintelliguntur illae conditiones, quae in promissione, vel contractu, vel comminatione, vel proposito ipso, subintelliguntur (unde dici solet quod *iuramentum sequitur naturam actus cui adnectitur*). Conditiones magis obviae sunt sequentes: In promissione

gratuita: *Si promissarius acceptaverit*, vel *Si potero absque gravi difficultate*, vel *Si res non fuerint notabiliter mutatae*. In comminatione: *Nisi delinquens fuerit emendatus*. In contractu oneroso: *Si pars obligationi suae satisfecerit*, vel *Nisi pars iuri suo renuntiaverit*. In proposito: *Si perduret causa* (unde, v. g. qui iurat se non esse ingressurum domum periculosam, illam ingredi poterit cessante periculo); vel *Nisi rem propositam mutavero in aliam evidenter meliorem*.

CAPUT V.

DE VOTO

Agendum est 1° De natura voti. 2° De requisitis ut votum sit validum et licitum. 3° De interpretatione voti. 4° De voti obligatione. 5° De voti cessatione. 6° De voti irritatione.

ARTICULUS I.

De natura voti eiusque divisionibus.

489. ***Quid est votum?*** Est promissio facta Deo de meliori bono.

Promissio. Ergo distinguitur a proposito. Rudes facile confundunt promissionem cum simplici proposito. Interrogandi sunt an crediderint se veram contrahere obligationem, atque adeo peccare si rem promissam non essent adimpleturi.

Facta Deo. Vota tamen quae fiunt Sanctis, si adsit intentio veram contrahendi obligationem, vel habenda sunt tamquam vota facta Deo in honorem etiam Sanctorum, vel (etsi vovens de Deo nihil cogitaret) utcumque sunt sacra et servanda.

De meliori bono. Hoc dicitur non eo sensu quod bonum Deo promissum debeat esse melius quovis alio bono; sed solum ad significandum, materiam voti esse non posse rem indifferentem (in Dei enim honorem redundare debet), sed esse debere virtuosam et meliorem sua contraria vel illius omissione.

Ad iudicandum autem an res aliqua sit melior sua contraria, observandae sunt etiam circumstantiae, quae efficere possunt ut res quae per se est magis bona, in casu concreto sit minus bona vel etiam iniqua; et viceversa. Sic perfecta castitas melior est matrimonio; sed non si persona iam matrimonio esset ligata, aut si oporteret vel magis expediret ut illud contraheret. Sed de re ista sermo redibit infra.

490. *Quaenam sunt praecipuae voti* **divisiones?** Votum potest esse

I. *Absolutum* (v. g. voveo eleemosynam), vel *conditionatum* (v. g. voveo eleemosynam si sanitati restituar), vel *poenale* (v. g. voveo ieiunium si peccavero).

II. *Solemne* vel *simplex*. Solemne est quod Ecclesia sua auctoritate confirmat tamquam tale (cuiusmodi est votum castitatis quod emittitur in subdiaconatu, et professio religiosa). Deficiente autem huiusmodi confirmatione, votum simplex esset. Hoc autem subdistinguitur inter *privatum* prorsus, vel *ab Ecclesia acceptatum* (etsi solum tamquam simplex), prout contingit in Congregationibus votorum simplicium ab Ecclesia approbatis, et in votis quae triennio ante professionem in Ordinibus religiosis veri nominis emittuntur.

III. *Reale, personale, mixtum*. Reale quando res aliqua externa pretio aestimabilis (e. g. calix); personale, quando actio vel cessatio ab actione aliqua (v. g. peregrinatio, abstinentia a tali vel tali peccato, a ludo etc.); mixtum, quando tum res tum actio (v. g. peregrinatio ad aliquod Sanctuarium, ibi offerendo calicem) Deo promittitur.

IV. *Expressum* vel *tacitum*, secundum quod verbo (dicendo v. g. *voveo*), aut facto (v. g. suscipiendo subdiaconatum) exprimitur.

V. *Perpetuum* vel *temporaneum*, secundum quod per totam vitam vel ad tempus servandum sit.

ARTICULUS II.

De requisitis ut votum sit validum et licitum. Et quid in dubio?

491. *Quaenam exiguntur ut votum sit* ***validum?*** Exigitur imprimis ut praesumendum sit obligationem a Deo acceptari: velle scilicet Deum ut vovens remaneat obligatus; quod contingit, si, per quantum iudicio humano coniici possit (1), expediat ut votum obliget. Ex hoc principio theologi inferunt quod ad voti validitatem tria requiruntur: 1º Intentio et deliberatio sufficiens. 2º Materia apta. 3º Ut nulla lex positiva illud invalidet.

De tertio requisito sufficit notare quod votum solemne ante aetatem ab Ecclesia statutam invalidum est. Solum itaque de primo et secundo requisito in sequentibus punctis explicationes adiiciam.

492. *Quid* ***in dubio*** *utrum votum emissum fuerit, vel utrum fuerit validum, vel utrum ad talem aut talem casum extendatur, vel utrum iam fuerit adimpletum?*

I. Si agatur de votis solemnibus vel ab Ecclesia (ut supra *n. 490 II*) acceptatis, dubia de eorundem validitate, solum iudicio Ecclesiae resolvi possunt.

II. Loquendo de votis simplicibus et privatis, dubia praedicta ut plurimum coniecturis et praesumptionibus resolvuntur. Sic, v. g. qui certus de voto emisso dubitat negative (scilicet sine indiciis specialibus) utrum ante usum rationis (et proinde invalide), an vero post (et proinde valide), illud emiserit, praesumere debebit post usum rationis illud emisisse; quandoquidem ante usum rationis vota fieri non solent, et de casibus raris non datur praesumptio. Si autem pro certo haberet se votum emisisse post septennium, et dubitaret negative an tunc usum rationis ha-

---

(1) Dico *per quantum iudicio humano coniici possit:* Dei enim iudicio multa vota, quae non adimplebuntur et damnationis aeternae occasio erunt, voventi non expedient; quae tamen nihilominus a Deo acceptantur; quandoquidem ex una parte expedit ut vota fiant atque obligent, et ex alia si valere deberent solum vota, quae iudicio Dei voventi salutaria futura erunt, de cuiuslibet voti obligatione (propter incertitudinem) actum esset.

buerit, praesumere debebit illum habuisse et sic votum validum fuisse. Ballerini (*Op. th. De vot. n. 11*).

Multa dubia resolvuntur etiam ex regulis specialibus interpretationis (v. g. circa vota conditionalia, poenalia, indeterminata, etc.), quarum principaliores infra (Art. *De voti interpretatione*) exponam.

III. Si dubium resolvi non possit, theologi imprimis communius dicunt votum non obligare si dubitetur utrum emissum fuerit, vel utrum fuerit validum, vel utrum ad casum (de quo agitur) extendatur. Ex una parte enim durum est, quod quis debeat se reputare obligatum ad sustinendum incommodum quando ne scit quidem se obligationem contraxisse, et ex alia in votis simplicibus agi nequit de re quae omnino clamet ut a parte tuta standum sit. Si autem dubium non circa voti emissionem aut validitatem aut extensionem, sed circa eius executionem versetur; tunc communius dicunt, obligationi certae non satisfieri solutione incerta, et proinde votum adhuc esse adimplendum. Sed non desunt theologi gravissimi, qui distinguunt inter dubium positivum et negativum, et docent, in primo casu (si nempe indicia positiva suadeant quod probabiliter voto iam fuit satisfactum) nullam superesse obligationem; superesse vero in secundo, si nempe dubium sit negativum, et nulla ratio suadeat votum fuisse adimpletum. (Bucceroni *De vot. 53*). Sed vereor ne pro casu dubii negativi aequivocum interveniat, quatenus reapse theologi censeant, in dubio negativo votum esse adimplendum, quia tale dubium non sit verum dubium, sed resolvatur in certitudinem, quia qui nullam habet rationem credendi vel opinandi se votum adimplevisse, iam illum non implevisse praesumere debeat.

493. *Quid exigitur ut votum sit* ***licitum?*** Ut neque a parte obiecti (seu materiae), neque a parte actus (vovendi) adsit aliquid mali, vel quod indignum sit ut Deo offeratur. A parte obiecti malum inveniretur, si res in se mala aut vana, vel bona quidem in se sed mala propter circumstantias, Deo promitteretur (quibus in casibus votum esset etiam invalidum). A parte autem solius actus malum interveniret, si res promissa foret undequaque bona, sed malum esset in actu vovendi, ut puta, si quis cum

vanagloria, vel imprudenter (seu cum abusu voti, nimis faciliter vovendo id quod forsan non adimplebitur), vel contra vetitum Superioris, vel contra votum non vovendi sine consilio confessarii etc., votum emitteretur.

494. *Quando votum est illicitum, estne etiam invalidum?* Si sit illicitum quia malum vel indignitas reperiatur a parte obiecti, affirmative (ut dixi, et infra melius explicabo). Si vero sit illicitum quia malum reperiatur solum a parte actus, negative; quamvis enim tunc Deus non acceptet votum ut meritorium, imo quamvis illud habeat ut poena dignum; tamen illud acceptat ut obligatorium, quia, ut supponimus, non obstante peccato (quod in illo emittendo commissum fuit), est de re bona et expedit ut valeat. Sic, si Princeps iurasset aut vovisset se non esse conditurum legem sine consilio cuiusdam viri sapientissimi, et postea sine tali consilio legem bonam conderet, illicite quidem sed valide procederet; et sic nihil vetat quominus Deus rem aliquam sub uno respectu damnet et sub alio acceptet et confirmet. Ita omnes. Cf. Sanchez (*Dec. IV.* I *9*).

PUNCTUM I.

De intentione, cognitione et deliberatione, quae ad valide vovendum exigitur et sufficit.

495. *Quaenam* ***intentio*** *exigitur?*

I. Exigitur intentio non solum proponendi, sed vere vovendi et *se obligandi*. Qui intendit vovere sine intentione se obligandi, nescit quid faciat, aut vovet solum verbis; et sic votum est illusorium et invalidum.

Intentio se obligandi deficeret quoque in eo qui praevideret se prolaturum esse verba votiva in ebrietate (nisi vellet ut votum valeret). Qui inebriatur potest quidem esse reus in causa de delictis in ebrietate praevisis; sed principium istud ad vota applicari nequit; quoad delicta enim sufficit praevisio, sed quoad vota intentio exigitur. Cf. Ballerini (*Op. th. De vot. n. 13*).

II. Votum *non obligat ultra intentionem voventis*, et iuxta illam interpretari debet.

Hinc 1° Obligare potest sub levi in materia gravi, si nempe talis fuerit voventis intentio. 2° Nequit esse de re

impossibili, et si fuisset de re partim possibili et partim impossibili, an vovens ad partem possibilem teneatur, diiudicandum erit ex interpretativa eiusdem intentione. Sed de hoc sermo redibit infra. 3° Nemo obligari potest voto alterius (deficiente intentione), nisi ex obedientia vel iustitia illud servare teneatur. Hinc *A*) quando parentes vovent filios Religioni, ipsi quidem tenentur procurare ut filii huiusmodi bonam voluntatem concipiant, maxime vero non obstare etc.; sed filii liberi remanent; idque nedum quia votum parentum accipi debet ut conditionatum (*si filii consenserint*), sed etiam quia filii hac in re obediendi obligationem minime habent. *B*) Subditi obligari possunt votis, quae a Magistratu aut Superiore Religioso cum intentione obligandi communitatem discrete et legitime facta fuerint; sicut subditi ipsi quaevis alia pacta Superiorum ipsorum adimplere tenerentur. Dixi *discrete et legitime;* quaedam enim vota (v. g. de novis festis de praecepto: Cf. *Theol. Past. Ed. III n. 82*) nec omnes ligare nec perpetua esse possunt. *C*) Haeres tenetur solvere vota *realia* defuncti iuxta eiusdem intentionem, scilicet post debita iustitiae, et ante legata (etsi pia).

496. *Quaenam* ***cognitio et deliberatio*** *exigitur?* Exigitur ut oneris quod per votum assumitur habeatur *cognitio quoad substantiam*, simulque *cum sufficienti deliberatione* votum emittatur; non enim supponi potest quod Deus, tali deficiente cognitione et deliberatione, votum acceptare velit.

Si itaque puella faceret votum castitatis ignorando qua de re agatur, et sciendo solum aliquid Deo promitti, invalide voveret; nec sufficeret si in confuso intenderet facere quod faciunt aliae. Idem dic de votis emissis ante septennium seu ante sufficientem usum rationis, aut de votis quae a semifatuis, vel a semidormientibus, vel a semiebriis, vel utcumque in statu mentis valde obnubilatae (v. g. propter aliquam passionem valde vehementem) emissa fuissent.

497. *Explica enucleatius quaenam intentio et cognitio ad valide vovendum sufficiat?*

I. Sufficit intentio *virtualis,* quae procedit ex praevia intentione actuali. Hinc qui est mente distractus, dum subdiaconatum recipit vel religiosam professionem emittit, nihilominus valide vovet.

II. In votis solemnibus aut ab Ecclesia acceptatis, sufficeret *intentio se obligandi, etsi vovens intentionem adimplendi minime haberet* (unde valeret votum suscipientis subdiaconatum, etsi nollet deserere concubinam.

Non tamen valeret votum privatum cum intentione nullatenus illud *unquam* servandi emissum, quia, potius quam de voto, ageretur de irrisione, quae a Deo non acceptaretur. Cf. Ballerini (*Op. th. De voto n. 26*).

III. Sufficit cognitio quoad substantiam (ut dixi), *nec exigitur ut quis omnes non magni momenti circumstantias ante oculos habeat.*

498. *Quid speciatim de voto emisso **cum errore?***

I. Error invalidat votum si sit *circa substantiam*, aut circa qualitates substantiales, v. g. voves castitatem quam credis consistere in quadam prece: voves peregrinationem ad Sanctuarium quod credis distare centum leucis et distat mille: et in his casibus invalidum esset votum quamvis error fuisset concomitans, quamvis scilicet veritate quoque cognita aeque vovisses. (S. Lig. *III 198*).

Error invalidat votum etiam quando est *circa causam finalem*, seu circa motivum unicum vel principale, quod ad vovendum induxit (v. g. voveo Missam in gratiarum actionem pro sanitate parenti reddita, et is reipsa mortuus est).

Hinc votum invalidum, quamvis renovatum fuerit quia validum credebatur (dum. hoc errore secluso, renovatum non fuisset), per hoc firmum non evadit. S. Lig. (*n. 238*).

II. Error probabiliter invalidat votum privatum, quamvis esset tantummodo circa qualitates aut circumstantias secundarias (v. g. voveo eleemosynam pauperi quem credo probum et amicum, dum revera est improbus et inimicus); dummodo magni momenti sint, et tales ut iis cognitis votum emissum non fuisset. S. Lig. (*l. c.*). Ratio est quia praesumi debet, Deum non exigere executionem voti cum tali errore emissi, multo magis quia vota ordinarie non iam contractus bilateralis sed promissionis gratuitae na-

turam imitantur. Cavendum tamen a periculo hallucinationis, quae in voto valde oneroso, v. g. castitatis, facillime intervenire potest.

Vota solemnia autem (quae omnimodam firmitatem exigunt) ab hac regula prorsus excipi debent. Cf. Ballerini (*l. c. 18*).

III. Per se errores circa circumstantias accidentales minoris momenti aut circa causam voti mere impulsivam (vovit, v. g. quis peregrinari Romam studio colendi Deum, et simul etiam habuit causam impulsivam invisendi fratrem, quem falso existimabat Romae esse), si, veritate quoque detecta, votum emissum fuisset, illud minime invalidarent.

499. *Quid de voto emisso ex metu?*

I. Si metus fuerit *gravis, iniustus, et incussus ad hoc* (scilicet ad extorquendum votum), tunc votum (etiam solemne) non tenet. Ratio est quia a Deo non acceptatur. Idem dic a fortiori si (propter metum) verbis tantummodo et sine interna intentione vovisses.

Attamen iure canonico (Cap. *Perlatum*) irrita quidem declaratur professio religiosa, sed adiicitur conditio nisi postea ratihabita fuerit; et Tridentinum quinquennium tantummodo concedit ad reclamandum, et exigit ut causa a Superiore et Ordinario recognita fuerit (*XXV Cap.* XIX *Quicumque*).

II. Si metus provenerit a causa naturali (v. g. occasione infirmitatis, naufragii etc.); tunc certe (nisi usus rationis nimis imperfectus evasisset) votum tenet. Et idem dic si incussus quidem fuisset iniuste ab homine (v. g. ab inimico, a latronibus, etc.), sed non ad extorquendum votum. Ratio est quia tunc votum non iam aegro animo, sed toto corde, ad obtinendam incolumitatis gratiam, emittitur, et quam maxime desideratur ut Deus illud acceptet.

III. Valeret quoque votum si metus incuteretur quidem ad illud extorquendum, sed iuste; quomodo enim potest esse invalidum votum quod quis emittere teneatur?

IV. Metus levis, etsi ad votum extorquendum iniuste incussus fuisset, certe non invalidat vota solemnia, dicente Cap. *Perlatum:* « Si legitime probatum fuerit non timore

« *mortis* praedictam mulierem (*scilicet monialem quae* « *fugerat a monasterio*) religionem intrasse,.... ipsam ad « monasterium redire.... compellatis ».

Difficile etiam haberi poterunt tamquam invalida alia vota, quum metus levis facile sperni possit.

Si tamen constaret quod huiusmodi metus levis causa voti vere extitisset, quo secluso, emissum non fuisset, tunc etiam pro invaliditate probabiliter stari posset. Cf. S. Ligorium (*l. c. 197*).

PUNCTUM II.

De materia apta.

500. *Quid exigitur ut materia voti sit apta?* Debet esse 1° bona; 2° melior; 3° possibilis.

501. *Quid de prima dote:* ***bona?***

I. Quum promissio debeat acceptari a Deo, oportet imprimis ut votum non sit de re mala, quo casu esset nedum invalidum, sed etiam peccaminosum (ut dixi *n. 493*), et quidem graviter, etsi forte (ut contra alios docet S. Lig. *III 206*) de re venialiter mala ageretur. Ratio est quia blasphemiam sapit quod quis putet talia Deo placere.

Supposita tamen bona fide (eaque durante), huiusmodi votum obligationem inducere posset, prout in casu Iephte, qui ad gratiarum actionem pro victoria occidit atque in holocaustum Deo obtulit filiam suam ei primo occurrentem, sicut voverat. (*Iudic. XI*).

II. Invalidum est votum non solum si res sit mala in se (vovendo, v. g, vindictam); sed etiam si sit mala propter aliquam circumstantiam (v. g. vovendo celebrationem Missae *de requie* die qua celebrari non potest), dummodo eadem circumstantia, ad modum conditionis sine qua non, intendatur.

III. Inter circumstantias praecipua est finis; unde votum de re praestanda ex fine pravo unico aut principali (v. g. ieiunandi ad impetrandam victoriam iniustam, vel ad gratias Deo agendas eo quod rem iniquam consummare potueris) certe invalidum est. Dixi *ex fine unico aut principali;* interdum enim finis pravus esse posset tantum-

modo secundarius et impulsivus, seu talis quo etiam secluso res bona praestaretur, ut puta, si quis votum faceret de eleemosyna elargienda ex fine principali proximum sublevandi atque etiam ex fine secundario captandi vanam gloriam, ita scilicet ut, quamvis forte futurum sit ut vana gloria locum non habeat, eleemosyna fieri velit: et tunc votum teneret, et finis iste secundarius reiici deberet. Cf. Ballerini (*l. c. 35*).

IV. A fortiori valet votum si finis pravus secundarius non a parte rei votivae, sed a parte ipsius actus vovendi, se habeat, ut puta, si quis voveat ieiunium coram aliis ex fine quidem principali rem gratam Deo faciendi, sed etiam ex fine secundario captandi laudem de eodem voto; tunc enim Deus hanc quidem circumstantiam reprobaret, sed promissionem acceptaret.

V. Votum illius, qui rem bonam vovet, si malum aliquod perpetraturus erit, valet si fiat ex intentione se retrahendi a malo ipso ad modum voti poenalis (v. g. voveo facere eleemosynam toties quoties blasphemabo); et e contra non valet (ut innui supra *III*) si fiat cum desiderio ut malum ipsum accidat (v. g. meretrix vovet partem lucri meretricii si fuerit abundans, aut quis vovet festum celebrare si occiderit inimicum).

VI. Circa votum de re bona ad obtinendam praeservationem a malo quod provenire posset ex delicto, vel ut ex delicto bonus effectus sequatur, meo sensu, distinguendum est secundum quod post vel ante delictum votum fiat. Si fiat post, certe tenet. Exemplum habes in puella quae post fornicationem votum faciat ne infamiam subeat; aut in viro qui, fornicatione perpetrata, aliquid Deo promittat si nascatur masculus. E contra, si huiusmodi vota fiant ante delictum, dicerem (quamvis theologi multi contrarium sentire videantur) esse invalida; si enim valida essent, tunc peccatis ansam praeberent, nec credi potest quod Deus huiusce generis vota acceptet. Hinc existimo non valere vota facta sub conditione, v. g. si illaesus in duello remansero, si postquam inimicum occidero in carcerem non detrudar etc. Cf. Gury (*Cas. cons. n. 307*) et Ballerini (*Op. De Voto n. 36*).

VII. Votum disiunctivum aut de re bona aut de re mala (credendo esse bonam), v. g. aut ieiunare aut abstinere a reddendo debito coniugali, obligat ad partem bonam, nisi vovens, si reflexisset aliam esse ineptam, nihil vovisset. Idem dic si una pars possibilis esset, et alia impossibilis post votum evasisset (ut theologi docent), vel etiam (meo sensu contra alios) actu voti impossibilis fuisset. Vide infra (*Art. III*), et Sanchez (*IV.* x *17 et* XIII *24*).

502. *Quid de secunda dote: **melior**?*

I. Non sufficit quod materia voti sit bona; sed oportet ut tria simul concurrant: 1° ut sit melior sua contraria, nempe melius sit illam praestare quam non praestare; 2° ut sit virtuosa et meritoria; 3° ut vovens non intenderit se privare libertate (quae in votis semper subintelligitur) commutandi rem Deo promissam in aliam adhuc meliorem, quae forte post factum votum adhuc possibilis et expediens sit; non intenderit scilicet se obligare ad non procedendum ad meliora.

Hinc, salva hac libertate, valent vota, v. g. ingrediendi talem religionem (etsi non strictioris observantiae, melius enim est illam ingredi quam remanere in saeculo); vel piam peregrinationem ineundi; vel eleemosynas aut pia legata faciendi etc.

Ratio autem cur praedictae conditiones exiguntur, est quia vota 1° de rebus indifferentibus, ita ut nihil referret sive praestarentur sive non praestarentur (ut puta, si quis voveret pro sua commoditate domi manere aut foras egredi), aut minus bonis (ut puta, si quis voveret ludere, remanere in saeculo etc.); vel 2° de rebus melioribus quidem (vel etiam omnino necessariis), sed virtutem non exposcentibus (ut puta, si quis voveret manducare, bibere, dormire, etc.); vel denique 3° de non procedendo ad bonum adhuc melius (ut puta, si quis, facto voto ingrediendi religionem mitiorem, adiiceret aliud nunquam se esse transiturum ad strictiorem); vota, inquam, huiusmodi valida esse nequeunt; vota enim vana, inutilia, ridicula, vel a meliori bono arcentia, Deo accepta esse nequeunt. Scripsit D. Th. (*2, 2 q. 88 a. 2 ad 3*): « Vota de rebus vanis et inutilibus, sunt « magis deridenda quam servanda ».

II. Inter res meliores, quae materia voti esse possunt, recensendae sunt etiam res praeceptae (vovendo, v. g. non blasphemare, non mentiri, non peccare contra castitatem etc.): nec huiusmodi vota tamquam inutilia absolute reiici debent; quum enim vovens maiori fraeno sic se coerceat, utique salutaria esse possunt.

III. Res in se indifferens potest evadere melior propter finem virtuosum (voveo, v. g. ire Romam ad invi-

senda loca sacra); et e converso propter finem vel causam indifferentem res in se melior potest evadere indifferens: unde invalide voveret, v. g. qui faceret votum eleemosynas elargiendi ne reputetur avarus, aut ieiunandi ad parcendum sumptibus, aut non ludendi tali ludo quia victoria ei arridere non solet etc. Res tamen melior (v. g. ieiunium) non evaderet indifferens si de illa votum fieret ad impetranda a Deo bona temporalia, v. g. sanitatem, bonum exitum negotii etc.

IV. Votum nunquam ludendi (si mortificationis fine emittatur) valet; non vero nunquam animum recreandi. Valet quoque votum non petendi dispensationem vel commutationem vel irritationem; sed ad casum, in quo illam petere futurum sit melius, extendi non potest. Cf. S. Lig. *n. 208*, qui notat tunc non valere intentionem quod, non obstante dispensatione vel irritatione, votum perseveret. Sic pariter votum non mutandi confessarium ad casus, in quibus illum mutare melius sit, extendi non potest.

V. Defectus conditionum, quae *n. 502* indicatae fuerunt, afficere potest substantiam voti, aut aliquam tantummodo eiusdem circumstantiam. In primo casu votum esset irritum prorsus, et in secundo contingere potest quod solum quoad illam circumstantiam non teneat. Sic, v. g. votum celebrandi Missam in altari privilegiato, *et praecise in illo quod magis vicinum et commodum sit,* quoad hanc circumstantiam minime valeret.

503. *Ad indicandum an res aliqua sit melior, debetne attendi an sit melior in se, an vero relative?*

I. Ea quae sunt magis bona *in se,* possunt esse minus bona *relative*, quatenus scilicet, attentis circumstantiis et speciatim fragilitate et inconstantia subiecti, non expediat ut obligatoria evadant. E converso quae sunt minus bona *in se,* magis bona *relative* esse possunt.

II. Valet votum de re minus bona *in se*, si sit magis bona *relative*, salva tamen semper libertate procedendi ad melius bonum (prout supra *n. 502* explicatum est) si circumstantiae mutentur. Hinc valet votum contrahendi matrimonium (quod in se est minus bonum coelibatu), si subiectus sit valde fragilis, et vel nolit aliis mediis uti, vel, ex indole volubili atque habituali virtutis defectu, spem probabilem illa constanter et sufficienter applicandi habere non possit. Cf. S. Lig. (*n. 209*) et Ballerini (*l. c. n. 4*).

Idem dic de voto non suscipiendi Ordines sacros, si quis praevideret talem susceptionem sibi spiritualiter fore damnosam. S. Lig. (*n. 207*).

III. E converso non valet votum de re magis bona *in se,* si sit minus bona *relative.* Hinc votum agendi semper quidquid est perfectius, non tenet, nisi de personis excellentissimae sanctitatis (prout fuit S. Theresia quae illud emisit) ageretur. Idem dic de voto simplici castitatis in persona, cui (ut supra) magis expediret ut matrimonium contraheret; Divinae enim sapientiae et bonitati convenire non videtur ut illud acceptet. Ita cum aliis (contra alios) docet Bonacina (*IV,* II *p. l. n. 26*) inquiens: « Invalidum « esse votum castitatis, vel religionis, vel non nubendi, « factum ab eo cui salubrius est matrimonium, ob incon« tinentiam et lapsum in res venereas ». Attamen, si votum iam factum fuisset, ob periculum hallucinationis petenda esset dispensatio. Dixi *de voto simplici;* certe enim valeret votum solemne, quia, non obstante huiusmodi circumstantia, ob bonum commune expedit ut teneat et Deus illud acceptet.

IV. Votum nunquam vovendi ordinarie non tenet; vota enim inter res bonas et meliores recensenda sunt. Si tamen quis solitus esset vovere imprudenter et vota non adimplere, tunc teneret votum non vovendi nisi de consilio confessarii; scriptum est enim (*Eccl. V*): « Si quid « vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei in« fidelis et stulta promissio;.... multoque melius est non « vovere, quam post votum promissa non reddere ».

504. *Quid de tertia dote:* ***possibilis?***

I. Hoc exigitur, quia de impossibili dari nequit obligatio, imo nec voluntas.

Notari potest quod intentio se obligandi sub gravi ad praestandum aliquid levis momenti (v. g. ad semel recitandam *Salve Regina*) respiceret rem impossibilem (quia infidelitas in re levi nequit esse gravis), et proinde votum non teneret, unde theologi dicunt quod quis potest quidem se obligare sub levi in materia gravi (ut supra dixi *n. 495 II*), non vero sub gravi in materia (sub omni respectu) levi. Ballerini (*l. c. 43*).

II. Votum de re valde difficili (etiam perpetuum v. g. perpetuae castitatis) tenere potest; nec obstat timor aut praevisio aliquarum transgressionum, dummodo, omnibus

in complexu consideratis, votum ipsum salutare, seu in bonum redundans, censeri debeat.

III. Votum de re partim possibili et partim impossibili (et idem dic de qualibet re partim apta et partim inepta), aliquando tenet quoad partem possibilem, et aliquando corruit prorsus.

Dantur sequentes regulae, quae valent etiam casu quo materia voti fuisset possibilis dum emissum fuit, et postea impossibilis in parte evasisset.

505. **Regula I.** Si res voto promissa ad quemdam finem praestari debeat, et finis ipse sit vel evadat impossibilis; tunc (reddita impossibili hac circumstantia) votum corruit prorsus; non enim datur obligatio medii cessante fine.

Exempla. Vovisti confessionem ad lucrandum Iubilaeum; si Iubilaeum lucrari nequis, confessionem facere non teneris. In honorem cuiusdam Sancti vovisti ieiunare in eius vigilia, aut Missam audire in eius festo; si haec praestare nequis iis diebus, non teneris aliis. Vovisti te conferre ad quamdam Ecclesiam ex fine oblationem ibi faciendi; si oblationem facere nequeas, ad Ecclesiam te conferre non teneris. Vovisti dare mille scutata monasterio pro dote Monialis; si possis dare tantummodo centum (quae ad dotem non sufficiant), ad nihil teneris.

506. **Regula II.** Si res voto promissa habeat partes ab invicem dependentes, tunc sequenti modo distinguendum est.

I. Si sit impossibilis pars principalis seu utcumque substantialis, votum (deficiente substantia) penitus corruit; nec vovens teneretur ad partem secundariam et accessoriam quae possibilis remaneret; illa enim esset obiectum substantialiter diversum ab eo de quo fuit voluntas. Idque verum esset, quamvis vovens, si casum praevidisset, partem accessoriam adhuc vovisset; ex una parte enim de illa (sic a principali separata) votum factum non fuisset, et ex alia obligatio solum a voto quod factum fuerit (non vero a voto quod factum fuisset) exurgere potest.

Exempla. Vovisti peregrinari cum cilicio; nequis peregrinari, sed posses induere cilicium. — Vovisti ieiunare: nequis ieiunare, sed posses a carnibus abstinere. — Vovisti aedificare altare cum candelabris; nequis aedificare altare, sed posses dare candelabra. — Vovisti aedificare Ecclesiam: et solum medietatem illius, vel fundamenta aedificare posses etc. In his casibus ad nihil tenereris. Vide Laymann (*De Vot. Cap. II n. 3*).

II. Si pars principalis sit possibilis, et solum pars accessoria impossibilis esset; tunc quoad partem principalem ordinarie votum tenet.

Exempla. Vovisti ieiunium: nequis a carnibus abstinere in unica comestione, sed potes ieiunare. (Ballerini *Op. th. De Vot. n. 68)* — Vovisti ieiunare in pane et aqua: dein bibisti vinum, sed potes ieiunium servare, — Vovisti peregrinationem cum cilicio: nequis induere cilicium, sed potes peregrinari. — Vovisti peregrinationem ad Sanctuarium, faciendo ibi quamdam oblationem: nequis facere oblationem, sed potes peregrinationem peragere. In his casibus ad partem principalem possibilem utique tenereris. Laymann (*l. c.*).

Dixi *ordinarie;* excipe enim 1° Si pars principalis congrue subsistere nequeat sine accessoria. Vovisti, v. g. aedificare Ecclesiam cum adnexis et connexis necessariis. Si haec adiicere nequires, nec spes esset quod ab aliis adiicerentur, utique illam aedificare non tenereris. Excipe 2° Si pars principalis nimis onerosa et aliena ab intentione voventis redderetur sine accessoria, ut puta, si vovisses peregrinationem per viam ferream, et nonnisi pedester illam conficere posses.

507. **Regula III.** Si res voto promissa constet pluribus partibus minime ab invicem dependentibus: tunc (perinde ac si plures res prorsus distinctae Deo promissae fuissent), quamvis aliquae aut multae ex his partibus fuerint aut evaserint impossibiles, vovens ad alias, quae possibiles remanserint, ordinarie tenebitur.

Exempla. Vovisti abstinere a tali vel tali defectu per mensem; pluribus diebus non abstinuisti: teneris abstinere diebus sequentibus. — Vovisti ieiunare singulis diebus per annum: potes solum bis in hebdomada: ad hoc teneris. — Vovisti erogare in usus pios mille aureos: potes solum biscentum vel centum etc.: ad hoc teneris.

Dixi *ordinarie*: excipe enim si pars possibilis non deserviret ad finem, quem vovens sibi proposuisset, aut si ille explicite efformasset intentionem se obligandi vel ad totum vel ad nihil.

PUNCTUM III.

Variae quaestiones.

508. *Qui, post votum perpetuum perfectae castitatis, matrimonium contraxit et consummavit, ad quid tenetur?* Tenetur certe 1° etiam vi voti et ex virtute religionis, non peccare contra castitatem; 2° non transire ad secundas nuptias si forte coniux moriatur. Theologi dicunt quod tenetur etiam 3° non petere debitum; idque procul dubio verum est si absque gravi incommodo aut pericolo coniugis et proprio a tali petitione abstinere possit. Gravi autem subsistente incommodo aut periculo, hoc certe excusaret, saltem si esset a parte coniugis.

509. *Quid de voto evitandi omnia peccata?* Dummodo non extendatur ad omnia peccata etiam venialia indeliberata, tenet si sit viribus voventis proportionatum, et praesumi debeat quod, tamquam fraemum salutare et redundans in bonum, a Deo acceptetur. Secus, si secus. Hinc facile tenet votum nunquam peccandi mortaliter, et speciatim si ad unam vel alteram tantummodo peccatorum speciem restringatur. Minus facile tenet votum nunquam peccandi venialiter, quamvis de solis venialibus deliberatis ageretur; huiusmodi enim votum solis personis valde piis congruere posset, et maxime si non ad unam vel alteram dumtaxat speciem, sed ad omnes venialium species votum extenderetur. Votum autem de evitandis venialibus etiam indeliberatis, utpote de re impossibili, non teneret (ut dixi); nisi sensus esset apponendi talem vel talem specialem attentionem vel industriam ad huiusmodi venialium frequentiam diminuendam. Cf. S. Lig. (*n. 223*).

510. *Si res promissa sit vel reddatur impossibilis, teneturne vovens illam in aliam commutare?* Negative (vovisti, v. g. offerre hunc calicem; non teneris ad aliam rem si illum amiseris: imo, ut plures dicunt, etsi illum destruxeris aut vendideris. Cf. Ballerini *n. 60*). Excipe nisi votum de re illa fuisset accessorium alterius voti magis generalis, vi cuius ad aliam teneatur.

Vovisti v. g. absolute ingredi religionem, et postea vovisti ingredi tale monasterium. Utique si nequires ingredi illud, tenereris ingredi aliud. Cf. Laymann (*l. c. V.*).

511. *Quid si impossibilitas esset temporanea?* Si impedimentum cesset durante adhuc tempore ad quod votum extendebatur, obligatio, quae suspensa remansisset, reviviseeret.

Vovisti, v. g. te aedificaturum templum quod hucusque ob paupertatem aedificare non potuisti; sed nunc ad meliorem fortunam devenisti, et ideo votum adimplere teneris. Hinc etiam (ut supra dixi) qui post votum castitatis uxorem duxit, ea mortua, a secundis nuptiis abstinere debet.

512. *Quid de duobus votis incompossibilibus, talibus scilicet, ut si unum adimpleas, adimplere nequeas aliud?* Si facta fuerint diverso tempore, tunc 1° adimpleri debet illud quod certe aut probabilius sit comparative melius, non solum si fuerit primum sed etiam si fuerit secundum; in primo enim salva remanebat facultas illud commutandi in maius bonum, de eoque votum faciendi. (Vovisti, v. g. peregrinationem tali tempore peragendam, et postea vovisti eodem tempore assistere peste infectis: hoc secundum praestare teneris). 2° Adimpleri debet primum, si secundum fuerit de bono certe aut aeque probabiliter aequali; non enim datur facultas votum in aliud aequale privata auctoritate commutandi. 3° Adimpleri potest et debet unum pro libitu, si ambo vota aequalia sint, simulque incertum sit quodnam prius et quodnam postea emissum fuerit.

Si autem duo vota eodem tempore eodemque actu facta fuerint: vovisti, v. g. oblationem Ecclesiae S. Petri et aliam Ecclesiae S. Andreae: si nequeas utramque, tunc meliorem; et, si ambae sint aequales, alterutram pro libitu praestare poteris et debebis. Cf. Laymann et Ballerini (*l. c. 79*).

513. *An, si voti executio reddita fuerit impossibilis ex culpa voventis, teneatur ille ad compensationem?* Casus contingit non solum quando vovens culpabiliter obiectum promissum (v. g. calicem) destruxerit aut alienaverit; sed etiam quando votum iam transgressus fuerit (v. g. non ieiunando in tali vigilia sicut voverat etc.). Quaeritur itaque an non solum teneatur ad contritionem de peccato atque ad consuetam poenitentiam sacramentalem, sed etiam ad compensationem (v. g. dando alium calicem, aut ieiunando alia die)? Negative respondent theologi communissime; vota enim non sunt sicut debita iustitiae, quae cum hominibus contracta fuissent; sed sunt promissiones factae Deo, quae ex sola religione et fidelitate servari debent. Cf. Ballerini (*Op. th: De Vot. n. 56*). Excipe 1° casum promissionis quae Ecclesiae aut alicui personae facta simulque voto confirmata fuerit. 2° Casum haeredis qui, acceptando haereditatem, censetur promittere et se obligare ex iustitia ad exequenda vota realia (sicut alia debita) defuncti. Cf. Sanchez (*IV. xv 25 et seqq.*) et Gury (*I 800*).

ARTICULUS III.

De interpretatione voti.

514. *Quibusnam regulis vota interpretari debent?*

I. Interpretari debent iuxta sensum a vovente explicite intentum, et, si de illo non constet, iuxta sensum, quem verba a vovente ipso adhibita solent habere inter personas eiusdem conditionis.

Sic votum religionem ingrediendi intelligitur etiam profitendi. Item apud rudes votum virginitatis non intelligitur in sensu stricto et theologico, quo ille, qui nunquam opere voluntario admisit in se delectationes venereas, promittit nunquam *prima vice* ad huiusmodi opus se deventurum, et insuper (dum sic opere integer remanserit) nec prima vice nec aliis vicibus sive mente sive sermone contra castitatem se peccaturum (S. Th. *22 q. 152. A. 1 et 3 ad 3*): non, inquam, hoc sensu stricto, sed latiori, scilicet pro voto castitatis, accipitur.

II. Interveniente aliqua ambiguitate, vota (quum non constet de obligatione, iuxta dicta *n. 492 III*) interpretari possunt in benigniorem partem. (S. Lig. *n. 224*).

Exempla. Vovisti audire sacrum per mensem: non teneris die festo duo audire. — Vovisti Rosarium; sufficit tertia pars. — Vovisti ieiunium: potes uti adipe, atque etiam (si talis sit in ieiuniis loci consuetudo) lacticiniis. — Vovisti ieiunium per mensem: non teneris die dominico. — Vovisti ieiunium in vigilia alicuius Sancti: si haec incidat in dominicam, potes ieiunare praecedenti die. — Vovisti ieiunium in sabbatis: potes pariter anticipare illud, si festum in sabbato occurrat.

Regula autem interpretandi votum iuxta interpretativam voventis intentionem, nempe iuxta id quod vovens statuisset si casum praevidisset, valet quidem semper ad deobligandum, ut modo dicebam; sed non semper (si nempe de mutatione substantiali ageretur, iuxta dicta *n. 506*) ad obligandum.

515. Speciatim circa interpretationem voti disiunctivi, notanda sunt sequentia.

I. Aliquando votum prima fronte videtur disiunctivum (scilicet cum facultate liberae electionis inter duo vel plura disiunctive promissa), sed reapse est conditionatum. Dicis v. g. *Voveo me ingressurum esse religionem intra annum vel biennium.* Si sensus sit: *Ingrediar post annum vel biennium prout mihi placebit,* tunc erit disiunctivum, et plenam libertatem habebis eligendi biennium. Si vero sensus sit: *Ingrediar post annum, si potero; sin minus, post biennium,* tunc erit conditionale, et libertatem differendi post biennium (si post annum poteris) minime habebis.

II. Si votum sit vere disiunctivum simulque habeat tractum successivum (vovisti, v. g. quotidie vel eleemosynam dare, vel Rosarium recitare), poteris ante perfectam electionem vel semper unum, vel semper aliud, vel una die unum, et alia die aliud praestare, prout tibi placebit.

III. Electio perfecta accidit quando quis ad modum voti (scilicet loquendo cum Deo) eligit unam partem, ita ut intendat non amplius sibi licitum esse variare.

IV. Hac electione secuta, perinde erit ac si votum ab initio simplex extisset; unde de alia parte in quovis eventu nulla amplius obligatio superesset. Cf. Sanchez (*IV.* XIII *21-36*).

De voto disiunctivo, quoad casum in quo pars reddatur impossibilis ante electionem, vide *n. 501 VII.*

Aliae regulae minutiores circa votorum interpretationem in Articulo sequenti invenientur.

ARTICULUS IV.

De obligatione voti.

516. *Quid de obligatione voti?* Votum validum adimpleri debet absolute si sit absolutum; et verificata conditione si sit conditionatum; iuxta suas circumstantias (v. g. temporis, quantitatis, qualitatis, etc.) a vovente ipso, et (si fuerit reale) ab eiusdem haeredibus; sub culpa relativa, nisi legitima causa excuset. Singula sunt explicanda.

517. *Quid de adimplendo voto **conditionato**?*

I. Conditiones ut plurimum sunt *expressae*, v. g. si valetudinem recuperavero, si pater consenserit, si peccavero (in voto poenali); sed aliquando *subintelliguntur*, v. g. voveo ingressum in religionem (si potero, si acceptatus fuero etc.).

II. Vota conditionalia non obligant (uti patet) si conditio non verificetur. Non tamen oportet ut in forma propria, sed sufficit si in forma aequivalenti verificetur (ita ut finis voventis eodem prorsus modo obtineatur). Vovisti, v. g. ingredi religionem si patris licentiam obtineas, vel si soror nupserit; pater autem moritur, et soror professionem religiosam emittit, vel ipsa quoque moritur. Neque dicas non adesse obligationem commutandi votum (iuxta dicta *n. 510*); sic enim tota voti substantia (ingressus in religionem) possibilis remaneret, et variatio illa conditionis non solum accidentalis, sed nullius prorsus momenti esset; unde de facto voti commutatio nullatenus interveniret. Sanchez (*IV.* XXIII *26*) et Ballerini (*l. c. 59*).

III. Votum conditionale obligationem certe inducit, et est expectandi conditionis eventum vel defectum; ita ut proinde vovens interim se aptum servare teneatur, neque

in statum, in quo votum adimplere nequeat, se conii-cere possit.

Exemplum. Vovisti ingredi religionem si pater convaluerit: utique nequis, durante adhuc eius infirmitate, matrimonium contrahere. Cf. Sanchez (*IV.* XXII *11*).

IV. Dantur casus, in quibus vovens conditionaliter potest studiose impedire ne conditio verificetur; interdum enim rei natura aut voventis intentio importat ut hoc lici-tum sit.

Exempla. Vovisti religionem si blasphemaveris; vel si negotiatio tibi malevertat; vel si frater tuus non derelinquat concubinam: vel si tuus nepos, loco prosequendi viam ecclesiasticam, nuptias initurus sit. Idem dic si quis vovendo diceret: — Si religiosus fuero, ero Capuccinus, — vel — Si Romam ivero, visitabo limina Apostolorum. — Cf. Sanchez (*IV.* XXIII *40, 41*).

518. Sed ordinarie conditionis adventum impedire minime licet: qui enim vovet conditionaliter, hoc sensu conditionem apponit ut res sponte sua procedant, non vero ut sibi liceat (saltem rationabili causa seclusa) operam dare ut conditio non verificetur. Et in hac doctrina conveniunt omnes. Sanchez (*l. c. 45*).

Exemplum. Facto voto calicem Ecclesiae offerendi si intra duos menses sanitatem recuperaveris, nequis morbum in longum ducere studiose, ut a voto solvendo libereris.

Dixi *saltem rationabili causa seclusa.* Hinc qui, v. g. vovit ingredi religionem, si pater consenserit, iuxta plures, procurare potest ut pater motiva dissentiendi consideret; imo (dicunt) et preces adhibere, ut consensum non praebeat.

V. Conditionis adventu studiose impedito, in quibusdam casibus vovens votum exequi non tenetur: nempe 1° Si voti executio reddita fuerit impossibiiis (Facto voto, v. g. Religionem ingrediendi in tali monasterio, insolescis ut a Religiosis non accepteris vel expellaris). 2° Si incertum sit an conditio, secluso impedimento studiose apposito, verificata fuisset (Vovisti, v. g. eleemosynam, si in schola praemium obtenturus esses, et postea consulto procurasti praemium non obtinere: sed nescis, utrum, seclusa etiam hac malitia, illud obtenturus fuisses).

E contra in quibusdam aliis casibus votum exequendi obligatio remanet; nempe si, praeter obligationem religionis, iustitiae quoque obligatio interveniat, ut in casu haeredis et in casu voti in favorem tertii emissi ab eoque acceptati, ut patet ex principio iuris civilis dicentis: « Quicumque sub conditione obligatus curaverit ne conditio existeret, « nihilominus obligatur »; et « Cum non stat per eum, ad quem pertinet, « quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset ». Quid enim si Titio aliquid promisisses dummodo tecum ad colloquium veniat, illique advenienti ianuam in faciem clauderes, ne conditio verificaretur?

Si denique obligatio voti sit ex sola religione, et certum sit quod, secluso impedimento studiose apposito, conditio verificata fuisset, tunc San-

chez *IV*, xxiii *47* (cum aliis) censet votum esse adimplendum. Exemplum habes in casu supra indicato illius qui, sub conditione infra certum tempus valetudinis recuperandae, votum fecisset, et, iudicio medicorum iam certus de illa recuperanda, morbum in longum producere studiose procurasset. Ratio est quia ex una parte sensus voti intelligitur esse: *Si Deus gratiam mihi fecerit valetudinem recuperandi;* et ex alia iam gratia tamquam facta haberi debuisset. Sed Laymann aliique (inter quos S. Lig. *n. 116*) censent obligationem votum adimplendi minime superesse, quia vovens intendisset se obligare casu quo, relinquendo cursum naturae et sumendo medicinas, valetudinem de facto recuperaturus esset, et hoc verificatum non fuisset; bene vero alius casus intervenisset de quo actu voti ille nullatenus cogitasset nihilque statuisset. Equidem fraus intervenisset, sed vota (iuxta dicta *n. 513*) non sunt sicut alia debita iustitiae, pro quibus strictae compensationis obligatio adesse potest. Vereor tamen ne haec doctrina sit sophistica et improbabilis. Et idem dic de illo qui fecisset votum adimplendum si per annum a quodam peccato abstinuerit; et, praecise ad finem se liberandi a voto, ultima die anni peccatum ipsum commisisset.

519. *Quid de voto poenali?*

I. Est species voti conditionalis: et potest esse simplex vel duplex. Erit *simplex* si votum fiat de sola poena v. g. voveo ieiunare si me inebriavero. Erit *duplex* si fiat de poena simul et de re cui poena statuitur (v. g. voveo me non inebriare; et, si me inebriavero, ieiunare).

II. Fieri potest in poenam non solum veri peccati sed etiam alicuius imperfectionis vel fractionis boni propositi (v. g. si chartis lusero, si Missam die feriali omisero, etc.).

III. Poena statuta potest esse *stricte dicta* pro peccato formaliter commisso; et *late dicta,* scilicet vel ad modum remedii praeservativi ad cavendum a peccatis quae etiam inadvertenter committi possent, vel pro simplici imperfectione (ut modo dicebam). An autem primo an vero secundo sensu statuta fuerit, ex rei natura et fine voventis diiudicandum erit.

Sunt qui docent votum non obligare ad poenam si vovens actu peccati de illa non cogitabat; sed hoc a sensu communi nimis alienum mihi videtur, et admitti posset solum pro casu, in quo, non ad abrumpendam consuetudinem, sed solum ad retrahendum a peccato unico, poena luenda esset.

IV. An poena semel tantummodo, an vero toties quoties peccatum vel defectus interveniet, luenda sit; hoc etiam pendet a fine quem vovens sibi praefixerit vel utcumque ab eiusdem intentione. Agitur v. g. de poena iterabili quam vovens statuerit ad abrumpendam consuetudinem blasphemandi, se polluendi, se inebriandi etc.; utique luenda erit toties quoties donec consuetudo de facto fuerit

destructa. Si e contra ageretur de poena gravissima (v. g. longae peregrinationis) vel de peccato cuius non haberetur consuetudo; tunc poenam semel esse solvendam iudicari posset.

520. *Quid de voti executione quoad* ***circumstantiam temporis?*** Videndum imprimis an tempus fuerit explicite designatum vel non. Si fuerit designatum, eidem standum erit.

Sed quaeritur 1° *An praeviso impedimento debeas anticipare.* 2° *An tempore transacto quin votum adimpletum fuerit, ad illud adhuc tenearis?*

Respondeo: Si circumstantia temporis fuerit quid principale (v. g. audiam Missam ad honorem talis Sancti in eiusdem die festo: vel ieiunabo in singulis feriis sextis in memoriam Passionis D. N. I. C. aut in sabbatis in honorem B. V. aut tempore Iubilaei ad illud lucrandum, etc.); tunc, neque praeviso impedimento anticipare, neque tempore sine voti executione (etsi culpabiliter) transacto, ad quidquam teneris. Theologi dicunt quod tunc tempus censetur designari *ad finiendam obligationem.*

Si vero tempus fuerit designatum veluti quid secundarium, seu, ut theologi dicunt, *ad sollicitandam obligationem* (ut puta, si vovisses Religionem ingredi die Paschatis); tunc, praeviso impedimento, anticipare, et, tempore sine executione transacto, adhuc votum exequi oportet.

521. Theologi dicunt designationem temporis censeri ad sollicitandam obligationem in votis realibus: ad finiendam vero obligationem in votis personalibus; sed haec regula potest esse fallax. Vovisti, v. g. decem scutata pro apparatu Ecclesiae in tali solemnitate, vel eleemosynam in sabbato ad honorem B. V. Nunquid, voto non adimpleto, teneberis postea, quia est reale? E contra vovisti peregrinationem tali tempore pro gratiarum actione, vel Religionem ingredi die Paschatis. Nunquid, voto tunc non adimpleto, non teneberis postea, quia est personale?

522. In dubio an ad sollicitandam, an vero ad finiendam obligationem tempus designatum fuisset, tunc doctrina ab illo excusans est probabilis. Intellige nisi praesumptionibus dubium solvi possit. Cf. S. Lig. *n. 220.*

523. *Si tempus non fuisset designatum, quaeri potest* 1° *quo tempore votum adimpleri;* 2° *quanto tempore durare debeat?*

Ad I. Si agatur de re habente tractum successivum (v. g. votum castitatis, votum non committendi tale pec-

catum, votum non ludendi, votum ieiunandi singulis sabbatis, votum recitandi rosarium singulis diebus, etc.), adimplementum incipi debet statim. Si autem agatur de re consistente in actu unico (v. g. de peregrinatione, de aedificatione templi, de ingressu in Religionem, de oblatione, de confessione semel facienda etc.), dilationi locus esse poterit plus vel minus iuxta rei naturam, finem voventis, aliasque circumstantias.

Exempla. Si vovisses confessionem quia commisisti peccatum mortale, paucis diebus tardare posses. Si vovisses peregrinationem, maior dilatio (v. g. aliquorum mensium) facile liceret. Si ingressum in religionem, videndum qua aetate; si, v. g. sexdecim annorum, facile biennio vel triennio differre posses; multo minus autem si aetate multo provectiori. Si denique de magna oblatione ageretur, nedum pluribus mensibus, sed etiam aliquo anno dilatio facile posset tolerari. Inter circumstantias autem, praecipua est an adsint causae, quae promptiorem executionem impediant (ubi notandum quod minor causa sufficit ad differendum quam ad prorsus omittendum), an e contra occasio nunc esset propitia et in posterum impedimenta praeviderentur, vel periculum adesset oblivionis, inconstantiae etc. Hoc sensu intelligi debent verba Deuteronomii XXVIII: « Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardaveris reddere ».

Ad II. Quoad durationem: si agatur de re quae habeat tractum successivum, votum (sine temporis determinatione emissum) intelligitur perpetuum. Excipe nisi ex fine voventis aliud colligatur, ut puta. si quis de recipiendis sacramentis singulis hebdomadis votum emisisset ad abrumpendam consuetudinem, v. g. blasphemandi. De voto virginitatis iam dixi supra quod ordinarie pro voto castitatis accipitur, et proinde perpetuum est.

In dubio, non teneris nisi ad minus. S. Lig. (*n. 221*).

524. *Quid de voti executione quoad* ***circumstantias quantitatis et qualitatis,*** *quae determinatae non fuerint?* Regula praecipua sumenda erit a mente voventis. Haec praesumitur fuisse 1° de re decenti, neque tam exigua vel defectuosa ut perinde esset ac Deo illudere (quid enim si dives, facto voto de oblatione tritici, pugillum tritici, vel triticum marcidum, offerret?). Praesumitur fuisse 2° iuxta usum communem (quid enim si facto voto calicem offerendi, calicem stanneum aut vitreum offerres?).

In dubio, salva decentia, ad minimum teneris. Vovisti v. g. ingredi religionem; poteris ingredi laxiorem dum-

modo approbatam. Vovisti peregrinationem quin determinaveris an pedestrem vel equestrem, poteris eligere equestrem, etc.

525. *An facto voto ieiunandi singulis sabbatis, debeas ieiunare quando ea die occurrit solemnitas SS.mi Natalis?* Mihi (contra Salmant. *n. 139.* aliosque) placet sententia negativa, nec credo esse in contrarium textum iuris excipientis eos qui voto sunt adstricti; id enim de illis, qui ad illum etiam diem votum extendendi intentionem habuerit, meo sensu, intelligi debet; non vero de illis, qui, si de re ista cogitassent, exceptionem fecissent. Haec enimvero est regula generalis: quae ad vota interpretanda communiter admittitur.

526. *An facto voto ieiunandi, possis ieiunare prout ieiunari solet cum indulto?* Heic quoque standum erit dictae intentioni interpretativae; et facile affirmandum si de solo indulto adipis, non vero si de indulto carnium, agatur.

527. *An, facto voto audiendi Missam, possis satisfacere audiendo Missam de praecepto?* Respondendum ut supra; et proinde, si de unica Missa, vel de quodam Missarum numero, agatur, negative; si vero de Missa quotidie audienda, affirmative.

528. *Vota a quonam sunt adimplenda?*

I. Si votum sit *personale* (v. g. ieiunium, peregrinatio etc.), vovens tenetur illud solvere per se ipsum; promisit enim factum proprium, et nequit votum suum commutare in minus, sicut contingeret si ieiunium, vel peregrinationem alteri committeret. Impeditus autem alium sibi substituere non teneretur, nisi ad hoc se obligare intendisset.

II. Si votum sit *reale*, vovens poterit quidem uti opera alterius, v. g. mittendo oblationem vel faciendo eleemosynam per tertiam personam (intellige nisi illud etiam, ad modum voti mixti, manu propria exequi promisisset); sed 1° debebit illud exequi quamprimum (ut supra), nec poterit rem ita negligere ut solum post suam mortem ab haeredibus votum solvatur; 2° debebit illud exequi de proprio; nec sufficeret si procuraret ut alter pro sua devotione et merito eandem oblationem vel eleemosynam faceret; quod etiam (si nequiret solvere de proprio) procurare non teneretur.

III. Si votum sit *mixtum*, si nempe constet actione et re, triplex distinctio fieri debet. 1° Si actio personalis sit principalis et res accessoria (v. g. peregrinatio cum

oblatione) impedita actione, res sub obligatione esse desinit. 2° Si actio personalis sit ita secundaria, ut ad minuendam difficultatem statuta fuerit, tunc etiam, ea impedita, totum votum corruit. Hinc sacerdos qui vovisset celebrare Missas personaliter, impeditus a celebratione Missae, non teneretur curare ut alii sacerdotes illas celebrarent. 3° Si denique actio sit ita secundaria ut ad augendam difficultatem statuta fuerit, tunc, ea impedita, res voto promissa sub obligatione remanet. Hinc qui vovit facere eleemosynam manu propria, si nequeat manu propria, tenetur manu alterius.

IV. Per accidens dari potest obligatio solvendi vota aliorum: quod accidit in duobus casibus: nempe si agatur de voto communitatis, vel de haeredibus, ut supra (*n. 495 II*) explicatum est. Sed quoad haeredes valde notabilis est doctrina Frassinettii, qui (*not. 36 ad n. 103*) dicit, obligationem non subsistere si defunctus, dum votum emisit, intentionem habuerit interpretativam obligandi se ipsum tantummodo, et non haeredes; quod ex indiciis colligi deberet. Voverat, v. g. aedificationem templi, quod vita sua durante se aedificaturum esse existimabat, nec tamen morte praeventus aedificare potuit. Sciebat ille, suos haeredes a tam pia voluntate quam maxime esse alienos; unde praesumendum est quod, si casum praevidisset, minime vovisset. Quid si insuper testamentum fecisset, vel commode facere potuisset, et nihilominus de hoc nihil disposuisset?

529. *Quid de culpa in voti transgressione* ***quoad speciem et gravitatem?***

I. Quoad *speciem*, in vovente est contra religionem; et interdum potest esse insuper contra iustitiam si in favorem tertii qui illud acceptaverit, vel contra alias virtutes si de re aliunde praecepta, factum fuerit. — In haeredibus autem, etsi praecipue sit contra iustitiam, tamen pergit esse quoque aliquo modo contra religionem, quia *subrogatum sapit naturam eius in cuius locum subrogatur*. Cf. Laymann. (*De vot. C. III. n. 6*).

II. Quoad *gravitatem*, si materia voti sit levis, culpa transgressionis erit semper levis; si vero materia sit gravis, culpa quoque erit gravis; sed in hoc secundo casu

exceptio esse potest, si nempe vovens in materia gravi sub levi tantummodo in ratione voti se obligare intendisset.

530. Ad dignoscendum an materia sit gravis necne, dantur duae regulae.

Regula I. Materia censetur gravis quando, si praeciperetur ab Ecclesia, obligaret sub gravi (cuiusmodi esset ieiunium, auditio Missae, confessio, communio, una hora canonica, vel quidquid aliud quod his aequivaleret).

Regula II. Materia censetur gravis 1° si sit satis difficilis et onerosa (ut peregrinatio, magna oblatio, etc.); 2° si sit quidem facilis sed valde aestimabilis, sive in se (ut communio), sive propter finem voventis aliasque circumstantias.

531. *An materia, quae esset levis in aliis praeceptis, possit aliquando esse gravis in voto? Et proinde an votum de evitando peccato veniali possit aliquando obligare sub gravi?* Mihi videtur affirmandum, abstinere enim a peccato veniali interdum non solum valde laboriosum, sed etiam (attento speciatim fine voventis) valde fructuosum esse potest. Quid enim si sacerdos ad pigritiam valde inclinatus, de illa vincenda, ut multa opera bona facere possit, votum emitteret? Cf. S. Lig. (*n. 211*).

532. *Si votum quod habeat tractum successivum quid leve periodice vel quotidie praestandum respiceret, singulae transgressiones eruntne semper veniales: an vero materiam gravem et mortale peccatum tandem aliquando efformabunt?*

I. Si distantia sit talis ac tanta, ut in morali aestimatione transgressiones uniri non possint (votum fuit, v. g. recitandi *Salve Regina,* vel faciendi exiguam eleemosynam, in quodam festo B. V. singulis annis; et tunc certe materia gravis nunquam efformari poterit.

II. Si autem in morali aestimatione transgressiones possint uniri: tunc, si votum adimpleri debeat ex iustitia (ut in haeredibus, vel si factum fuisset in favorem tertii, qui acceptaverit), uniri reapse censentur, et sic materia gravis efformari poterit. Si vero votum ex sola religione adimplendum sit, ab intentione voventis decisio pendet, neque obligatio gravis ponenda erit si de intentione se obligandi sub gravi non satis constet. Intentio huiusmodi praesumi debebit si votum fuerit quidem de pluribus levibus sed ad modum unius (vovisti, v. g. quotidianas preces novendiales, vel quotidie aliquid facere ad sanctificandum mensem maii, vel quindecim decades Rosarii recitando unam decadem singulis diebus, etc.); tunc enim materia gravis aderit non solum si omnia omittas, sed etiam si valde defectuose illa praestes, aut pluribus diebus deficias. Idem dic si rem aliquam magni momenti (v. g. levamen alicuius pauperis) per plura levia (v. g. per leves eleemosynas quotidianas) assequendam explicite et clare tibi praestitueris; vel si in casu deficientiae ad supplendum te obligare intenderis. Si autem levia periodice praestanda ita voveris, ut neque deficientias supplere intenderis, neque aliquid magni momenti tibi explicite praestitueris, neque illa quid unum constituant; tunc transgressiones non uniuntur et erunt semper veniales, ut puta, si de tribus *Ave* quotidie recitandis votum fecisses. A fortiori materiae leves in unum coalescere non

possent si praeterea fuissent diversae speciei; vel si in diversis votis, aut ex diversis motivis, aut ad honorem diversorum Sanctorum promissae fuissent; vel denique ad colendos quosdam dies inter se satis distantes (v. g. ferias sextas) fuissent directae.

533. *Quid de gradu culpae si transgressiones in voto momentoso, non substantiam sed circumstantiam aliquam, respicerent?* Decisio pendet a gravitate circumstantiae ipsius in casu concreto. Do exempla.

I. Vovit, v. g. quis peregrinari ad Sanctuarium *faciendo ibi oblationem* vel *eleemosynam.* Omissio huius circumstantiae posset esse gravis, speciatim si oblatio vel eleemosyna magna fuisset praecise determinata.

II. Si voti executio ultra debitum tempus differatur. Non loquor de casibus in quibus dilatio substantialem voti transgressionem includat (ut puta, si vovisses audire Missam in festo talis Sancti, vel ieiunium in singulis sabbatis etc.); bene vero loquor de casibus in quibus votum non sit adhuc fractum, et non obstante dilatione adhuc servari possit et debeat. In tali hypothesi distinguendum est sequenti modo.

Si votum sit de re quae unico actu perficiatur (v. g. oblatio) vel non perpetuo durare debeat (v. g. peregrinatio), tunc facile est quod dilatio non multum considerari debeat et proinde peccatum mortale minime constituat. Excipe nisi dilatio ipsa propter speciales rationes (Cf. *n. 523*) periculosa vel perniciosa foret.

Si e contra votum sit de re per totam vitam servanda (v. g. votum religionis) utique tunc (advento tempore quo monasterium ingredi debes) facile erit quod dilatio (utpote quae cultui divino et bono voventis detrahit), si vovens nulla prorsus causa excusetur, gravem reatum inducat. Credo tamen res huiusmodi non adeo subtiliter esse accipiendas, et latiorem interpretationem, iuxta sensum communem, admittere. Cf. Ballerini (*Op. th. De vot. n. 66*).

III. Ordinarie peccatum aderit, si quem voti emissi sine iusta causa poeniteat. Equidem voti emissi poenitere (perseverante voluntate illud adimplendi) *per se* non est peccatum; agitur enim de actu, quem apponendi nulla aderat obligatio. (Scavini *n. 214*). Attamen, maxime si de voto castitatis ageretur, peccatum facile interveniret, quia,

aegro animo illud servando, periculum transgressionis magis magisque adaugeretur; unde peccatum ipsum etiam mortale esse posset. Cf. Sanchez (*XII 2*).

ARTICULUS V.

De cessatione voti.

534. *Quot modis votum cessare potest?* 1º Suapte natura. 2º Dispensatione vel commutatione. 3º Irritatione.

PUNCTUM I.

De cessatione voti suapte natura.

535. *Quomodo votum cessare potest suapte natura?*

I. Si factum fuerit ad tempus vel durante conditione, cessat finito tempore vel desinente conditione.

II. Cessat per adimplementum.

Quid si opus promissum (v. g. Rosarii recitationem) praestaveris quidem, sed quin efformaveris intentionem adimplendi votum? Certe illud non adimplebis si efformaveris intentionem contrariam (scilicet non adimplendi), vel si illud opus ad alium finem incompatibilem applicaveris (v. g. recitando Rosarium pro poenitentia sacramentali), vel si opus ex alia intentione (etsi *per se* compatibili) praestitum, nequeat esse iuxta intentionem, quam vovendo habueris. (Solitus eras, v. g. recitare Rosarium pro defuncto: utique sensus esse videtur quod solum Rosarium more et fine consueto recitatum, ad votum adimplendum non deserviat). In aliis casibus theologi dicunt, cum S. Lig. (*n. 224*), quod votum adimpleretur, quia unusquisque censetur habere voluntatem satisfaciendi prius suis obligationibus.

III. Cessat si materia voti evaserit inepta, scilicet ex bona mala vel inutilis, aut ex meliori minus bona, aut ex possibili impossibilis (sive physice sive moraliter). Do exempla.

Ex bona mala. Vovisti religionem, sed postea parentes versantur in necessitate, vel Pontifex tibi praecipit ut Episcopatum suscipias. Vovisti peregrinationem, sed postea munera tua vel obedientia Superioris exigunt ut domi remaneas. Vovisti ieiunium; sed, debilitate postea superve-

niente, ieiunando muneribus tui status satisfacere nequires. Vovisti eleemosynam pro tali vel tali paupere; sed haec ad ebrietatem aut libidinem illius fovendam deserviret etc.

Ex bona inutilis. Vovisti subvenire pauperi; sed hic non amplius eget. Sufficit si evadat inutilis ad finem voventis, quamvis in se adhuc bona et optima esset. Vovisti v. g. Missam applicandam pro obtinenda recuperatione sanitatis patris tui; sed ille, antequam Missa celebretur, moritur vel sanitatem iam recuperavit.

Ex meliori minus bona. Vovisti, v. g. matrimonium ut vitiis finem imponeres; sed, illo non adhuc contracto, felici eventu vitiis finem imposuisti et castitatem iam facile servare potes. E contra fecisti votum servandi perpetuam castitatem (vel religionem ingrediendi, vel ordines sacros suscipiendi); sed postea tentationes et lapsus efficiunt melius esse ut matrimonium contrahas. Attamen (ut alias innui) in hoc secundo casu, ob periculum hallucinationis, petenda esset dispensatio.

Ex possibili impossibilis. Vovisti ieiunium; sed postea nequis ieiunare ob infirmam valetudinem. Vovisti eleemosynas; sed dein propter paupertatem illas elargiri nequis etc.

Tria notanda sunt: 1° Cessaret votum quamvis, ex voventis ipsius culpa, eius materia inepta evasisset. 2° Si materia ipsa evaderet inepta solum ad tempus (v. g. vovisti ieiunare singulis sextis feriis per totam vitam: et postea duobus aut tribus mensibus aegrotas), vel solum pro aliquo casu (vovisti, v. g. obedientiam, sed postea aliquod illicitum tibi praecipitur); tunc votum non iam cessat, sed solum pro tempore vel casu illo suspenditur. 3° Vota solemnia privato iudicio nunquam cessationem, et vix unquam suspensionem pati possunt.

IV. Cessat votum privatum, si postea talis superveniat circumstantia, quae, si praevisa fuisset, factum non fuisset. Principium istud est S. Thomae dicentis (*4 d. 38 q. 1 a. 3 ad 1*): *Id liberare a voti vel iuramenti obligatione, quod si a principio notum fuisset, ea fieri impedivisset.* Idemque dicunt alii multi, inter quos S. Lig. (*n. 226*). Rationem autem adduxi supra (*n. 498 II*).

Exempla. Vovisti oblationem pretiosam aut eleemosynam aut expensam aliam quamlibet, quia putabas tibi eam summam fore superfluam; et dein, ob morbum, aut furtum, aut deficiens lucrum etc., summa ipsa indiges. Vovisti te aedificaturum ecclesiam vel cappellam quia putabas te aut unicum filium tuum sine prole moriturum, et dein tibi vel filio proles nascitur etc.

Advertendum est tamen quod ille, quem emissi voti poenitet, nunquam considerare poterit hanc solam circumstantiam (mutationis voluntatis) tamquam sufficientem ut (sine dispensatione) se a voto liberum reputet; nec tunc

valeret ratio quod, si hanc circumstantiam praevidisset, votum non fecisset. Secus enim de omnibus votis actum esset.

V. Denique omnia vota privata, sive personalia sive realia (non tamen si fuerint a tertio acceptata) cessant per professionem religiosam.

Patet ex Cap. *Scripturae* (*de vot. III. 34*) dicente: « Reus fracti « voti aliqualiter non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam no- « scitur Religionis observantiam commutare »; idque verum est, quamvis professus rem istam ignoraverit. Si tamen huius rei certior evadens vota pristina post professionem renovaret, illa reviviscerent; sed ita ut Praelatus ea irritare posset, ut infra videbimus.

Haec autem dispositio ad professionem votorum simplicium applicari non potest; sed hac de re vide Lehmkuhl (*n. 446*).

PUNCTUM II.

De votorum et iuramentorum dispensatione et commutatione.

536. ***Quid est** dispensatio voti?* Est condonatio seu remissio obligationis ex voto ortae, nomine Dei concessa.

537. ***Quis possit** a votis dispensare?* Summus Pontifex. In casibus autem infra declarandis etiam Episcopi. Item alii Ordinarii. Item Delegati ab iisdem. Item Regulares.

538. *Quid de **Summo Pontifice?*** Summus Pontifex omnes Christifideles dispensare potest; eiusque potestas etiam ad vota solemnia extenditur, a quibus tamen difficillime dispensat. Pro foro interno ad S. Poenitentiariam recurritur.

539. *Quid de **Episcopis?** Quibus scilicet in votis possunt Episcopi dispensare?* Nequeunt dispensare in votis solemnibus, sed solum in simplicibus; imo ab his quoque excipienda sunt aliqua, quae (secluso casu urgenti) Papae reservantur; et sunt sequentia.

I. Votum castitatis perpetuae et perfectae; non vero votum castitatis coniugalis, aut temporaneum, aut non nubendi, aut virginitatis stricte sumptae. Dico *stricte sumptae:* et de hoc vide supra dicta (*n. 514*).

II. Votum ingrediendi Religionem, seu Ordinem Religiosum votorum solemnium; non vero votum dandi nomen piae Congregationi votorum simplicium; ut patet ex responso S. Poenitentiariae apud Gury (*II 180 q. 4*).

III. Votum alicuius ex sequentibus tribus peregrinationibus; scilicet ad limina Apostolorum, vel ad Ierusalem, vel ad S. Iacobum Compostellae.

N. B. Ut, votum Rom. Pontifici reservetur, oportet ut sit absolutum; non vero sufficeret si esset conditionatum (etsi conditio verificata fuisset), aut disiunctivum, aut poenale; quod enim reservatur, perfectum in suo genere esse debet, unde vota quae ex perfecto erga rem promissam affectu non procedunt, reservari non censentur. Gury (*I 333 q. 3*).

IV. Vota simplicia (castitatis, obedientiae et paupertatis) quae hodie emittuntur ante professionem religiosam. Haec etiam Pontifici reservantur, ut patet ex Decret. S. Congreg. super statum Regular. *12 Iun. 1858* (apud Lucidi *II.* IV *n. 143*).

V. Vota quae emittuntur cum obligatione perseverantiae in piis Congregationibus votorum simplicium a S. Sede approbatis (Cf. Lucidi *II.* V *n. 351* et S. Lig. *III 255 in fin.*).

540. *Quid de* ***aliis Ordinariis?*** A votis dispensare possunt (ut supra) etiam *Vicarii capitulares*; sed ex officio solum circa suos subditos; ad differentiam Episcoporum qui (iuxta plures) dispensare valent (hac in re sicut et in aliis similibus) etiam peregrinos ex consensu tacito propriorum Ordinariorum. Insuper, supposito casu urgenti, a votis quoque reservatis dispensare possent. *Vicarii generales* autem (seclusa speciali delegatione) a votis dispensare nequeunt.

541. *Quid de* ***parochis*** *et simplicibus* ***confessariis?*** Isti a votis dispensandi (nisi specialiter delegati fuerint) nullam auctoritatem habent; sed possunt solum declarare an in tali vel tali casu votum obliget necne.

542. *Si quis habens votum simplex castitatis matrimonium celebrasset, possentne Episcopus vel parochus vel simplex confessarius illum dispensare ad petendum debitum?* Negative; sed excipe casum in quo haberent facultates Sacrae Poenitentiariae, sive ab illa ipsa sive ab Episcopo (eosdem habente)) communicatas. Vide *De Recidivis* (*Vol. I Ed. V Appendix*).

543. *Quid si, subsistente voto solemni castitatis, urgentissima adesset necessitas matrimonium celebrandi?* Casus practicus accideret in illo qui post professionem religiosam vel ordinem sacrum, degens in publico concubinatu vel matrimonio civili, esset moribundus. Ille hodie ab

Episcopo eiusve delegato dispensari posset (dummodo de iam presbytero non ageretur). Vide infra (*De matrimonio*).

544. *Si Episcopus, qui haberet facultates S. Poenitentiariae, moreretur vel utcumque ab officio cessaret, istae facultates perdurantne in successore, atque adeo in vicario capitulari?* Affirmative. Patet ex Decreto S. Officii (*26 Nov. 1897*) apud *Monitore* (*V.* x *p. 1 pag. 219*).

545. *Quid de facultate* ***Episcopi*** *dispensandi a* ***iuramentis?*** Dispensare potest a iuramentis omnibus, etsi adhibita fuissent ad confirmandum votum reservatum; tunc enim votum quidem sed non iuramentum foret reservatum. S. Lig. (*III 259*). Excipi debet tantummodo casus, in quo (ut supra innui) iuramentum libere emissum a tertio acceptatum fuisset. Dixi *libere emissum;* si enim dictum iuramentum metu aut fraude extortum fuisset, utique ab Episcopo dispensari posset. Gury (*II 125* III).

546. *Quid de* ***Regularibus?*** *Nempe Regulares veri nominis quomodo dispensandi a votis facultatem habent?* Distinguendum est inter facultatem dispensandi cum suis, et cum saecularibus:

Praelati regulares *erga suos subditos* et famulos intra claustra perpetuo degentes iurisdictione quasi episcopali gaudent; unde illos (sicut Episcopi) dispensare possunt. Gury (*II 175. 176 I 332*).

Quoad saeculares autem, en quomodo res se habent.

I. Haec facultas competit imprimis Regularibus mendicantibus (etsi hodie, ut Dominicani, non amplius mendicent) atque aliis eorundem privilegiis communicantibus. S. Lig. (*VI 1127*).

II. Illam exercere valent solum pro foro interno et ex sola delegatione obtenta a propriis Provincialibus. Cf. S. Lig. (*VI 1127*), Gury (*I 332 not. b et II 176* VI *3*) et Ballerini-Palm. (*Vol. II p. 503 n.* LXXII) ex Lessio (*D. 13 n. 108*). Plures censent quod solum actu confessionis illam exercere valeant: sed contrarium probabilius esse docet Sanchez (*De Matr. VIII.* XVI *11*).

III. Dispensare autem possunt 1° A votis et iuramentis S. Sedi non reservatis. 2° Ab impedimento petendi debitum coniugale propter votum castitatis (etiam perpetuae) quod sive ante sive post matrimonium (dummodo non mutuo utriusque consensu) fuerit emissum. 3° Probabiliter etiam ab eodem voto reservato si detegeretur in casu urgenti, dum scilicet ad proximum matrimonium omnia sunt parata. Cf. S. Lig. (*VI 1128*) et Gury (*II 175* IV *784 not. b*).

IV. Non solum Regulares mendicantes, sed etiam alii (v. g. Patres Societatis Iesu, et Benedictini) iisdem vel similibus facultatibus fruuntur; qua de re vide Sanchez (*l. c.*).

547. *Religiosi pertinentes ad pias Congregationes ab Ecclesia approbatas; aut Generalissae earundem Congregationum, possuntne ad veri nominis dispensationes devenire?* Quoad Generalissas, negative prorsus; foeminae enim iurisdictionis ecclesiasticae incapaces sunt. Cf. Lucidi (*II n. 333*). Quoad alios quoque religiosos, negative generatim; sed pro his privilegium aliquod speciale adesse posset. (Gury *II 176* VI *3*).

548. *Dispensatio a votis potestne semper dari pro quolibet foro?* Negative: interdum enim Superior concedit facultatem dispensandi solum

pro foro interno (prout accidit in regularibus quoad saeculares), aut etiam in solo foro sacramentali, scilicet actu confessionis.

549. *Valeretne dispensatio si* ***absque causa*** *concederetur?* Negative: idque verum esset quamvis a Summo Pontifice concederetur; nemo enim potest valide dispensare sine causa in lege aliena, qualis semper est lex divina. Sufficit tamen causa aliqua, quae iudicio dispensantis censeatur iusta, etsi forte de facto talis non esset; secus enim nimii scrupuli nimiaeque incertitudines sequerentur.

550. *Quaenam sunt* ***causae iustae*** *dispensandi?*

Causae possunt esse 1° Si votum emissum fuisset cum imperfecta deliberatione, v. g. in aetate puerili, sine consideratione et cum nimia facilitate, in aestu passionis, ex metu naufragii etc. 2° Bonum publicum vel spes maioris honoris divini. 3° Periculum speciale transgressionis. 4° Magna difficultas executionis (maxime non praevisa). 5° Si vovens nimiis scrupulis vexaretur.

Caeterum difficilline causa erit sufficiens si agatur de voto solemni. In aliis causa maior exigitur vel minor sufficit, secundum quod maioris vel minoris momenti votum sit. Causa etiam aliquantulum minor sufficere poterit si de dispensatione non totali, sed mixta cum non levi commutatione (prout ordinarie accidit), agatur.

551. *Quid de voto* ***in favorem tertii*** *quoad dispensationem?*

I. Si fuerit quidem in favorem tertii sed sine ulla iuris stricti translatione, si nempe quis vovisset quidem se facturum aliquid in favorem tertii, sed huic nihil adhuc dixisset, vel promisisset; tunc voti dispensatio locum habere poterit.

II. Si vero promissio intervenisset, distinguendum secundum quod in favorem entis ecclesiastici vel in favorem personae particularis votum factum fuisset. In primo casu dispensatio a S. Sede obtineri posset; non item in secundo, nisi promissarius renuntiaret.

552. *Quid de* ***Commutatione?***

I. Commutatio potest esse 1° in melius; 2° in aequale; 3° in minus, scilicet in bonum notabiliter minus, si enim esset parum minus, censeretur aequale (parum pro nihilo).

II. Commutatio *in melius* (si sit *certe melius*) fieri potest etiam sola auctoritate propria in votis simplicibus et privatis. Vovisti v. g. lampadem argenteam, et vis potius dare auream, vel periclitanti puellae dotem tribuere.

Aliud est de votis solemnibus; qui enim in religione laxiori professionem emiserit, sine licentia Superioris (quae caeteroquin, supposita voluntate vere bona, negari nequiret), ad strictiorem transire non potest (C. *Licet* de Regul.). Lehmkuhl excipit etiam alia vota reservata.

III. Commutatio *in minus* (quae implicat aliquid dispensationis), vel etiam *in aequale*, fieri potest solum ab habente legitimam auctoritatem. Si tamen auctoritate tantummodo propria commutatio fieret *in aequale*, non esset grave peccatum. S. Lig. (*n. 244*).

IV. Qui potest dispensare, certe potest etiam commutare, sed non viceversa.

V. Delegatus ad commutandum nequit dispensare, nisi commiscendi dispensationem cum commutatione facultas ei facta fuisset. Hoc diverso modo esse potest. Aliquando enim Superior concedit facultatem *commutandi dispensando*; et tunc principaliter exigitur commutatio et solum aliqua levis dispensatio permittitur; unde perinde est ac si sola facultas cammutandi concessa fuerit (ut enim dixi supra, parum pro nihilo). Aliquando e contra Superior concedit facultatem *dispensandi commutando;* tunc principaliter conceditur facultas dispensandi, et solum aliqua commutatio exigitur, unde bonum notabiliter minus subrogari potest.

VI. Quamvis agatur de commutatione facienda *in aequale*, exigitur causa. Si tamen tunc Superior sine causa dispensaret, dispensatio esset quidem illicita, sed (iuxta S. Lig. *n. 245*) valida: quod practice verum videtur, quia aliqua levis causa semper aderit.

VII. In votis reservatis, si Superior commutaverit materiam reservatam in non reservatam, cessat reservatio. S. Lig. (*n. 260*).

VIII. Facta legitima commutatione (sive propria sive superioris auctoritate, ut supra) licebit semper redire ad primum opus (nisi commutatio in melius novo voto confirmata fuerit).

Si autem opus substitutum redditum fuerit impossibile, tenebitur vovens redire ad primum, si auctoritate propria substitutionem fecerit; secus si auctoritate Superioris commutatio facta fuerit absolute: quod (iuxta S. Lig. *n. 249*), verum esset, quamvis ex voventis ipsius culpa opus ipsum impossibile redditum fuisset.

553. *Quae hucusque dicta sunt de dispensatione et commutatione votorum, valentne etiam pro iuramentis?* Affirmative.

554. *Circa validitatem, durationem et conditiones dispensationis, estne aliquid aliud notandum?* De his recolenda sunt principia generalia quae exponuntur *De legibus*. Pro praxi, speciatim observandae sunt clausulae quae in rescripto appositae fuerint. Quoad tenorem rescripti pro dispensatione a voto castitatis, vide *Theologiam Pastoralem* (*Ed. III n. 381*).

PUNCTUM III.

De votorum et iuramentorum irritatione.

555. ***Quid est** irritatio?* Est annullatio aut suspensio voti, quae absque recursu ad auctoritatem ecclesiasticam iurisdictionalem, fit, seu potius imperatur, ab illis, quibus iure naturali (ut statim explicabo) vota annullandi aut suspendendi potestas competit. Lessius (*II.* XL *68*).

In hoc itaque praecipue irritatio distinguitur a dispensatione (vel commutatione), quia dispensatio recurrendo ad auctoritatem ecclesiasticam iurisdictionalem petitur et obtinetur; irritatio vero ab aliis, et quidem etsi vovens nollet (atque adeo per modum non concessionis vel condonationis, sed imperii) peragitur.

556. ***Quotuplex** potest esse irritatio?* Duplex, scilicet *directa* et *indirecta*.

§ I.

De irritatione directa.

557. *Quomodo contingit irritatio* ***directa?*** Quando quis ius habet annullandi (atque annullat revera) votum radicitus et totaliter, unde perinde fit ac si vovens nunquam vovisset. Ius istud habent 1° *Praelati* religiosi quoad suos subditos. 2° *Patres* quoad filios impuberes. 3° Probabiliter etiam mariti respectu ad propriam uxorem. Haec potestas provenit fundamentaliter ex congruentia iuris naturalis et ex confirmatione iuris positivi. Ecclesia scilicet statuit ut Religiosi, impuberes, et (probabiliter) uxores, etsi vovere possint valide, tamen vota emittere nequeant absolute et firmiter, sed solum sub conditione quod Praelatus, vel pater, vel maritus votum non irritent, qua secuta irritatione, vo-

tum ipsum perpetuo corruat. Idque verum est quamvis de votis Summo Pontifici reservatis ageretur. Qui autem votum irritavit, nequit retractata voluntate efficere ut denuo reviviscat.

Docunt theologi communiter, irritationem esse validam (attamen illicitam) quamvis sine causa peracta fuisset, et votum nullum damnum nullumque praeiudicium inferret, vel etiam actus mere internos respiceret; unde sub hoc quoque respectu irritatio a dispensatione differret. Sed quod haec doctrina sit vera, mihi obscurum est.

558. *Quid speciatim notandum circa irritationem directam, quae* **a Praelatis** *religiosis peragatur?*

I. Quod revera hanc facultatem habeant, patet ex consuetudine omnium Ordinum religiosorum, et fundamentum habetur etiam in principio generali exposito in iure canonico. Legitur enim in Cap. *Si religiosus* (*27 De Elect. in 6*): « Eius (religiosi) arbitrium non ex sua, cum velle « et nolle non habeat, sed ex illius quem vice Dei super caput suum posuit « et cuius imperio se subiecit, voluntate dependeat ». Et in can. *Non dicatis* (*11 q. 1 Caus. 12*): « Cum huius nostrae Congregationis fratres « non solum facultatibus sed etiam voluntatibus propriis in ipsa ordina- « tionis susceptione renuntiaverint, et se per promissam obedientiam pe- « nitus aliorum potestati et imperiis in Christo et pro Christo subdide- « rint etc. ».

II. Praelati Religiosi sunt 1° Summus Pontifex (non tamquam caput Ecclesiae sed tamquam supremus praelatus omnium Religiosorum). 2° Episcopus sed solum quoad Moniales sibi subiectas. 3° Generalis, Provincialis, Guardianus, (seu Rector Monasterii); sed non pro Religioso qui ad Episcopatum evectus fuisset; tunc enim non amplius subditus esset. 4° Vicarius, absente Superiore si tunc absolutam iurisdictionem habeat. 5° Etiam Abbatissae (probabiliter) Cf. Ballerini (*Op. th. VI.* II *109*). 6° Denique delegati a praedictis.

Quum autem haec facultas fundetur in voto obedientiae, quod etiam a sodalibus piarum Congregationum emittitur, multi ad earum quoque Superiores illam extendunt. Cf. Lehmkuhl (*n. 462*). Certe tamen ad Novitios (qui professionem adhuc non fecerunt) minime extenditur.

III. Excipiuntur vota substantialia, quae ipsam professionem constituunt, et excipitur etiam votum ad strictiorem religionem transeundi. qua de re unusquisque in professione ipsa libertatem sibi reservat. Ballerini (*l. c. 110*).

559. *Quid speciatim notandum circa irritationem directam, quae* **a Patre** *erga filium impuberem peragatur?*

I. Lex antiqui testamenti (*Numer. XXX 4*) dicebat: « Mulier si « quippiam voverit et se constrinxerit iuramento, quae est in domo patris « sui et in aetate adhuc puellari: si cognoverit pater votum, quod polli- « cita est et iuramentum quo obligavit animam suam, et tacuerit, voti « rea erit; quidquid pollicita est et iuravit, opere complebit. Sin autem, « statim ut audierit, contradixerit pater, tunc vota et iuramenta eius irrita « erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni eo quod contradixerit pater ».

Lex ista retenta fuit ab Ecclesia et refertur ad litteram in iure canonico (*Decr. II p. Caus. XXXIII q. 2 c. 14*). Habentur etiam alii

textus (*l. c. XX q.* II *C. 2*): « Puella si ante duodecim annos aetatis « sponte sua sacrum sibi velamen assumpserit, possunt statim parentes « eius vel tutores id factum irritum facere si voluerint. At si annum et « diem, id dissimulando consenserint, ulterius nec ipsi nec ipsa mutare « hoc poterunt ». Et (*l. c. C. 1 q. 1*): « Firma tunc erit professio virgi- « nitatis, ex quo adulta iam aetas esse coeperit ».

II. Haec facultas, in defectu patris, ad alios patriam potestatem habentes, atque adeo ad avum paternum, tutorem, et matrem devolvitur : imo mater vota filii irritare potest etiam praesente patre, qui non contradicat.

III. Comprehenduntur vota omnia sive personalia, sive realia, etsi de bonis propriis filii ageretur, imo et quamvis voti executio referretur ad tempus in quo filius a patria potestate solutus erit. Cf. Ballerini (*l. c. n. 114*).

560. *Quid speciatim notandum circa irritationem directam, quae a marito peragatur?*

I. Lex antiqui testamenti (*l. c. 11-16*) dicebat : « Uxor in domo viri « cum se voto constrinxerit et iuramento, si audiverit vir et tacuerit, nec « contradixerit sponsioni, reddat quodcumque promiserat. Si autem extem- « plo contradixerit, non tenebitur promissionis rea, quia maritus contra- « dixit, et Dominus ei propitius erit. Si voverit et iuramento se constrin- « xerit, ut *per ieiunium vel caeterarum rerum abstinentiam* affligat « animam suam, in arbitrio viri erit ut faciat sive non faciat. Quod si « audiens vir tacuerit et in alteram diem distulerit sententiam, quidquid « voverat atque promiserat reddet, quia statim ut audivit, tacuit. Sin « autem contradixerit postquam rescivit, *portabit ipse iniquitatem eius*» (quae postrema verba sic videntur intelligenda : voti fracti reus erit maritus si absque causa rationabili contradixerit).

Haec etiam lex retenta fuit in iure canonico (*l. c. Caus. XXXIII q.* V *C.* XI) : « Manifestum est ita voluisse legem, foeminam esse sub viro, « ut nulla vota eius, quae *abstinentiae* causa (*ut ieiunare : Glos.*) voverit, « reddantur ab ea, nisi auctor vir fuerit permittendo ». Ubi additur, uxoris vota solvi quamvis maritus prius consenserit, si postea dissentiat : idque verum esse in dictis votis abstinentiae, sed non in voto continentiae (ab usu coniugii), quod semel permissum revocari non potest.

II. Legem istam esse intelligendam de irritatione directa docent D. Thomas, S. Ligorius aliique plures ; sed alii multi censent e contra de sola irritatione indirecta, atque adeo solum pro casibus in quibus vota uxoris iuribus mariti praeiudicent (quod suadent verba *per ieiunium* etc.) intelligi debere. Ego dicerem 1° uxorem solvi a voto quando illius observantia pacem turbatura esset, non vero si de re occulta nullamque turbationem afferente ageretur. 2° Maritum peccare (et pro modo materiae, etiam graviter) si absque causa iusta uxoris vota irritet (*portabit ipse iniquitatem eius*). 3° Mortuo marito, votum reviviscere. Sic autem huiusmodi irritatio, meo sensu, potius indirecta esset. Eccur enim, maxime dum hodie plurimi sint impii, dare illis auctoritatem irritandi, et quidem in perpetuum, etiam illa piarum uxorum vota, quae nihil praeiudicant? Quomodo lex huiusmodi utilis et necessaria, atque adeo valida, esse posset?

III. Caeterum, si concederemus facultatem istam maritos habere, certe solum ad vota, quae tempore subiectionis (scilicet matrimonii) emissa fuissent, extendi deberet,

§ II.

De irritatione indirecta.

561. *Quid de irritatione* ***indirecta?***

I. Coutingit quando quis ius habet super materiam voti, illamque voventi subtrahit aut prohibet; unde, tali subtractione aut prohibitione durante, voti executio impossibilis aut illicita evadit. Ius autem super materiam voti quis habere potest dupliciter: 1° Si circa illam dominium vel ius administrationis habeat (ut puta, si uxor aut filius eleemosynam vovissent de bonis quae sint mariti vel patris, aut sine illorum consensu alienari nequeant). 2° Si votum praeiudicium utcumque iuribus alterius afferre, aut iuxta Superioris praecepta impediri posset.

Exempla. Genitores et curatores filiorum puberum (qui vivant in familia) sic irritare possunt vota, quae familiae ipsi praeiudicent etc.

Uxor irritare potest vota mariti, qui sine necessitate longam peregrinationem inire, vel habitare alibi, vel dormire seorsim vovisset.

Idem dic de heris quoad ancillas, quae vovendo nimia ieiunia, preces, Ecclesiarum visitationes etc., ad servitia debita praestanda ineptae redderentur.

Sic etiam Pontifex, Episcopus, et Rector communitatis irritare possunt vota subditorum, quae cum iustis eorum praeceptis sint incompatibilia. Subditus, v. g. voverat ieiunium, et Episcopus iubet magisterium vel praedicationem, prohibendo ieiunium incompatibile etc.

II. Irritationis indirectae facultas pleno iure naturae conceditur, ut per se patet.

III. Extenditur etiam ad vota, quae ante tempus subiectionis emissa fuissent (ad differentiam irritationis directae; Cf. *n. 560 III*) si illa tempore subiectionis iuribus alterius inferrent praeiudicium. Illo autem cessante, votum (secus ac in irritatione directa, Cf. *n. 557*) denuo revivisceret.

562. *Quid de voto non petendi debitum matrimoniale?*

Si factum fuerit a marito, irritari potest ab uxore: uxoribus enim praeiudicare solet. Imo videtur ex se ipso invalidum. (Cf. Ballerini *l. c. 112*).

Si vero factum fuisset ab uxore motivo virtutis, tunc ordinarie, tamquam bonum et marito non praeiudicans, validum et forsan a marito minime irritabile foret.

SECTIO III.

DE TERTIO DECALOGI PRAECEPTO

SCILICET

De Sanctificatione Festorum.

Memento ut diem sabbati sanctifices... Non facies omne opus in eo (Exod. *XX*).

Hic agitur de santificatione festorum non solum quatenus iure naturali et positivo divino. sed etiam quatenus iure ecclesiastico praecipitur atque determinatur. Ecclesia enim diem sabbati in diem dominicum commutavit, et alia quoque intra annum festa de praecepto adiecit, atque auditionem Missae praecepit.

563. *Sanctificatio festorum, quatenus est obligatoria,* ***in quo consistit?*** 1° In abstinentia ab operibus servilibus et aliis quibusdam. 2° In auditione Missae.

CAPUT I.

DE ABSTINENTIA AB OPERIBUS SERVILIBUS ET ALIIS QUIBUSDAM.

1° Exponenda sunt principia generalia. 2° Indicandae sunt in particulari causae excusantes.

ARTICULUS I.

De principiis generalibus.

564. *Quaenam sunt hoc in puncto principia generalia?*

I. Opera possunt esse **servilia, liberalia, communia** et **forensia.**

Servilia dicuntur illa, quae olim ad servos (it. *schiavi*) spectabant, nunc autem ab agricolis, operariis, artificibus et pauperibus ordinarie exercentur, et consistunt in laboribus materialibus, in quibus longe plus corpus quam mens accupatur.

Liberalia sunt quae olim a solis liberis et dominis exercebantur, et in quibus plus mens quam corpus occu-

patur, aut sola delectatio quaeritur. Ad hanc classem auctores reducunt speciatim sequentia: studere: docere: pingere (non tamen pingere parietes vel currus agricolarum, aut tingere pannos vel ligna): facere lineamenta (it. *il disegno*): choreas ducere: musicam componere: canere: sonare: organa pulsare: acu retrahere (it. *ricamare*) imagines vel similia (non tamen vestium ornamenta): operationes aritmeticas peragere vel ducere rationes (it. *i conti*): scribere: imo etiam transcribere, etsi nihil intelligatur (non enim accidentalis conditio scribentis, sed natura operis consideratur): denique (iuxta plures; sed hac de re vide consuetudinem proborum) collocare characteres praelo imprimendos (non tamen illos praelo imprimere). Cf. Ballerini (*Op. th. VI.* III *31*).

Communia sunt, quae tam a servis quam a liberis fiebant, v. g. iter facere (sive pedibus, sive equo, sive curru, sive navi, sive manu ducendo aliquod animal *non onustum*): emere et vendere (privatim) etc.

Forensia sunt quae ad publica iudicia spectant.

565. II. Generatim **permittuntur** opera liberalia et communia; **prohibentur** autem servilia et forensia, nisi iustae causae excusent.

III. Dixi *generatim;* principium enim vere supremum ad determinandum quid liceat et quid non liceat, et an talis vel talis causa excuset vel non excuset, est *consuetudo proborum et persuasio communis*, ita ut de re illa iam nemo scandalizetur; vel e contra scandalum subsistat.

Profecto quaedam opera vetantur, etsi sint liberalia (v. g. publice docere, it. *far scuola*): et circa quaedam opera servilia consuetudo potest esse diversa iuxta diversa loca et tempora; eademque causa, quae ad excusandum censetur sufficiens uno loco vel uno tempore, alio loco vel alio tempore talis esse non posset.

IV. Dicunt plures, nihil influere si opus liberale *pro mercede*, aut opus servile ex mera charitate vel alia sancta intentione perficeretur; item nihil influere si corporis defatigatio in opere liberali subsistat, vel in opere servili non subsistat. Quamvis hoc etiam *generatim* verum sit (et profecto si quis die festo, etiam ex fine lucri, scriberet, minime delinqueret); tamen, iuxta communem persuasionem, cum mica salis intelligi debet. Sic, v. g. venari, piscari, flores artificiales facere etc. ex brevi recreatione quidem licitum esset, sed si modo mercenario (saltem si longo tempore et

cum defatigatione fieret) illicitum foret; unde dicendum quod hae circumstantiae efficere possunt ut quaedam opera vel prohibeantur quamvis sint liberalia, vel ex liberalibus servilia evadant. Hinc Benedictus XIV (*De Syn. XIII.* XVIII *10*) dixit: « Inter opera servilia piscationem quoque « recensendam esse, *quotiescumque ad lucrum exerceatur* ». Certe opus non fit servile propter peccatum (v. g. legendo turpia).

566. V. Circa **causas excusantes** vel culpam minuentes, notandum quod 1° Quanto magis opus est materiale, laboriosum et diuturnum, eo maior causa ad excusandum exigitur. 2° Excusationis difficultas crescit si laboretur publice, coram aliis, vel cum strepitu, vel diebus solemnissimis. 3° Labor paullo facilius excusatur si horis nocturnis, vel etiam pomeridianis, absolutis iam divinis officiis, perageretur. Cf. Bened. XIV (*l. c.*), 4° Ordinarie valet principium quod Ecclesia non obligat cum gravi incommodo (intellige *extrinseco,* nempe ultra damnum amissionis lucri consueti), 5° Aliquando tamen hoc principium non valet, ut patet ex vindemia, quae (apud nos) die festo peragi nequiret, quamvis forte uva, si tunc non colligeretur, grave periculum (propter pluvias) subitura esset. 6° Suprema regula itaque erit semper consuetudo (ut dixi). 7° Aliquando denique non sufficit ut causa excusans subsistat, sed exigitur ut a Parocho (prout olim in more erat apud nos quoad tritici messem) licentia petatur.

567. VI. Opera servilia (seclusa causa excusante) vetantur **sub gravi;** ita tamen ut detur parvitas materiae. Peccatum mortale communiter reponitur in labore protracto ad duas horas cum dimidio (S. Lig. *316*); sed interdum tempus brevius sufficere potest (quid enim si agricola die festo una hora, vel etiam unico horae quadrante, terram araret?). Interdum e contra tempus diuturnius exigitur: quod contingere potest speciatim si labor vel 1° sit leviusculus et de liberali participet (v. g. facere flores artificiales; Gury *n. 356*): vel 2° fiat ex causa aliqualiter (quamvis non ex toto) excusante; vel 3° sit interpolatus.

568. VII. Sicut die festo non licet laborare, ita ne licet quidem **inducere alios ad laborandum,** seclusa necessitate.

Dicunt tamen non peccare mortaliter herum, qui, v. g. sex famulos induceret ad laborandum per horam, sive simultanee sive successive; hoc enim (aiunt) nihil aliud esset quam inducere sex personas ad peccandum venialiter. S. Lig. (*n. 303*). Excipe nisi ratione scandali hoc esset mortale.

ARTICULUS II.

Indicantur in particulari causae excusantes.

569. Hae sunt 1° Necessitas. 2° Occasio lucri extraordinarii. 3° Charitas. 4° Pietas. 5° Dispensatio. Singulas explico.

570. *Quid de* ***prima causa;*** *quinam scilicet praecipue titulo* ***necessitatis*** *sive privatae sive publicae (si vere subsistat) plus vel minus excusari possunt?* Hi sunt agricolae, olitores, venditores, equos calceantes, barbitonsores, pistores, parantes necessaria ad victum quotidianum, addicti operibus quae interrumpi non possunt, coacti ab aliis, denique *interdum* sartores, sutores et pauperes.

571. *Quid in particulari de* ***agricolis?***

Quoad triticum tempore messis facere possunt quidquid exigitur ut tempestive metatur, manipuli custodiantur atque in tuto collocentur: item ut trituratus ad aream deferatur (supposita necessitate) ut soli expositus exsiccetur. An autem ope machinae (*trebbiatrice*) triturari possit, hoc pendet a circumstantiis. Non multis ab hinc annis (quando primitus machinae, tunc paucae, adhiberi caeperunt) diebus festis sic triticum triturare (nisi ageretur de parochis et sacerdotibus, ob necessitatem specialis boni exempli), dummodo tempore Missae opus suspenderetur, licitum reputabatur, quia secus gravia vel gravissima creabantur incommoda. Sed hodie incommoda ista (speciatim propter machinarum copiam) cessarunt, et proinde id operis (quod suapte natura, et propter multitudinem laborantium, magnam et valde extensam diei festi profanationem secum fert) malam impressionem in bonis fidelibus producit, scandalum infert, et proinde (quatenus in loco res ita se habeant) certo certius non amplius licet. Excipe nisi in aliquo casu raro, specialis necessitas interveniret, ut puta, si dominus fundi absolute hoc exigeret.

Quoad foenum, agricolae nequeunt die festo illud excidere, sed possunt illud vertere, et (si pluvia ingrueret)

in parvos cumulos congregare. Illud autem in magnam massam collocare (*fare il pagliaio*) nequeunt, nisi forte id operis vel die antecedenti fuisset incoeptum (et maxime si speciale pluviae periculum adesset); vel ita consuetum evasisset ut iam nullum amplius scandalum afferret.

Quoad stramen, nihil permittitur, nisi forte, propter foeni poenuriam, pro foeno ipso supplere deberet; aut ageretur solum de massa incoepta aliquo modo cumulanda, si pluvia ingrueret.

Herbam et folia pro animalibus colligere possunt etiam pro mane diei sequentis, sed non ultra.

Alios fructus terrae (v. g. phaselos) colligere et cannabem recidere nequeunt. Possunt solum res istas iam collectas custodire, ne pluviâ ingruente detrimentum subeant, aut ne cannabis maceratio excessiva evadat.

Quoad uvam, zeam (gran turco), *et fructus arborum,* hodie apud nos die festo agricolae nihil facere possunt.

Quoad itineris susceptionem cum curru, sub vespere diei festi possunt sic iter suscipere, si quando ad loca longinqua se conferre a quibus foenum emptum, aut quid simile, domum vehere debeant.

572. *Quid de **olitoribus**?* Possunt hortum irrigare et colligere fructus sequenti mane vendendos. Si tamen de magna et extraordinaria collectione; et speciatim si de educendis e terra parvulis plantis in magna quantitate ageretur, tunc dies sequens expectandus esset, nisi indeclinabilis necessitas urgeret.

573. Quid de ***venditoribus?*** Venditores, nempe pharmacopolae, laniones, caupones, aliique vendentes necessaria quoad victum aut vestitum; isti horis toleratis apothecas sive apertas sive semiapertas tenere possunt. Id fere ubique ex tacita Ecclesiae conniventia hodie permittitur, et est partim necessarium et partim utile, non tantum pro civibus quantum pro rusticis, qui die festo ad civitates concurrere solent ut victui et vestitui necessaria emant.

Azorius (*De 3° praec. c.* 27): scripsit: « Quo etiam fit ut hac in « parte sutores, sartores et alii similes opifices, salva conscientia, vendant « rusticis calceos et vestes et id genus alia; cum diebus profestis rustici « non veniant; quod si venire cogerentur, suas res non sine gravi iactura

« relinquerent...; tum quia, si a vendendo desisterent, damno afficerentur, « cum emptores, illis neglectis et praeteritis, alium venditorem inveni- « rent ». S. Ligorius (*III 286 et Hom. Ap. VI n. 18*) dixit : « Emptio- « nes mercium certe sunt vetitae...; at, ubi est contraria consuetudo, « excusantur ; consuetudo enim in hoc magna ex parte legem abrogavit. « Hinc notant Salmanticenses permitti in festis vendere poculenta et escu- « lenta *etsi ad gulositatem*.... Item vendere calceos, candelas, et similia « quorum pretium iam aestimatum est... Item permittunt Doctores, etiam « mercatoribus vendere aliquid clausis ianuis, cum emptores pro tunc iis « valde indigent ». Tandem Gousset (*n. 566*) scripsit : « Fere ubique per- « mittitur vendi diebus festis non ea tantum quorum in die sit necesse « ut panem, vinum, carnes, olera aliaque esculenta ; sed etiam ea quibus « rustici ad unam vel plures hebdomadas vel etiam ad longum tempus « indigere possunt, veluti cibaria, vestitus et alia huiusmodi, quae usu « consumuntur ». Hodie reapse etiam in multis ex iis dioecesibus, in quibus triginta vel quadraginta ab hinc annis severiores leges vigebant, videntibus et tacentibus Episcopis, parochis et concionatoribus, generatim praedictarum rerum venditores proprias apothecas apertas tenent.

Sedulo notandum quod illi, qui Dei timorem habent, censent 1° Auditionem Missae non esse omittendam, et servis quoque commodum illam audiendi praestari debere. 2° Apothecam (nisi tolerata consuetudo ab hoc quoque excuset) non totaliter esse aperiendam, et sic aliquo modo esse significandum quod dies festus recognoscitur et ab aliis distinguitur. Haec igitur duo ad minus sunt exigenda. Dico *ad minus*, quia si alicubi severiores leges adhuc vigerent, procul dubio essent observandae.

Attamen quoad genera quae non sunt primae necessitatis, laudandi sunt boni catholici qui diebus festis a venditione prorsus abstinent, et in hunc finem confoederationes ineunt; hoc enim deservit non solum ut diei festo maior respectus habeatur, sed etiam ut frequentandi sacramenta et audiendi verbum Dei tempus et modus suppetat.

Quoad venditiones *in nundinis* et *mercatibus consuetis*, licebit certe merces vendendas deferre, et emptas domum vehere etc.

Denique *venditiones privatae* licitae sunt, quamvis in illis notabile tempus impenderetur: non tamen liceret v. g. triticum emptum mensurare, transvehere etc. Si denique ageretur de contractu ope Notarii et publici instrumenti stipulando (etsi iudex non interveniret) inspicienda esset consuetudo.

574. *Quid de **fabris equos calceantibus** et de **fabris ferrariis**?* Fabri equos calceantes et de hoc re-

quisiti, possunt operam suam praestare. Id porro necessarium esse potest tam pro casu in quo iter iam esset incoeptum, quam pro casu in quo iter tunc incipi deberet; nec ipsi fabri de hac necessitate inquirere tenerentur.

Communissime theologi dicunt quod *fabri ferrarii* possunt acuere vomeres et cultros agricolis, eo quod die sequenti illis indigeant. Sed apud nos id certe non licet, quia huiusmodi necessitas minime adest. Vomeres et cultri acui possunt die antecedenti vel sequenti, quando horis meridianis boves in stabulo clauduntur, vel summo mane. Viae non sunt imperviae sicut olim, et fabri sunt ubique.

575. *Quid de* ***barbitonsoribus?*** Propriam operam praestare possunt; sed videndum ne forte consuetudo hoc ad quasdam horas restringat, vel exigat ut apotheca semiclausa teneatur.

576. *Quid de* ***laboribus domesticis,*** *et speciatim de* ***confectione panis, farinae cribratione*** *et* ***pannorum lotione?***

I. Necessaria ad victum et decentiam quotidianam fieri, atque etiam obiecta poliri possunt; nec est obligatio anticipandi die sabbati. Idem dic de officina et machinis parvo labore poliendis.

II. Panem conficere non licet, nisi ex necessitate, quae contingere solet in quibusdam operariis pauperibus, qui solum die sabbati pecuniam ad emendam farinam, solumque die dominica (eo quod in crastinum summo mane abire debeant) panem (quo indigent) conficiendi commoditatem habent.

III. Farina generatim cribrari nequit die festo ad conficiendum panem die sequenti, farina enim pridie cribrari vel confectio panis differri poterit. Excipe semper casum dictae necessitatis, et nota quod levis causa excusaret, ut parva farinae quantitas (quanta scilicet pro fermento exigitur) cribrari possit.

IV. Pannos die festo lavare non licet: illos autem iam elutos soli exponere in privatis cavaediis licet tempore hyemali; non item aestivo, nisi forte de licentia parochi, quae licentia tempore aestivo publicis purgatricibus, quae in locis publicis magnam pannorum copiam exponunt, dari non deberet.

577. *Quid de* ***pistoribus?*** Panem nedum publico usui, sed etiam aliquibus pauperibus familiis necessarium (ut supra) coquere possunt.

578. *Quid de* ***addictis ad opera quae interrumpi non possunt?*** Huiusmodi sunt, v. g. addicti ad vias ferreas vel ad officia postae, telegraphi, etc., coquentes lateres, laborantes in vitro, fundentes ferrum, molitores (S. Ligorius *n. 277*), bombycibus folia ministrantes, etc. Folia tamen pro bombycibus solum in proportione necessitatis colligi poterunt.

579. *Quid de* ***itinerantibus ob mercedem?*** *Quid de* ***vectoribus?*** *Quid de* ***mulionibus?*** Iter facere (etsi ob mercedem): item curru vehere personas: haec certe licent. Difficultas est de mulionibus qui vecturas mercibus aliisve rebus onustas de loco ad locum transferunt. Hi iter iam incoeptum interrumpere ordinarie (propter incommoda quae ut plurimum contingerent) non tenentur. Plures dicunt posse etiam iter incipere, quia non ipsi sed iumenta laborant. Sed vera decisio a locali proborum consuetudine pendet. Certe alicubi vigent adhuc in contrarium leges synodales. Olim S. Pius V muliones iumentorum confiscatione mulctari iussit.

580. *Quid de illis qui ad* ***laborandum coguntur ab aliis?***

I. Si agatur de operibus quae cogentibus sint necessaria seu utcumque licita, tunc nulla difficultas.

II. Si inique ea opera exigantur; tunc solum damno vel incommodo proportionato excusari poterunt, vel si, recusando, maius malum provocaturi essent. Hinc facile excusantur famuli et agricolae, qui a proprio domino (cavendo tamen a scandalo quantum fieri poterit): item uxores quae a marito: item filii qui a patre ad laborandum cogantur. Hac de causa hodie non raro excusantur etiam operarii, qui, a dominis officinae, vel ab architectis, vel ab adventoribus divitibus quibus inserviunt, laborare coguntur. Practice tamen videndum an de vera coactione, et de vero gravique damno (si recusarent) subsequenti, an potius de praetextu aut vano timore agatur.

581. *Quid de* ***pauperibus?*** Hi aliqualiter laborare possunt, si secus se suosque filios alere nequirent: cavendo tamen a scandalo. Casus iste accidere solet in mulieribus pauperculis. quae tota hebdomada mercede conductae, solum diebus festis filiorum vestes resarcire possunt. S. Lig. (*n. 297*).

582. *Quid speciatim de* ***sartoribus, sarcitricibus et sutoribus?*** Isti solent laborare diebus festis, et quidem interdum toto mane usque ad meridiem. Dicunt se ad id esse coactos, quia adventores pro die festo (maxime vero si aliqua magna occurrat solemnitas) vestes aut calceos exigunt. Haec autem opera (aiunt) ex una parte acceptari debent, secus enim adventores (necessarii aut valde utiles) amitterentur, et ex alia ut plurimum ante festum totaliter expediri nequeunt. Quatenus res ita reapse se haberent, isti artifices deberent quidem cavere a scandalo meliori modo possibili, sed laborare possent; de vera enim necessitate ageretur. Saepe tamen (maxime si de consuetudine ageretur) necessitas huiusmodi est conficta; tum quia in eam sponte se coniiciunt (non laborando prima hebdomadae die, et non adhibendo infra hebdomadam debitam sollicitudinem): tum quia laborant etiam pro iis adventoribus, qui (maxime rogati) ex operis dilatione minime reapse alienarentur. Interdum etiam sarcitrices possent aliquam aliam sociam (sive stabilem sive precariam pro modo necessitatis) ad secum laborandum vocare, vel aliquid operis aliis tradere, vel denique non nimio labore se onerare, et quae infra hebdomadam expediri nequeunt, non acceptare. Cf. S. Lig. (*n. 303*) et Gury (*n. 261, 10*).

Hinc sedulo notent confessarii quod, maxime quoad personas conscientiae parum meticulosae, earum agendi rationem non de facili approbare debent; prout faciunt multi qui, re minime perpensa, illico dicunt: *eia age, si habes necessitatem, laborare potes.* Agitur de re ex una parte nimis momentosa, et ex alia hallucinationibus nimis subiecta; unusquisque enim facillime sibi persuadet se laborare ex necessitate, etiam quando vera, gravis et indeclinabilis necessitas minime adest. Id patet exemplo sarcitricum piarum, quae adventores non amittunt, quamvis nunquam, aut certe multo minus et rarius, diebus festis laborent. Supposita itaque spe fructus, confessarius poenitentes bene examinet, et, gravi defectu detecto, gravissimis verbis eos admoneat, qui vanis rationibus se hac in re mortaliter peccare minimo existimant. Dixi *supposita spe fructus:* prudentia enim, ne admonitio de peccato mortali magis malum quam bonum

productura sit, sicut in aliis rebus, ita etiam in ista (speciatim si agatur de viris qui vix semel in anno ad confessionem accedunt) necessaria est.

583. Quoad illas autem sarcitrices, quae dicunt : *Pater, feci quidquid potui ut opus ante festum perficerem ; laboravi praeter consuetum usque ad mediam noctem, sed finire non potui, unde laborem diei festi adiungere coacta sum:* quoad illas, inquam, quae sic dicunt, indulgentia habenda est ; ex hoc ipso enim sacrificio vigilandi praeter consuetum usque ad mediam noctem, praesumi debet quod de casu verae necessitatis agatur.

584. Puellae, quae sarcitricis artem addiscere volunt, quantum possunt eligere debent magistram diebus festis reverentiam habentem, tum ut ipsae divinum mandatum observent, tum ut periculum sequendi malum magistrae exemplum evitent. Magistra autem bonae conscientiae, si harum puellarum ope interdum vere indigeat, saltem identidem eas admonere debet quod talis labor ex vera necessitate peragitur ; et quod, si necessitas non excusaret, illicitus esset.

585. Hic autem maxime, ob rationes adductas supra *n. 573,* commendanda est *confoederatio sanctificationis festorum,* qua catholici omnes in loco uniantur et statuant sequentia: 1° Non laborare diebus festis; 2° non uti artificibus qui diebus festis laborent; 3° locare apothecas cum pacto ut diebus festis non laboretur.

Notandum quod confoederatio huiusmodi si quoad venditores difficile, quoad artifices et operarios valde facilius efficaciter obtinetur.

586. ***Quid de secunda, tertia, quarta et quinta causa?***

Secunda est **occasio lucri extraordinarii.** Non lucrum ordinarium, non scilicet stipendium consuetum; sed lucrum notabile quod fortuito se offerat pro casu extraordinario, legitimam constituere potest causam, ut quis die festo laborare possit; attamen remoto scandalo. Exemplum datur in aquarum confluvio, quo adveniente piscari ligna in flumine licitum erit. Idem dic de piscatoribus, si occasio magnae piscium capturae occurrat. Sententiam istam ut probabilem, imo ut forte probabiliorem, S. Ligorius (*n. 301*) admittit. Excipe tamen semper, nisi in loco id operis tamquam illicitum tunc quoque haberetur.

587. Tertia causa est **charitas.** Intellige pro casu fortuito et absente scandalo, v. g. si quis vestem consuat, ut illam pauperi graviter ea indigenti in eleemosynam tradat. Dixi *pro casu fortuito ;* non enim liceret (ut bene notant Gury et Scavini) omnibus et singulis diebus festis laborare pro vestibus pauperum, et multo minus alia opera servilia

peragere, ut lucrum exinde perceptum in pauperum levamen impendatur.

588. Quarta causa est **pietas.** Licet scilicet aliquid operis pro Ecclesia paupercula gratis facere; item conficere rosaria, scapularia etc. ut gratis distribuantur. Sed hoc solum pro aliqua hora, aut pro casu fortuito (et semper secluso scandalo) intelligi debet. Etsi enim agatur de obiectis devotionis, observandum quod praeceptum abstinendi ab operibus servilibus altioris gradus et maioris momenti est. Cf. S. Lig. (*n. 293*) et Scavini (*II 243*).

589. Aliqui notant quod etiam **propria necessitas spiritualis** excusare potest, ut puta, si quis secus esset in periculo indulgendi otio et vitiis. Si excusat, inquiunt, necessitas corporalis, a fortiori spiritualis excusabit. Sed practice doctrina ista raro potest habere locum; alia enim suppetunt media bene impendendi tempus et tentationes vincendi. Dixi *raro*, quia interdum tales occurrere possunt circumstantiae (maxime si persona semper sola domi remaneret) ut occupatio in aliquo labore leviusculo ad modum recreationis iure hac etiam de causa permitti possit, curando tamen ut scandalum vitetur. Certe alicubi potest adesse consuetudo, ut sine ullo scandalo mulieres, quae toto die gregem ad pascua ducunt, caligas faciant, et sic otium et taedium nimis diuturnum declinent.

590. Quinta causa est **dispensatio;** circa quam notanda sunt sequentia.

I. Aliud est declarare quod in tali circumstantia quis potest absque ulla licentia ad opera servilia incumbere, et aliud est dispensare seu licentiam concedere. Primum est in potestate confessariorum; secundum autem est solum in potestate superiorum, inter quos ex consuetudine (pro quibusdam casibus particularibus) veniunt quoque parochi. Vide Scavini (*II 26*), qui iure notat quod petitio licentiae a proprio parocho ab Ecclesia non raro exigitur etiam pro casibus in quibus lex per se cessat; idque ad evitanda pericula hallucinationis et ne christifideles in nimiam libertatem proruant. Id animadvertant confessarii.

II. Etiam ad dispensationem concedendam iusta causa exigitur; sed causae, quae non essent plene sufficientes ad

certe excusandum, saepe ad legitime dispensandum sufficere possunt.

591. Dispensatio dari debet solum pro casibus in quibus dari solet. Interdum tamen aliqua exceptio fieri poterit, ne, licentiam denegando, de malo maiori (omnibus perpensis) timendum sit.

592. Sed quid si casus urgeat, et petendi dispensationem tempus vel commodum non adsit? Tunc sufficit dispensatio rationabiliter praesumpta. Ita Gury (*Cas. cons. I 228*) et Scavini (*l. c.*).

CAPUT II.

DE AUDITIONE MISSAE.

593. Quaer. I. ***Quomodo audienda sit Missa?*** R. 1° integre; 2° devote; 3° modo humano; 4° ex intentione.

594. *Quomodo audietur* ***integre?*** Per se loquendo, audiri debet a principio usque ad finem; sed sequentes observationes fieri debent.

I. Ultimum Evangelium, iuxta omnes, est solum de consilio; pro fidelibus enim ad *Ite, Missa est* cum benedictione Missa completur.

II. Qui perveniunt Missâ iam incoeptâ sed ante offertorium, non tenentur aliam audire, quia 1° quod magis est momentosum in Missa (et sive certe sive probabiliter ad substantiam Sacrificii pertinet) ab offertorio incipit. 2° Olim Missa *fidelium* ab offertorio incipiebat. 3° Omissio partis non auditae (quae olim Missam *catechumenorum* constituebat) gravis, iuxta plures, non censetur. Si tamen ex voluntaria negligentia id evenisset, utique culpa (etsi venialis) adfuisset. Intellige haec omnia dummodo reliquum Missae totum usque ad finem audiatur. Cf. S. Lig. (*III 340*) et Ballerini (*l. c. 103*).

III. Qui perveniunt post offertorium, si inadvertenter id accidat, non equidem peccant; sed, si possint, aliam Missam audire tenentur; si vero non possint, tunc saltem illi Missae parti assistere debent (S. Lig. *l. c.*), dummodo

non pervenerint, Missâ quasi finitâ, tunc enim ad nihil tenerentur. Si autem non inadvertenter sed voluntarie adeo cunctentur ut solum post offertorium Ecclesiam ingrediantur, tunc peccant mortaliter, nisi aliam Missam audiendi intentionem habeant.

IV. Adverte tamen quod communiter christifideles apud nos in ea sunt conscientia ut pro validitate Missae non ad offertorium sed ad evangelium attendant; et quidem ita ut censeant in principio evangelii ipsius (pro validitate) praesentes esse debere.

V. Non sufficit audire duas dimidias Missas, quae a diversis sacerdotibus celebrentur simultanee; unde Innoc. XI damnavit sequentem propositionem: « Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui eius « duas partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit »; Ecclesia enim nedum sacrificium, sed etiam durationem temporis in actu religioso impendendi, considerat. Si autem non simultanee sed successive huiusmodi partes (subsistente unione morali) audirentur; tunc S. Lig. (*l. c. n. 311*) auditionis validitatem admittit si in una eademque Missa consecratio et communio adsint; neque desunt theologi graves qui adhuc benignius loquuntur et talem circumstantiam minime exigunt (Cf. D'Annibale *III 470*). Pro licito tamen causa rationabilis (v. g. difficultas aliam Missam expectandi) semper exigeretur. Lehmkuhl (*I 560*).

595. *Quid si quis in decursu Missae discederet ad breve tempus et rediret?* Casus iste multipliciter contingere potest, et decisio pendet 1º a duratione absentiae; 2º a dignitate partis quae non auditur; 3º a distantia loci ad quem recedens se confert; 4º ab ipsa qualitate motivi abeundi. Hinc theologi dicunt, esse grave si omittantur omnia ante evangelium et simul omnia post communionem (S. Lig. *l. c. 310*); aut (propter partis dignitatem) si quis actu consecrationis simulque actu communionis discederet. An autem auditio Missae substantialiter vitietur, si quis solo momento consecrationis discederet et statim rediret, caeteris omnibus auditis: id negant auctores non pauci, quibus accedit Lehmkuhl (*l. c.*), si (prout practice contingeret), ex instantanea et brevissima necessitate ad locum vicinum quis se conferre cogeretur. Facilius excusatur Missae inserviens, si, ad providendum aliquid pro Missa ipsa, ad sacristiam aliumve locum vicinum se conferret (S. Lig. *n. 309*). Dicunt autem non esse grave abire solo momento offertorii (S. Lig. *l. c. n. 310*): vel dum musici canunt *Kyrie, Gloria, Credo* (Croix *III.* I *571*), vel dum

sacerdos nimis diu haereat in *Memento* (Salmant. *V*. VI *6*). Abesse autem toto tempore quo in dominica *Palmarum* legitur *Passio,* alicui (apud Scavini *I n. 253*) grave videtur, quia *Passio* Missae illius diei efformat partem audiendam atque magnam; sed, quum pertineat ad Missam catechumenorum, probabiliter pro veniali stari posse dicerem. V. Gury (*I n. 342*).

596. *Quomodo Missa audietur* **devote?** Quamvis quaelibet distractio voluntaria aliquam culpam includat, tamen difficile est quod devotionis defectus sit talis ac tantus, ut Missa fuerit tamquam non audita et alia audiri debeat; non enim expedit quod facile, propter solius devotionis defectum, aliam Missam audiendi fidelibus obligatio imponatur; et magna profecto differentia fieri debet inter absentem (qui ad Missam nullatenus se conferre vult) et praesentem (qui illam audit, etsi parum devote). Lugo (*De Euch. XXII 5*).

Hinc, ut Missa fuerit tamquam non audita, oportet ut evagatio (meo sensu) fuerit *externa*, *protracta et voluntaria* (iuxta dicta *De Oratione n. 329*). Si quis itaque toto tempore Missae (et speciatim ab offertorio usque ad communionem) loqueretur cum socio circa negotium, quod non parum mentem occuparet, certe Missam non audiret. Secus si solum identidem aliquod verbum proferret, aut oculos in aliquod obiectum coniiceret. Cf. Lugo (*l. c. 13. 14*) et Scavini (*I 254*). Certe musici, pulsantes organa, attollentes folles organorum, atque etiam qui, per Ecclesiam circumvagando, eleemosynas fidelium colligunt, Missam audiunt. Equidem de pulsantibus organa S. Lig. (*III 317*) dicit: « Si simul ad Missam attendant »; sed etsi (cum intentione tamen Missae assistendi) quando sonant, solum ad bene sonandum attenderent, scrupuli non essent iniiciendi.

597. *Sed quid si quis tempore Missae confessionem sacramentalem perageret?* Etsi plures theologi censeant quod Missam non audiret, quia ad illam non attenderet, sed aliud faceret; neque cum sacerdote Sacrificium offerente neque cum aliis Missam audientibus (propter actionem illam externam ab auditione Missae alienam) uniri censeretur; nihilominus, si aliam Missam audire nequiret

et confessionem (qua valde indigeret) ad aliud tempus facile differre non posset (prout contingere solet in famulabus et uxoribus se cito expediendi necessitatem habentibus); tunc praesumendum est Ecclesiam consentire, maxime si momento consecrationis attentio praestaretur. Sed, praescindendo etiam ab hac stricta necessitate, Ballerini (*Op. th. VI.* III *91*) docet quod, supposita intentione, Missae sufficienter assisteret qui tunc confessionem faceret.

598. *Quid de Missa audienda **modo humano**?* Ebrius, vel dormiens, vel non advertens quod Missa dicatur, non satisfaceret. Secus esset, si quis vexatus a somno dormitaret quidem, sed ita leviter, aut per intervalla tam brevia, ut in substantia Missam quoque audiret. D' Annibale (*III 469*).

599. *Quid de **intentione**?* Intentio certe exigitur; qui enim ingressus Ecclesiam ob alios fines, Missam quidem audiret, sed sine ulla intentione se uniendi cum sacerdote ad Sacrificium offerendum (seu nulla efformata intentione audiendi Missam), praecepto non satisfaceret.

Intentio tamen audiendi Missam non debet confundi cum intentione positiva satisfaciendi praecepto, quae non exigitur; unde si quis falso credens esse diem ferialem, Missam ex devotione audivisset, praecepto iam satisfecisset. Excipe nisi illam applicasset ad finem diversum, qui cum satisfactione praecepti incompossibilis esset. Sed de hoc in quaestione sequenti. S. Lig. (*I 163. 164*).

600. *Quid si die festo duas Missas audire deberes, unam ad satisfaciendum praecepto, aliam ex voto vel poenitentia sacramentali; et, primae Missae auditionem, non pro praecepto, sed pro voto vel poenitentia applicasses?* Tunc voto vel poenitentiae satisfecisses; et proinde ex consequentia necessaria aliam Missam ad satisfaciendum praecepto audire deberes. Idem dic si primam Missam applicasses ad lucrandum indulgentiam, quae audiendo Missam de praecepto lucrari non posset.

601. *Quid si prava aliqua intentio adiungeretur intentioni audiendi Missam?* Haec praecepti adimplementum non impediret, si aliunde sufficientem attentionem non excluderet. Exemplum habes in eo qui pergeret ad Eccle-

siam ut quidem Missam audiret, sed etiam ut foeminam videret. Ballerini (*I 317 not. c.*).

602. Quaer. II. ***Ubinam Missa (de praecepto) audiri debet?*** Secluso privilegio, audienda est in templo, vel oratorio publico, in quo scilicet detur aditus omnibus.

Sufficit etiam si audiatur in oratorio *semipublico*, quod scilicet spectet ad aliquam Communitatem, prout sunt oratoria interna quae legitime erecta sunt in seminariis, monasteriis, conservatoriis, carceribus, hospitalibus etc. Non ita pridem de hoc dubitabatur, sed hodie quaestio sublata fuit per decreta S. R. C. *23 Ian. 1899* (*n. 4007*) et *18 Oct. 1901* apud *Monitore* (*X.* XIII *pag. 349*).

603. *Quid de oratoriis privatis (quae in domibus nobilium esse solent?* Si habeatur indultum apostolicum, Missae praecepto satisfacere licet; attamen 1° diebus solemnioribus exceptis; 2° domino dumtaxat eiusque familiae; eaque praesente, hospitibus, et aliquibus famulis quorum praesentia in oratorio tempore Missae conveniens sit. D'Annibale (*III 8*) et Ballerini (*I 348*). Idem dic de ipso sacerdote celebrante et de illo qui Missae inservit; hi enim domino deserviunt. Dominus autem potest quidem hoc privilegio uti, sed probabiliter non obligatur; unde, si forte ad Ecclesiam se conferre nequiret, Missam audire in oratorio non teneretur. Hoc autem tamquam certum (meo sensu) haberi debet, si ad Missam habendam stipendium sacerdoti dare deberet; ut enim optime scripsit Tamburini (*IV.* II *§ 2 n. 4*): « Hoc praeceptum obligat ad audiendam Missam, « non vero ad illam peculiari stipendio procurandam ». Cf. Ballerini (*l. c.*).

604. *Missa potestne audiri* ***in quacumque Ecclesiae parte?*** Affirmative quamvis sacerdos celebrans, propter Ecclesiae ipsius vastitatem, valde longe esset; non enim exigitur ut Missa praecise audiatur et sacerdos conspiciatur (ut patet ex surdis et caecis); sed sufficit ut sciatur Missam tunc celebrari.

605. *Necessitas audiendi Missam in Ecclesia debetne ita stricte intelligi, ut distantia exigua ab Ecclesia ipsa obstet?* Negative; satis enim est ut locus cum Ecclesia immediate communicet, ita ut qui Missam audit tamquam unus ex assistentibus non absone existimari possit. Vide in re simili decretum S. C. Indulg. apud Scavini (*IV 440 e*).

606. ***Si festum sit locale,*** *satisfacitne qui extra territorium Missam audit, ita ut domum rediens Sacro iterum interesse non teneatur?* R. Videri posset quod non satisfaciat, quandoquidem Missa audiri debet in loco ubi praecipitur; extra enim praeceptum non adest, et proinde qui Missam extra territorium audit nulli praecepto satisfacere potest. Praeterea si incolae Missam alibi audirent, localis solemnitas in loci templis non distingueretur. Attamen praxis in contrarium semper fuit; unde scripsit Lugo (*De Euch. XVI 39. 40*) quod praeceptum audiendi Missam in hoc casu includit conditionem implicitam *dummodo non fuerit iam audita.* Ita sentit etiam Antoine (*De Leg. IV.* IV).

607. Quaer. III. ***Quinam teneatur audire Missam?*** R. Tenentur omnes christifideles (nisi vel sint excommunicati vel legitime excusentur) postquam septennium compleverint.

Plures dicunt attendendum esse non iam an puer septennium compleverit, bene vero utrum rationis usum sat perfecte acquisierit, quod etiam ante septennium contingere potest. Sed haec regula nimiis perplexitatibus et scrupulis aditum aperiret; et aliunde, quum iamdudum in proverbium evaserit quod pueri ad leges Ecclesiae observandas obligari incipiunt solum quando septem annos compleverint, iuxta hunc antiquissimum et communissimum fidelium sensum, lex interpretari debet. Adde, casum pueri, qui usum rationis perfecte acquisierit ante septennium, esse rarum; leges autem positivae pro casibus raris non fiunt. Hanc sententiam S. Lig. (*III 270*) vocat probabilem. Caeterum vide D'Annibale (*I 191 not. 32*), et Salmant. (*XXIII.* II *130*).

608. *Quinam tenentur audire Missam* ***si festum sit locale?***

I. Non tenentur vagi et peregrini, seu quotquot in illo loco domicilium aut quasi domicilium non habent (cuiusmodi sunt etiam divites rusticantes), quia legibus locorum particularibus non subiiciuntur. Intellige secluso scandalo.

II. Tenentur incolae et advenae, in illo enim loco primi domicilium et secundi quasi domicilium habent.

609. *Quid, si quis a patria sua discessurus esset eo ipso die quo festum locale celebratur? Teneretur ne ante discessum Missam audire?* Negant, si discessurus esset ante finem obligationis (Ego dicerem; si discessurus esset ante ultimam Missam). Et ratio est quia discessus causam eximentem constituit; unde qui scit se eo die fore exemptum, iam nequit obligari ad Missam prius audiendam; perinde enim esset ac si quis haberet debitum solvendum infra annum, atque sciret se ante finem anni plenam remissionem esse obtenturum.

Alii cum Ballerini (*Op. th. Vol. I Tract. III n. 189*) indulgentius loquuntur et dicunt non teneri si discessurus sit ante meridiem, quamvis tempore ultimae Missae adhuc esset in patria; sed argumentatio nimis subtilis mihi videtur.

610. *An peregrinus debeat audire Missam 1° si in loco festum generale sit suppressum; aut 2° si in loco vigeat festum generale in patria sua suppressum; aut 3° si in patria festum locale celebretur?* Ad 1° Negative, quia peregrini gaudent privilegiis locorum. Ad 2° Affirmative, quia peregrini extra patriam privilegiis patriae non gaudent. Ad 3° Negative, quia peregrini extra patriam legibus patriae non ligantur.

611. *An vagus debeat audire Missam si in loco festum generale sit suppressum?* Negative, quia vagi, quamvis legibus generalibus subiiciantur, tamen locorum quoque privilegiis gaudere possunt. S. Lig. (*I 195*).

612. Quaer. IV. ***Quaenam causae ab auditione Missae excusent?*** R. Generatim excusat quodlibet impedimentum notabile seu motivum rationabile; nempe quaevis causa mediocriter gravis quae notabile aliquod damnum aut incommodum afferat. Ratio est quia Ecclesia est discreta et pia mater, quae filios suos nimis onerare non vult. S. Lig. (*III 324*).

Differentia tamen fieri debet inter omissionem Missae pro una vel altera vice, et omissionem perpetuam aut diuturnam, pro qua causa maior exigitur. Hinc agricolae a Missa audienda non excusantur, quamvis Ecclesia valde distet etc.; si enim excusarentur, tunc fere omnes illam semper omittere possent. Insuper, si impedimentum removeri aut cum auditione Missae conciliari sat facile posset id fieri deberet.

Hae regulae valent etiam circa illos qui subditos habent, quatenus iisdem libertatem Missam audiendi denegare possunt aut relinquere debent, secundum quod motivum rationabile et grave habeant aut non habeant.

In omnibus autem casibus a consuetudine et praxi timoratorum regula tuta sumi poterit atque debebit.

Veniendo autem ad particularia, excusationes intervenire possunt propter damnum 1° in bono vitae; 2° in bonis fortunae; 3° propter nonnulla alia incommoda personalia; 4° propter damna et incommoda aliorum; 5° propter bonum spirituale proximi.

613. *Quid de damno* ***in bono vitae?*** Ex hoc capite excusantur 1° Aegroti, puerperae, valetudinarii et convalescentes, etiam (consulto tamen medico aut persona

prudenti, si possint) in dubio. 2° Qui ad Ecclesiam adeundam (v. g. propter distantiam, intemperiem, viae asperitatem, virium debilitatem, senectutem, statum, conditionem etc.) nimiae et non consuetae defatigationi subiicerentur. Nec vectura uti tenerentur; sed excipe nisi consuetudo aliter exigat, prout apud nos contingit quoad nobiles ruri degentes; qui insuper (attento etiam scandalo) non facile excusari debent, eo quod magnam noctis partem ludendo insumpserint, et mane hora Missae dormientes illam relinquant. 3° Sunt qui dicunt se Ecclesiae aerem ferre non posse. Hoc motivum non semper est insulsum. Non solum quibusdam foeminis gravidis, sed etiam aliis, Ecclesiarum aerem physice graviterque nocere (interdum usque ad deliquium) compertissimum est; et medici catholici dicunt, huic rationi, consideratis circumstantiis, suum pondus dari debere. Cf. Capellmann (*Medicina pastoralis. De frequentatione templi*). 4° Excusantur ii, qui a satellitibus inquiruntur (vulgo *banditi*); item milites, si illis audiendi Missam tempus non relinqueretur; et in genere quoquot propter Missae auditionem gravibus periculis aut poenis obviam ituri essent.

614. *Quid de damnis* ***in bonis fortunae?*** Ex hoc capite excusantur quotquot in operibus vel officiis sibi licitis ita occupantur, ut sat commode neque antea aut postea Missam audire, neque opus suspendere, aut ad aliam horam differre, neque alios (saltem alternatim) sibi substituere possint. Hoc (speciatim ubi Missarum penuria adsit; maxime vero si Missa vel unica celebretur, vel multum distet, vel difficile inveniatur) contingere potest quoad laborantes in fusoriis, machinam viae ferreae (intellige semper eo die) ducentes, nautas, molitores, viatores, muliones et aurigas (qui neque differre neque interrumpere queant iter absque gravi iactura), gregem vel domum ex necessitate custodientes, etc. Idem dic (sed non semper) de famulis, quibus herus vel apothecae dominus libertatem non relinquat ut Missam audire valeant.

615. *Circa famulos istos estne aliquid specialiter notandum?* Hi, si, aliquantulum citius surgendo vel opus solerter finire curando, Missam audire possent, ad id tenerentur. Si hoc fieri nequiret, tunc alium dominum inquirere deberent;

exceptis sequentibus casibus, nempe 1° Si id raro accideret. 2° Si alibi idem inconveniens aut forsan peiora mala inventuri essent (Cf. *De Occasionariis n. 269*). 3° Si nimis grave aut damnosum eis foret illud servitium deserere. 4° Si dominus propter veram necessitatem eorum opera ita indigeret ut eos ad Sacrum mittere nequiret. Notandum etiam quod, si forte unica Missa celebraretur, et aliquis semper domi remanere deberet, curandum esset ut modo unus, modo alius alternatim domi remaneret; ita tamen ut dominus se ipsum Missa privare (nisi forte paucis vicibus) non teneatur, ut ad illam famulos mittat.

616. *Quid de tabernariis (it.* bottegai), *cauponibus, pharmacopolis, barbitonsoribus, sutoribus, sartoribus et sarcitricibus?* R. Supposito etiam quod licite labori aut venditioni incumbant (iuxta dicta paullo supra), difficile est quod momentum et possibilitatem audiendi Missam absque gravi damno, si velint, non inveniant; unde in praxi excusari nequeunt, nisi forte in aliquibus circumstantiis extraordinariis, quae caeteroquin certe admitti debent, dicente S. Lig. (*III 332*): « Valde probabiliter excusantur, qui ob Missam audiendam omittere deberent « negotium cum damno gravi ».

617. *Quid de* ***amissione lucri?*** R. Amissio lucri non utique exigui, sed (attenta conditione personae) notabilis et extraordinarii (ut puta, si hora Missae pauperi occurreret occasio lucrandi quatuor vel quinque francos) damno gravi aequiparatur, et proinde excusat.

618. *Quid de* ***aliis incommodis personalibus?*** Sufficientem excusationem constituunt 1° *Magna verecundia*, v. g. apud nos, si quis calceos non haberet, si persona nobilis veste aut famulatu convenienti careret, si puella nimis verecundaretur eo quod in Missa proprii matrimonii publicationes fierent (intellige semper nisi haec incommoda, v. g. alibi Missam audiendo, declinari facile possent). 2° *Publica reprobatio*, ut puta, si quis tempore luctus contra morem foris prodiret, maxime si ageretur de vidua, aut si cadaver adhuc domi adesset. 3° *Necessitas spiritualis*, ut puta, si quis hora Missae deberet per-

gere alibi ad confessionem sacramentalem peragendam, qua valde indigeret, neque ad aliud tempus illam differre posset.

619. *Quid de **damnis et incommodis aliorum**?* Ex hoc capite excusantur praecipue 1° Matres et *nutrices*, quae aliis infantulos custodiendos relinquere nequirent. 2° *Assistentes infirmis*, neque exigeretur ut eorum assistentia personalis vere necessaria esset, sed sufficeret si infirmus ex ipsorum discessu nimis et periculose perturbaretur.

620. *Quid de necessitate proveniente **a bono spirituali proximi**?* Propter illud excusarentur 1° Puellae quae ex fornicatione uterum gestarent; tunc enim, praeter infamiam nimiumque ruborem, *scandalum* quoque interveniret. 2° Matres quae necessitatem haberent remanendi *ad custodiendas filias* degentes in periculo. 3° Uxores, quae, propter auditionem Missae, marito occasionem praebiturae essent zelotypiae, magnae et ineluctabilis discordiae, aut blasphemiarum. Propter solas blasphemias tamen omittere quidem possent Missam pro aliqua vice, sed non perpetuo; et idem fere dic de timore discordiae; si enim marito impio mulier in hoc cedat, forsan cedere etiam debebit quoad confessionem, orationes, religiosam filiorum educationem etc.; unde difficile discordia talis ac tanta atque adeo ineluctabilis esse poterit ut vere excuset. 4° Foeminae, quae advertissent se in Ecclesia ab aliquo turpiter concupisci nec aliam Ecclesiam adire possent (hoc tamen intellige si ad malum istud impediendum sufficeret una vel altera vice ab audienda Missa abstinere, vel si ipsae gravibus molestiis et tentationibus subiicerentur). 5° Si hora Missae occasio opportunissima se offerret aliquod magnum malum (v. g. rixam) impediendi, vel bonum (v. g. pacem inter inimicos) procurandi etc.

Hucusque dicta sunt fere totaliter iuxta doctrinam S. Lig. (*III 324-332*).

Sectio IV.

DE QUARTO DECALOGI PRAECEPTO.

« *Honora patrem tuum et matrem tuam* ». Agendum est itaque de obligationibus filiorum erga parentes.

621. *Ad quid tenentur filii erga parentes?* Debent illis 1° **obedientiam**; 2° **reverentiam**; 3° **amorem.**

CAPUT I.

DE OBEDIENTIA PARENTIBUS DEBITA.

622. *Quid de obedientia filiorum erga parentes quoad* ***obligationem et gradum culpae?***

I. Filii obedire debent parentibus quia loco Dei sunt familiae rectores.

Excipiendi sunt duo casus, nempe 1° si illicita peterent; 2° si, excedendo limites propriae potestatis, irrationabiliter aliquid exigerent.

II. Inobedientiae filiorum *ordinarie sunt veniales,* ut plurimum enim vel agitur de rebus exigui momenti, vel parentes leviter iubent, vel filii non satis rei aut mandati gravitatem considerant.

III. Attamen *interdum sunt mortales,* quod contingit 1° si ex una parte agatur de re momentosa simulque de mandato gravibus verbis expresso, et ex alia filius advertenter et obstinate obedire reluctet. Ageretur autem de re momentosa, si filius, v. g. nocturno tempore a domo abesset, iniquos socios vel cauponas frequentaret, aleis aliisve vitiis ruinosis indulgeret, officia religiosa omnino aut fere omnino negligeret, labori aut studio minime attenderet, sicque tempus absumeret et expensas pro ipso factas inutiles redderet. Ageretur etiam de re momentosa, si filia v. g. cum procis conversaretur, aut sola amasios alloqueretur etc. Peccatum mortale adesse posset 2° si res praeceptae essent quidem leves, sed inobedien-

tia filii adeo continua foret, ut parentes iam nihil ab ipso obtinere possent; multo magis si ipse apertis verbis ab eorum mandatis se subtraheret, dicendo v. g. *nolo ut mihi aliquid praecipiatur*.

CAPUT II.

DE REVERENTIA PARENTIBUS DEBITA.

623. *Quid de reverentia filiorum erga parentes quoad* ***obligationem;*** *quoad* ***gradum culpae;*** *quoad* ***diversos modos;*** *et quoad* ***reparationem?***

I. Filii parentibus, ratione eorum *praeeminentiae*, et *gratitudinis* eis debitae, specialem praestare debent reverentiam, quamvis v. g. prae senio stupidi essent aut dementes evasissent, aut errores etiam magnos commisissent etc.

II. Defectus reverentiae est *saepe venialis*, ut puta, quando filii cum aliqua arrogantia respondent, vel actus faciunt qui aliquem levem contemptum significant. E contra irreverentiae interdum *sunt graves*; et notandum quod illae irreverentiae, quae si contra alios committerentur veniales essent, graves esse possunt si contra patrem vel matrem committantur.

III. Irreverentiae aliquando in verbis et aliquando in factis consistunt.

Irreverentiae *in verbis* de facili graves sunt in sequentibus casibus, nempe si filii parentibus gravia exprobrent; si in ipsorum praesentia gravia mala (quamvis non ex corde) ipsis imprecentur; si contra ipsos graves contumelias proferant, prout contingere posset si filia matrem appellaret (it.) *bestia, strega, ladra, schifosa* etc. Forte non gravis esset contumelia si illam appellaret *vecchia stordita, ignorante* etc. Sed, ad decidendum in praxi an aliqua contumelia sit mortalis vel venialis, familiae conditio et educatio considerari debet; quaedam enim verba quae enormem irreverentiam praeseferrent, si de personis nobilibus et bene educatis ageretur, levem irreverentiam important si de rusticis et plebeiis agatur.

Irreverentiae *in factis* essent graves, v. g. si filius parentes percuteret, aut tantummodo contra ipsos brachium elevaret, nisi forte haec elevatio ad declinandas verberationes fieret. Nihil dico de filio qui ad patris sui uxorem (novercam) carnaliter accedere auderet.

IV. Irreverentiae commissae (si fuerint graves) *sunt reparandae.* Si fuissent enormes, v. g. si filius parentes percussisset, tunc (intellige si ageretur de re recenti et non adhuc condonata) filius deberet procul dubio se humiliare et veniam petere. Si autem irreverentiae non fuissent enormes, tunc parentes non solent exigere aut expectare a filio huiusmodi humiliationem; unde ille in hoc casu malum commissum satis reparabit si se emendatum ostendat. S. Lig. (*Prax. 34*).

CAPUT III.

DE AMORE QUO FILII PARENTES PROSEQUI DEBENT.

624. *Quid de amore filiorum erga parentes quoad* ***obligationem*** *et* ***casus culpae gravis?***

I. Filii speciali amore prosequi debent parentes propriae existentiae auctores, quamvis multos defectus haberent, et quamvis ab iisdem valde male habiti fuissent.

II. Culpa **mortalis** contingere potest in sequentibus casibus. 1° Si filius parentibus mortem reflexe et ex corde exoptaret, v. g. ut molestiae ab eorum infirmitatibus vel correctionibus vel mussitationibus provenientes tandem finem habeant. 2° Si eorum defectus cum gravi infamia propalaret. 3° Si usque ad graves excandescentias, vel usque ad lacrymas (ad quas non sint faciles), vel quovis alio modo graviter eos conturbaret et affligeret: prout contingere posset, v. g. si filia (speciatim nobilis conditionis) ex turpi commercio in paterna domo gravida efficeretur; aut si filius paternum patrimonium profunderet et in vitiis dissiparet; vel absque causa rationabili invitis parentibus paternam domum desereret; vel diu torvis oculis parentes aspiceret, verbum non proferret et ad instar inimici cum illis se gereret; vel demum si omnino impedire vellet ne pater

testamentum conderet, aut (si forte viduus remansisset) novum matrimonium contraheret, aut (sine iusta causa) rei familiaris administrationem ei subtraheret. 4° Si filius parentibus pauperibus vel infirmis opem (dum posset) non ferret. Porro amor factis quoque in necessitatibus ostendi debet. Si filii essent plures et facultatibus non aequaliter pollerent, tunc pro rata facultatum concurrere deberent. Cf. D'Annibale (*II 629*). 5° Denique filius contra parentum amorem graviter peccaret si eis morti proximis religionis subsidia non procuraret, et multo magis si quominus sacerdos accederet omnino impediret. Idem dic si postquam ex hac vita migraverint, suffragia statui convenientia in funere eis non procuraret.

625. *Filius potestne invitis parentibus* ***religionem*** *ingredi?* Si parentes in gravi necessitate versarentur, neminemque haberent, praeter filium, a quo opem expectare possent; tunc filius religionem ingredi nequiret. Praecepta siquidem praevalent consiliis, et filius, qui remanens in saeculo ut parentum necessitatibus opem ferat, dum ex una parte officium pietatis erga parentes adimplet, ex alia officio religionis erga Deum aequaliter, imo cum maiori merito, satisfacit. Excipe casum vix practicum, in quo filius in saeculo remanens magnum damnationis periculum evitare nequiret; tunc enim dicendum esset: *Charitas incipit a semetipso.*

Si vero parentes vel in magna necessitate minime versarentur vel aliis mediis sibi providere possent; tunc filius propter irrationabilem parentum reluctantiam se tanto bono privare minime teneretur; et hoc sensu scripsit S. Hieronymus: « Per calcatum perge patrem; per calcatam perge matrem; ad vexillum crucis advola; summum genus pietatis est in hac re esse crudelem ». Vide alia apud Scavini (*I 544*).

626. *An filii possint invitis aut insciis parentibus* ***matrimonium*** *inire?* Resp. Si parentum reluctantia respiciat non personam, quam filius ducere vult, sed ipsum matrimonium; quatenus nempe exigant ut filius nullam ducat et in coelibatu semper remaneat; tunc filius, saltem ordinarie, obedire non tenetur. Dico *saltem ordinarie*, si enim ex una parte aeternae suae saluti aliter satis facile consulere posset; et ex alia matrimonium in gravissimam ruinam coniecturum esset familiam, contingere posset quod filius ex charitate harum circumstantiarum rationem habere debeat.

Si autem parentum reluctantia solam personam respiciat; tunc plures theologi dicunt observari debere an haec sit digna vel indigna, et subdunt quod persona potest esse indigna ex duplici capite, nempe 1° si sit malis moribus

imbuta; 2° si sit conditionis valde inferioris. Sanchez (*De matr. IV.* xxxi *23*). Quatenus autem sit indigna, tunc isti theologi concludunt quod filius graviter peccaret si, invitis parentibus, eam in matrimonium ducere vellet. Sed regula ista in praxi exceptionibus non caret. Iuvenis nobilis v. g. puellam ignobilem et pauperem ardentissimo amore prosequitur. Iam a multis annis eius domum frequentat. Infinitis vicibus ei promisit se nunquam esse eam derelicturum, et de matrimonio tandem contrahendo mille ei fecit iuramenta. Misera puella annos suae iuventutis sic deperdidit, nullamque alium maritum inveniendi spem habet. Finge insuper quod iam sit gravida, et quod eius pater et fratres apud iuvenem instent ut sine mora illam ducat, imo et quod mortem ei minitentur etc. Nunquid (peto) in his circumstantiis iuvenis, si eïus parentes huic matrimonio essent contrarii, eis obedire deberet? Minime; essent enim irrationabiliter inviti; et res eo usque processissent ut in comparatione malorum spiritualium atque temporalium, quae ex hoc matrimonio non celebrato provenirent, differentia conditionis iam non amplius esset attendenda. Vera itaque regula est ut circumstantiae omnes considerentur; et si, omnibus perpensis, parentes *videantur rationabiliter inviti*, filii eorum voluntati stare debeant; secus vero si eorum dissensus sit aut evaserit irrationabilis; tunc enim filii, saltem si matrimonium quoque civile simul contrahi posset, non obstante parentum dissensu, matrimonium contrahere nedum possent, sed facile deberent. Vide Tamburini (*Dec. V.* ii *§ 3*), qui insuper notat quod, quamvis filii ordinarie de matrimonio, quod contrahere volunt, proprios parentes certiores reddere debeant, imo et eorum consilium in re tanti momenti postulare: nihilominus aliquando melius est ut rem totam illis occultam servent. Cur autem supra dixerim *si matrimonium quoque civile simul contrahi posset,* vide dicta in Tract. *De Occasionariis* (*n. 118*).

627. Alii theologi hoc loco loquuntur etiam de officiis tum parentum erga filios, tum famulorum erga dominos, tum subditorum erga superiores etc.; sed ego de his in tractatu *De statibus particularibus* verba faciam.

Sectio V.

DE QUINTO DECALOGI PRAECEPTO

Non occides. (Exod. *XX 13*).

Agendum est 1° De occisione sui ipsius aliisque peccatis contra vitam propriam. 2° De occisione proximi. 3° De duello. 4° De bello.

CAPUT I.

DE OCCISIONE SUI IPSIUS ALIISQUE PECCATIS CONTRA VITAM PROPRIAM

Heic verba faciam 1° De suicidio. 2° De vita conservanda, periculis non exponenda et non abbrevianda. 3° De mutilationibus aliisque laesionibus proprii corporis.

ARTICULUS I.

De suicidio.

In hoc articulo agam 1° De suicidio directo. 2° De suicidio indirecto.

PUNCTUM I.

De suicidio directo.

628. *In quo consistit suicidium* **directum?** Consistit in inferenda morte sibi ipsi ex intentione directa; sive id fiat ponendo actionem occisivam (se ipsum scilicet interimendo, v. g. cultro, veneno, capistro, asfisione, submersione, praecipitatione etc.); sive id fiat omittendo ea quae ad vitam conservandam necessaria sunt (v. g. non sumendo cibum).

629. *Cur suicidium directum est peccatum? Et potestne in aliquo casu esse licitum?*

I. Quod sit **peccatum** patet 1° iure naturali; homo enim non est dominus vitae suae, sed solum administrator

et custos, Deoque debet in hoc mundo servire donec ille voluerit; unde, se occidendo, disponit de re non sua sine consensu domini, et Deo servum adimit. Sic graviter delinquit, ut infertur etiam ex communi omnium sensu, quo suicidae infames reputantur. Delictum autem est gravissimum, et forte maius homicidio, etiam quia per poenitentiam (morte subsecuta) reparari non potest. Patet 2° iure divino positivo: *Non occides* (Exod. *XX*) — *Ego occidam et ego vivere faciam* (Deut. *LII 39*) — *Tu enim es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem* (Sap. *XVI 13*). Patet 3° iure canonico, quod vetat ne suicidae ecclesiastica sepultura donentur.

II. Theologi communiter dicunt, suicidii illiceitatem (seclusa positiva Dei permissione) statuendam esse absolute. Attamen quamvis suicidium sit semper illicitum si ex taedio vitae, vel ad evitanda mala ingruentia, vel etiam ad finiendas spirituales dimicationes, perpetraretur; tamen non plene constat quod sit illicitum *in duobus casibus:* nempe 1° si aliquis a legitimo iudice damnaretur ad mortem, eique daretur facultas sententiam per se ipsum exequendi, v. g. sumendo venenum, quod nisi faceret modo atrociori interimendus foret (Cf. Ball.-Palm. *n. 28, 29*). 2° Si persona, sive ad fidem catholicam audacter coram tyranno martyrium minitanti protestandam (prout fecit S. Apollonia quae in rogum se coniecit), sive ad castitatis violationem in casu flagranti evitandam, se occideret. Cf. Lessium (*II.* IX *d. VI 23*).

PUNCTUM II.

De suicidio indirecto, et de permissione mortis certae et imminentis.

630. *Quandonam accidit suicidium* ***indirectum?*** Quando quis ponit actionem, quae habet quidem pro effectu mortem, sed simul aeque immediate habet alium effectum; dum autem actionem istam ponit, hunc effectum, non vero mortem, intendit.

Exemplum. Titius fugiens ab incendio (quod totam domum pervasit) se praecipitat e fenestra, ex tali praecipitatione certe moriturus. Ille non iam mortem (quam vellet evitare), sed fugam, intendit; et haec fuga habet duos effectus aeque immediatos, scilicet evitationem incendii (quam intendit) et mortem (quam praevidet quidem sed non intendit).

631. *Quandonam accidit* ***permissio mortis*** *certae et imminentis?* Quando quis, mortem huiusmodi non intendendo, ex aliquo motivo illam non impedit, aut ponit se ipsum in occasionem qua mors ab aliis sibi inferatur.

Exemplum dari potest in eo, qui ad ostensionem audaciae non fugiat sed firmus persistat in loco, ubi ab inimicis suis certo certius occidetur.

632. *Quid de suicidio indirecto et de permissione mortis certae et imminentis,* ***quoad licitum?*** Per se loquendo, haec certe non licent (nostram enim vitam conservare debemus). Attamen interdum possunt evadere licita, sed solum ex causis gravissimis. Huiusmodi causae essent sequentes.

I. *Necessitas fugiendi a morte atrociori in casu flagranti:* prout contingeret in fugiente ab incendio et se praecipitante a fenestra (ut supra).

Sedulo notandum, aliud esse se praecipitare *ad fugiendum* in casu flagranti, et aliud se praecipitare *ad mortem sibi inferendam,* ut mors magis atrox, quae in futurum impenderet, evitetur. Hoc secundum foret suicidium directum et non liceret. *Exempla.* Damnatus ad mortem a fenestra (ut supra) vel in puteum se coniicit, cum intentione sibi inferendi mortem minus atrocem ad evitandam atrociorem. Tyrannus minitatur Titio mortem atrocissimam nisi praecipitatione se interimat. Titius licite id exequi non posset; et posset solum se praecipitare, si, in casu flagranti, et tyranno ad illam mortem atrociorem inferendam adveniente, talis praecipitatio esset unicus modus fugiendi. Ballerini (*l. c. n. 26*).

II. *Obligatio specialis*, qua quis ex officio suo certissimum imminentis mortis periculum adire, vel ab eo non fugere teneatur, prout contingere potest in milite.

III. *Iustitia.* Casum habes in reo, qui (etsi de poena capitali ageretur) iudici se sistit, delictum confitetur, a carcere aperto non fugit etc. Imo poterit etiam petere a iudice ut se digna mortis poena puniat. A fortiori posset sponte se iudici sistere et se reum declarare, si hoc exigeretur ad liberandos innocentes, quibus delictum imputatum fuisset. Ballerini (*l. c. 30*).

IV. *Bonum publicum* (etsi solum temporale). Celebre est exemplum Sampsonis, qui « apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus...., ait: Moriatur anima

mea cum Philistiis etc. » (*Iudic XVI*). Unde patet quod quis potest etiam, propter maioris boni assecutionem, de morte sua gaudere. Exemplum simile habes in eo qui evidenti morti se exponendo, pro salute patriae arcem hostilem incenderet, vel navim (in qua ipse degit) submergeret ne hostes ea potirentur etc.

A fortiori id liceret si ageretur de bono publico *spirituali*, ut puta, si quis se praesentaret tyranno ut animus adderetur aliis ad fidem audacter profitendam etc.

V. *Charitas heroica et bene ordinata* (etsi ageretur de bono non publico sed solum particulari). Exemplum habes in exponente seipsum telis, ne haec feriant patrem, vel amicum, vel principem; aut si quis in naufragio cederet tabulam amico vel patrifamilias; aut si quis fame moriturus unicum panem haberet, illumque alteri pariter fame morituro daret; aut si quis pro alio ad mortem damnato morti se offerret etc. (Baller. *l. c. 25*). Dixi hos heroicae charitatis actus debere esse *bene ordinatos;* non enim morti posses sic te exponere, si vitae tuae conservatio esset valde necessaria reipublicae vel familiae; aut si in statu peccati mortalis versareris (Ballerini *l. c.*).

VI. *Ad salvandam castitatem.* Exemplum esset in muliere, quae ad sui violationem evitandam permitteret potius occidi, vel fugiendo se praecipitaret etc.

ARTICULUS II.

De vita conservanda, periculis non exponenda et non abbrevianda.

633. *Quid de vita* ***conservanda?***

I. Datur obligatio nedum alimenta sumendi, sed etiam medicamina adhibendi, ut vita conservetur; quid enim si quis arteria casu forata, nollet ut alligaretur?

II. Hoc verum est, quamvis vita aerumnosa valde, vel etiam doloribus atrocibus in mortis propinquitate obnoxia esset; et qui tunc alimenta respueret, ut citius moreretur, de suicidio directo reus foret. Minor tamen videtur esse malitia si de sola medicinarum recusatione res esset.

III. Haec obligatio communiter (scilicet praescindendo a circumstantiis specialibus) respicit sola media ordinaria, et utilia; non vero extenditur ad res extraordinarias, vel ad remedia sive valde dolorosa, sive nimis dispendiosa, sive parum vel nihil spei afferentia, sive talia quae horrorem incutiant, vel motivo virtutis laudabiliter respuantur. In his autem sensus communis semper regula tutissima erit.

Hinc ad vitam conservandam vel longiorem reddendam, ut plurimum, non aderit obligatio, sive se conferendi ad regiones aeris vel climatis melioris, vel ad loca dissita pro balneis, aquis mineralibus etc.; sive accersendi medicos peritissimos pro consultationibus (loquendo saltem de personis non divitibus); sive se subiiciendi amputationibus, ventris sectionibus, maxime vero operationibus capitalibus (sc. mortis periculosis). Pariter mulier (et maxime pudica virgo) facile quidem tenebitur acceptare medicamina in partibus secretioribus manu mulieris; sed motivo virtutis poterit recusare medicum, maxime si (prout nimis frequenter contingit) honestus non esset, et tentationibus illam subiecturus foret. Motivo virtutis poterit etiam Carthusianus infirmus recusare cibos ex carne etc.

Dixi *communiter et praescindendo a circumstantiis specialibus;* interdum enim, propter bona valde praevalentia et necessitatem familiae, societatis etc. (et maxime ex obedientia et iussu Superioris), media quoque extraordinaria sub obligatione cadere possunt.

634. *Quid de vita* ***periculis non exponenda*** *et* ***non abbrevianda?***

I. Exponere se periculo gravi mortis absque iusta causa certe non licet. Exemplum habes in iis qui cum magna febri iter agunt, laborant etc., vel ex iactantia stultisve sponsionibus (it. *scommesse*) gravibus periculis se exponunt. Idem dic de abbreviatione vitae, prout contingit in illis qui potionibus alcoolicis aut aliis vitiis ita indulgent, ut attentis circumstantiis (v. g. infirmae valetudinis), iam manifeste mortem sibi accelerant.

II. Attamen non solum causae gravissimae (ut supra *n. 632*), sed etiam causae minores et plus vel minus graves, iuxta maiorem vel minorem periculi gradum, excusare possunt; cuiusmodi sunt, v. g. propria ars, propria negotia, ratio remedii, fuga a malo vel periculo maiori, motivum virtutis etc.

Propria ars. Ex hoc capite excusari possunt, v. g. funambuli, domatores belluarum ferocium vel cum illis publica spectacula dantes, aereostatici, cuniculatorii (*minatori*), quidam machinis viae ferreae vel trituratricibus addicti (cum speciali periculo), inservientes infirmis etc.

Propria negotia. Nempe pro suis negotiis, v. g. se conferentes ad loca peste infecta, vel periculosis itineribus aut navigationibus se committentes etc.

Ratio remedii. Qui nempe chirurgicis operationibus capitalibus (sc., ut dixi, mortis periculosis) se subiiciunt; quod non solum propter maiorem spem salvandi vitam (quae secus, etsi tardius, certe aut valde probabilius amitteretur); sed etiam ad infelicitatem (v. g. propter atroces dolores, vel intolerabiles deformitates) auferendam, licitum esse potest. Attamen usus *morphii* per iniectiones subcutaneas (quod ex una parte mortem valde accelerare potest, et ex alia dolorem quem lenit postea adauget) solum cum magna discretione, in exiguissima dose (v. g. ad summum 5 vel 6 centigr. in die, si infirmus sit adultus), et (si agatur de morbo chronico) per intervalla, licitus esse potest.

Fuga a malo vel periculo maiori; ut puta, si quis damnatus ad mortem se deiiceret e fenestra cum spe sic salvandi vitam.

Motivum virtutis. Huc veniunt discretae poenitentiae carnisque macerationes, assistentia peste infectis, professio religionis valde austerae etc., quae utique, non obstante periculo vitam abbreviandi (etiam in persona debili), licita esse possunt. Cavendum tamen ne ex alio capite illicita evadant, ut puta si uxor, vel pater familias, vel parochus etc. (propter huiusmodi macerationes) propriis officiis satisfacere nequirent.

III. Pericula autem levia et remota (v. g. defatigationes, vigiliae, animi turbationes etc.) non considerantur. Reapse sunt nimis frequentia, atque insuper ut plurimum causis passim occurrentibus excusantnr. Imo, quamvis de vitiis (non graviter et manifeste corporali saluti noxiis) ageretur, sensus communis contra quintum praeceptum non videtur recognoscere reatum. Ballerini (*l. c. 36*).

ARTICULUS III.

De mutilatione aliisque proprii corporis laesionibus.

635. *Quaenam sunt hoc in puncto* ***principia generalia?***

I. Mutilatio aut laesio proprii corporis, sive directa sive (v. g. exponendo se periculo) indirecta, *absque iusta causa non licet.*

Attamen, etiam in mutilatione directa, potest dari *parvitas materiae*, ut puta, si quis absque necessitate sibi dentem extraheret, aut digiti minimi vel auris particulam recideret, aut levissimo vulnere (v. g. acu) se feriret.

II. Mutilationem aut laesionem (etiam directam) *causae iustae licitam reddere possunt.* Huiusmodi sunt sequentes.

Mutilationes, quae sint necessariae *ad salvandam vi-*

tam, v. g. secando pedem, brachium etc., quia secus, propter morbum aut aliam causam (Cf. Ballerini *l. c. 44*), moriendum esset, certe licent.

Idem dic de aliis operationibus chirurgicis, quae *ad citius convalescendum*, vel utcumque *ad maius molum avertendum* peragi solent.

Licent quoque flagellationes (etiam cruentae) et aliqua levia vulnera, vel leves adustiones, quae *motivo virtutis*, ad carnem macerandam vel devotionem ostendendam, fiant.

636. Quaer. I. *Potestne quis motivo virtutis se* ***mutilare*** *aut* ***castrare?*** Exempla habemus quarundam sanctimonialium quae nasum et labrum superius sibi amputarunt ut horrorem incuterent barbaris eas secus violaturis; item cuiusdam sanctae virginis quae perdite dilecta a Rege Hispaniarum propter oculos pulcherrimos, illos sibi eruit atque ad Regem ipsum misit; item cuiusdam Marci anachoretae qui pollicem sibi abscissit ne in Episcopum eligeretur (Cf. Ballerini *l. c. 42* et S. Leonardum, Pred. *Fuga delle occasioni*). At vero communiter dicunt, facta huiusmodi speciali Dei inspirationi vel ignorantiae et bonae fidei esse attribuenda; quod dicunt etiam a fortiori de illis sanctis virginibus quae motivo virtutis se nedum mutilaverunt sed interfecerunt (Cf. *n. 737 II*). Attamen Lehmkuhl (*I 578*) dicit: « Quis accusare audet heroicum illud exemplum « virtutis, quo Sanctus quidam in scorti sibi insidias parantis faciem prae- « cisam morsu linguam expuit? ». Certe omnes conveniunt non licere *se castrare* motivo servandae castitatis, idque ab Ecclesia quoque prohiberi atque irregularitate plecti; sed notat Ballerini (*l. c. 43*) pro casu isto specialem intervenire rationem, quia scilicet huiusmodi mutilatio reipsa a tentationibus carnalibus non liberat.

637. Quaer. II. *An liceat pueros, cum eorum consensu castrare sine periculo vitae,* ***ut vocem suaviorem*** *habere et sic per totum vitam magnum lucrum sibi comparare possint?* Negant communius (Cf. Bened. XIV *De Syn. X.* VII); sed plures affirmant, quia (attenta etiam utilitate propter huiusmodi cantum Ecclesiae proveniente) sufficiens videtur adesse ratio quae hanc mutilationem cohonestet. S. Lig. (*III 374*) dicit, sententiam negantem esse probabiliorem, sed affirmantem absque ulla reprobatione refert, eiusque auctoritatis et rationis fundamenta adducit. Ballerini autem (*l. c. 47*) hanc sententiam sua probabilitate destitui non videri, censet.

638. *Quid de operatione vulgo dicta* **Porro**, *quae est vera castratio, qua scilicet uterus cum ovariis mulieri adimitur? Potestne mulier illam permittere?* Affirmative certe, si fiat ad evitandam mortem quae ex uteri morbo esset secutura; et idem dic si utcumque iuxta bonas therapeuticae regulas eadem amputatio (non secus ac de brachio vel pede infirmo ageretur) peragi deberet. Negat autem Villada (*Cas. cons. III pag. 267 et seqq.*) si fieret in foemina sana ad reddendam illam sterilem, quamvis casus esset huiusmodi ut in sequenti partu mortem esset subitura; ab usu enim matrimonii (ait) abstinere posset. (Sed quid si attentis circumstantiis a tali usu abstinere nequiret?) Iudicent sapientiores. Palmieri (apud Ballerini *l. c. n. 102*) scribit: « Qui vero putent castrationem identidem « licere ob alios fines, puta ad suavitatem vocis obtinendam, ii conse- « quenter permittent et ob alias proportionate graves causas, praeter con- « servationem vitae, usum huius operationis ».

CAPUT II.

DE OCCISIONE PROXIMI.

Agendum est 1° de occisione iniusti aggressoris; 2° de occisione malefactoris; 3° de occisione innocentis; 4° de abortu.

ARTICULUS I.

De occisione iniusti aggressoris.

639. *Quaenam est summatim doctrina quoad occisionem iniusti aggressoris?* Si aggressor sit vere iniustus sive formaliter sive materialiter, licet illum occidere (attamen servato moderamine inculpatae tutelae) ad defensionem vitae, vel integritatis membrorum, vel bonorum fortunae (ad quae habeatur *ius in re*), vel pudicitiae, vel iuris coniugalis, vel libertatis, in casu flagranti. Hoc autem cuilibet et contra quemlibet aggressorem sic iniustum licet, saltem ordinarie. Licet non solum per se sed etiam per alios, et nedum ad defensionem sui sed etiam ad defensionem aliorum. Aliquando denique non solum licet, sed etiam oportet. In aliis autem casibus offensorem occidere non licet.

640. *Cur dixisti: **si aggressor sit vere iniustus**?* Quia certe non licet occidere eos qui manus in te iniicere iure possint (contra illos enim ius defensionis non datur): cuiusmodi essent 1° satellites aliive qui publica et legitima auctoritate te capere aut etiam morte afficere possint vel debeant. 2° Quisque iure defensionis te apprehendere velit, ut arma contra illum sumpta deponas, aut res ei ablatas restituas etc.

641. *Cur dixisti: **sive formaliter sive materialiter**?* Quia, si necessarium sit, liceret occidere aggressorem quamvis ex ebrietate vel amentia etc. sui compos non esset, vel, ex ignorantia, bona fide procederet, et sic non formaliter sed solum materialiter iniustus foret.

642. *Quid de clausula:* ***servato moderamine inculpatae tutelae?***

I. Ad occisionem deveniri non potest, quando quis aliis modis moraliter possibilibus se tueri valet.

II. Primus modus potest esse fuga: ad quam tamen invasus tenetur solum si nedum sit physice possibilis, sed etiam duo concurrant; nempe 1° fuga ad salvandam vitam vel bona fortunae etc. sit utilis, neque adsit periculum ne fugiens in fuga ipsa occidatur; 2° fuga sit satis decens (v. g. si persona invasa esset plebeia aut ordinariae conditionis, vel ecclesiastica, vel senilis aut puerilis aetatis, vel foemina, vel paterfamilias cui non expediat, resistendo, se periculo exponere; aut si aggressor ebrius vel demens foret; aut si manifesta subsisteret virium incompetentia); non vero si fuga esset nimis indecora et ignominiosa, v. g. si invasus officialis exercitus foret. Cf. Baller. (*l. c. 60*).

III. Alii modi consistere possunt in mediis defensivis quidem sed mortem minime afferentibus, v. g. aggressorem minitando et terrefaciendo, clamoribus auxilium petendo, sclopum in aerem explodendo, arma aggressori auferendo, illum pugnis vel calcibus afficiendo, fuste illum verberando, et denique pugione vel sclopo illum quidem vulnerando sed non occidendo.

Si autem certe sufficiant media minus laesiva, media magis laesiva adhiberi nequeunt; unde, v. g. aggressorem inermem tu valde magis robustus armis (et maxime pugio vel sclopo) offendere nequires: neque adhibere posses pugionem vel sclopum si fustis certe sufficeret et in promptu esset. Haec tamen arma adhibere posses si fustem necessarium non haberes, vel nescires an sufficiens foret (agitur, v. g. de aggressore nocturno, vel utcumque nescis an inermis an vero et quomodo armatus sit). Ballerini (*l. c. n. 71*). Advertendum quod saepe in his circumstantiis non omnia considerari possunt, neque semper satis discerni valet utrum sola percussio sufficiat, an vero vulneratio exigatur, neque ictus lethalis a non lethali facile distinguitur. Reatus itaque in defectu moderaminis in casibus claris et facilibus, non vero in confusis et difficilibus practice reponi debebit.

643. *Cur dixisti: **licet occidere ad defensionem**?* Quia non liceret occidere si aggressor desisteret, vel factum iam fuisset plene consummatum (tunc enim non de defensione sed de vindicta seu punitione privata ageretur), maxime vero si aggressor, post factum sive attentatum sive plene consummatum, fugeret; qua de re habemus prop. ab Inn. XI damnatam, quae dicebat: « Fas « est viro honorato occidere... si quis impingat alapam vel « fuste percutiat, et post impactam alapam vel fustis ictum « fugiat ». Quod autem defensio etiam cum laesione vel (si necessarium esset) cum morte aggressoris iniqui vere liceat, patet tum iure naturali (unde semper dictum fuit licere vim vi repellere), tum iure canonico, dicente Alex. III: « Vim vi repellere omnes leges omniaque iura per- « mittunt », et Catechismo Rom.: « Licet etiam salutis « suae tuendae causa alterum occidere ».

644. Obiiciunt Iansenistae, hanc occisionem esse contra ordinem charitatis, quia ad defendendam vitam temporalem, aeternae damnationi proximum exponis. Sed respondendum quod charitas incipit a semetipso, et improbi homines longe audaciores evasuri atque delicta multiplicaturi essent si scirent defensionem huiusmodi non esse licitam: aliunde iniquus aggressor sibi imputet si tali periculo se exposuit. Aliqui dicunt licere quidem vulnus vel mortem inferre, sed non licere vulnus ipsum et mortem intendere. At vero hoc est solum confusionem et scrupulos inducere. Dicendum est quod invasus potest intendere laesionem vel etiam (si oporteat) mortem aggressoris non tamquam malum illius, sed tamquam medium suae defensionis; sicut milites in bello intendunt mortem inimicorum ad bonum patriae, et carnifex mortem rei pro bono societatis. Cf. Ballerini (*l. c. 59*).

645. Dixi non licere laedere aggessorem *ad vindictam*; sed hoc exceptio nem habet quoad aliquas leves vindictas, quae ad salutarem correctionem fiant nec malas consequentias habere soleant. Exemplum hab[illegible] vero latrunculo qui, postquam res ablatas reddere coactus fuerit, moderate verberaretur. Idem dic de foemina honesta, quae, post tactum vel osculum ab aliquo lascivo (ea non consentiente) receptum, alapis vel fuste vel aliis ictibus non graviter laesivis illum percutere potest, dummodo immediate.

646. *Possetne quis se defendere cum laesione etiam cruenta, si virium competentia non adesset, et v. g. de uno contra decem ageretur?* Affirmative, ob sequentes rationes. 1° Instinctus naturalis defensionem hoc etiam in casu dictat. 2° Aliqua spes vix unquam aberit, contingere enim potest quod uno ex aggressoribus vulnerato et in terram deiecto, alii in fugam se convertant. 3° Bonum commune non sinit ut iniqui aggressores sint intangibiles et ius habeant impunitatis eo quod viribus praevaleant; hoc

enim innumeris et maximis praepotentiis ansam daret. 4° Bellum defensivum a parte nationis innocentis, non obstante virium incompetentia semper ut iustum habitum fuit.

647. *An possit quis occidere aggressorem non solum ad defensionem vitae et membrorum, sed etiam ne aliqua levi percussione (v. g. alapâ) iniuste afficiatur?* Ut quis impediat ne alapâ sic afficiatur, certe ad occidendum aut vulnerandum statim procedere nequibit. Poterit tamen luctari manibus. Sed contingere potest quod lucta quae prius erat de alapa, postea (v. g. alio promente fustem vel gladium) convertatur in luctam de vita; et tunc occisio quoque licita evadere posset. Casus iste saltem verificabitur (iuxta plures) in viro cui alapa nimis ignominiosa esset.

Dicit Croix *(n. 803)*: « Si quis ignominiosam percussionem minite-« tur et intentet viro, qui sine gravi nota aliter declinare non potest « (v. g. militiae dux), potest hic opponere gladium, et certe alius desistet « ab incoepto: quod si et hic gladium seu arma promat, tunc ille vir, si « ob defensionem sui armis pugnare cogatur, non honorem modo sed et « vitam defendit ». Cf. Ballerini *(l. c. 59)* et Lehmkuhl *(n. 835. 4)*.

648. *Quid notandum circa defensionem **bonorum fortunae**?*

I. Possunt certe defendi propriae res temporales, et, debitis concurrentibus circumstantiis, etiam cum occisione furis. Patet non solum ex sensu communi et communissima theologorum sententia, sed etiam ex sacris litteris: « Sive « effrigens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, et « accepto vulnere mortuus fuerit; percussor non erit reus « sanguinis ». (Exod. *XXII 12*). Vide etiam Cap. *Dilecto* (*De Sent. excom. in VI*), et D. Th. (*2. 2. LXIV.* VII).

II. Dixi: *Debitis concurrentibus circumstantiis.* Nempe oportet 1° ut occisio reservetur ad casum extremum; 2° ut fur (si fieri possit) prius moneatur; 3° ut agatur de re magni valoris; vel, ad rem non magni valoris defendendam, cum fure inita fuerit lucta, qua vita in discrimen versetur, nisi fur ipse occidatur. Hinc, occidere possum furem 1° volentem actu ingredi domum meam; 2° actu furantem v. g. meos boves; 3° fugientem cum bovibus ablatis (intellige, ut infra melius declarabitur, si furtum impediendi aut ablata recuperandi alia media desint, et curando ut, v. g. clamore, fur advertat se fore occiden-

dum nisi ablata deponat). Casus autem luctae incoeptae pro re non magni momenti contingere posset v. g. si fur marsupium mihi auferre vellet; et ego (quamvis non multa pecunia in illo adsit) resistam et luctam instituam, ut supra (*n. 647*). Cf. Ballerini (*l. c. n. 75*). Considerandum tamen an, speciatim pro rebus non magni valoris, luctam sustinere et sic etiam vitam propriam in periculum coniicere expediat. C. Lehmkuhl (*n. 385*).

III. Certe, secluso saltem casu huiusmodi luctae, nequit occidi fur ad servandam vel recuperandam rem exigui valoris. Qui itaque a longe videret furem auferentem v. g. gallinam vel aliquos uvae racemos, aut ficus, aut panes, aut caseos etc., et nollet vel nequiret ad illum (v. g. armatum) accedere ut furtum impediat, licite non posset sclopum contra eumdem explodere. Idem dic si latrunculus cum huiusmodi rebus exigui momenti (etsi cum ipso lucta intercessisset) fugeret. Hoc patet ex sensu communi, et ex prop. ab Innoc. XI damn., quae dicebat: « Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei ».

Hinc facilius occidere licet furem nocturnum, et difficilius furem diurnum: unde Exodi (*l. c.*) dicitur; « Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur ». Tunc enim facilius potest 1° peti auxilium; 2° cognosci an fur mediis minus laesivis repelli valeat; 3° cognosci quanti valoris sint res quas auferre vult; 4° interdum posset etiam cognosci fur ipse, et per iudicem puniri, atque ablatum recuperari. Cf. Baller. (*l. c.*).

IV. Determinare autem quando res sit magni aut non magni valoris, unde liceat vel non liceat furem occidere, distinguere oportet inter pauperes et non pauperes. Quoad pauperes, magnus valor potest esse nedum aureus sed forte etiam aliquid minus, quo v. g. quartam vel tertiam partem locationis domus pauper solvere (quam solvendi impos secus evaderet), aut quo vestem ad arcendum frigus pro hyeme emere posset. Nec obstat dicta prop. damnata; illa enim dicebat *regulariter*. Quoad non pauperes autem, et maxime quoad absolute divites, certe (ut patet ex prop. ipsa) non sufficit valor unius aurei. Amplius itaque exigitur; sed quantum? Etsi ageretur de ditissimo, S. Lig. (*n. 383*) valorem 40 scutatorum, sufficere censuit. Caeterum rem istam magis determinare impossibile est. Cf. Ballerini (*l. c. 61-63*).

649. *Cur dixisti:* ***bonorum fortunae ad quae habeatur ius in re?*** Quia non licet occidere quemquam pro bonis, de quibus habeatur quidem ius ad rem sed non in re; secus enim homicidiis mundum repleremus. Patet ex duabus propos. ab Innoc. XI damnatis: « Non « solum licitum est defendere defensione occisiva quae « actu possidemus, sed etiam ad quae ius inchoatum ha- « bemus, et quae nos possessuros speramus » — « Licitum « est tam haeredi, quam legatario contra iniuste impe- « dientem ne vel haereditas adeatur vel legata solvantur, « se taliter defendere; sicut et ius habenti in cathedram « vel praebendam contra earum possessionem iniuste im- « pedientem ».

650. *Quid de occisione ad defensionem* ***pudicitiae?*** Difficile est quod mulier aliis mediis (v. g. utendo manibus, unguibus etc.) se defendere nequeat: et maxime si vir lascivus solos tactus vel solas blanditias quaereret. Si tamen media ista essent impossibilia vel certe aut probabiliter inefficacia, tunc mulier (speciatim si de violatione ageretur) graviter vulnerando vel etiam occidendo invasorem (tum ob iniuriam in re valde magni momenti, tum ob periculum consentiendi) se defendere posset. Cf. Ballerini (*l. c. 66*).

651. *Quid de occisione ad defensionem* ***iurium coniugalium?*** Difficillimum est quod hac de causa occisio liceat. Si maritus deprehendat adulteros post factum, tunc iniuria iam esset illata et non de defensione sed de vindicta ageretur; unde damnata fuit ab Alex VIII prop. quae dicebat: « Non peccat maritus occidens propria auctoritate « uxorem in adulterio deprehensam ». Casus autem, in quo ante factum necesse sit marito uxorem vel adulterum occidere ne adulterium consumment, nec alia media sufficiant, nunquid facile verificabitur? Quando tamen verificetur, occisionem in casu flagranti licere, innuit Ballerini (*l. c. 76*).

652. *Quid de occisione ad defensionem* ***libertatis?*** Casus esset si quis iniuste te ligare vel in carcerem coniicere aut detinere vellet. Quod autem tunc defensio (etiam

cruenta, si opus sit) liceat, certum est, ut dicunt Lugo (*X 181*), D'Annibale (*II 320*) etc.

653. *Cur dixisti, occisionem iniusti aggressoris licitam esse solum* ***in casu certo et flagranti?*** Quia secus homicidiis ianua nimis lata aperiretur. Praeterea in casibus incertis adesset periculum (propter hallucinationem) occidendi innocentes; et in casibus non flagrantibus deesse solet necessitas; forte enim quod timetur non accidet aut aliis mediis impediri poterit. Tria tamen sunt advertenda.

I. Si quis obviam veniens de prava te occidendi intentione signa seria praebeat, illum admonendi ne accedat ius habes. Quod si admonitus non desistat, potes illum, tamquam ius tuum cum tanto discrimine laedentem, interficere: ut patet etiam a militibus excubias agentibus, et contra (non obstante vetito) se appropinquantes sclopum explodentibus. Ballerini (*l. c. 71*).

II. In aliquo casu (equidem rarissimo et vix unquam contingente) licet etiam praevenire aggressionem, si nempe tria concurrrant; oportet enim 1° ut agatur de vita; 2° ut casus sit certus et proximus; 3° ut desint alia media, ita ut (si expectes) proditorie vel utcumque non valens te defendere, certe sis occidendus. Exemplum dant in uxore, quae certe sciret se noctu occidendam a marito nec posset fugere. In praxi tamen quantum cavere oporteat a periculo hallucinationis, unusquisque videt. Cf. Baller. (*l. c.*), Lugo (*X 156*), et S. Lig. (*III 387*).

III. Postquam fur rem abstulerit, cum eaque fugerit, casus flagrans perdurat donec dominus illum insequatur. Cessante autem illa prima insecutione, non amplius poterit dominus sclopum contra eundem explodere, aut (regulariter) vim adhibere. Dico *regulariter;* donec enim res ablata apud furem remaneat in specie, si dominus nequiret per iudicem illam recuperare, posset se conferre ad locum ubi adest, illamque, vim vi repellendo, sibi vindicare. S. Lig. (*382. 383*), Lugo (*l. c. 181*), Ballerini (*l. c. 69*) etc.

654. *Cur dixisti, occisionem iniusti aggressoris, ut supra, licitam esse* ***cuilibet et contra quemlibet?*** Quia ius defensionis habet etiam filius contra patrem, subditus contra principem, religiosus contra suum superiorem,

laicus contra clericum (nec evaderet irregularis). Pariter nihil referret si aggressor fuisset a te offensus et provocatus; vel si ex errore procederet, aut (ut supra dicebam) ebrius vel amens esset. Excipi tamen debet casus in quo bonum publicum defensionem cruentam vetet, ut puta, si ageretur de innocente qui vellet se defendere (et a fortiori si inutiliter) contra satellites aliosve publicos iustitiae ministros, qui, iuxta leges iustas aut de mandato iudicis (qui iuxta allegata et probata processerit), illum capere et in carcerem detrudere debeant. Theologi idem dicunt si ex occisione invasoris magna mala publica (v. g. bella) secutura essent. Ballerini (*l. c. 69. 70*).

655. *Cur dixisti, occisionem iniusti aggressoris licitam esse **etiam per alios**?* Iniuste aggressus ad sui defensionem uti potest opera famulorum aut aliorum quorumcumque (quod enim quisque licite facere potest per se, potest etiam per alios). Idque verum esset non solum quando, propter timiditatem vel imperitiam aut virium incompetentiam (v. g. si aggressores essent plures) auxilio vel opera aliorum indigeret; sed etiam quando ipse solus posset se defendere, sed nollet; imo interdum potest adesse obligatio utendi opera aliorum, ne invasus cum nimio damno familiae aut Reipublicae discrimini se exponat. Ballerini (*l. c. 74*).

656. *Cur dixisti, occisionem iniusti aggressoris licitam esse quoque **ad defensionem aliorum**?* Hoc licet in sequentibus casibus:

I. Si invasus, habens ius ad defensionem (etiam cruentam, ut supra), auxilium petat expresse.

II. Si ius habens ad dictam defensionem, illam petat interpretative. Exemplum est 1° in depositariis, in commodatariis, in custodibus, et in aliis quibuslibet, qui res aliorum magni valoris (domino absente) contra fures defendunt. Secus esset si dominus esset praesens nec resisteret, dum facile posset. 2° In defendente contra aggressorem pudicitiae foeminam, quae non resistit, quia resistere non potest. Secus esset regulariter, si consentiret; tunc enim nec vis inferretur nec iniuria subsisteret. Dixi *regulariter*; idque statim explico.

III. Si persona quidem consentiret, sed iniuria in te quoque redundaret, atque esset talis ut tu vim vi repellendi ius haberes. Agitur, v. g. de uxore vel de sorore tua, quam consentientem alter violare vellet; aut de patre tuo, cui (patienter omnia ferenti) alter lutum vel sputa in faciem esset coniecturus; tu enim (intellige semper ante factum) luctam cum illo inire, illumque *armata manu* resistentem (in casu extremo, quia scilicet iam iam te occisurus foret) occidere quoque posses.

IV. Si persona quidem consentiret (nempe suae defensioni renuntiaret), sed ageretur de vita; quum enim nemo sit dominus vitae suae, delictum (dignum ut tunc quoque sic impediatur) semper subsisteret; et proinde aggressor vitae alterius, quamvis invasus defensioni renuntiaret, occidi posset. Cf. Baller. (*l. c. 76-78*).

657. *Cur dixisti quod seipsum vel alios defendere contra iniustum aggressorem non solum licet*, ***sed aliquando oportet?***

I. Invasus nedum posset sed deberet defendere seipsum 1° si esset valde necessarius suae familiae aut Reipublicae; 2° si esset in statu peccati mortalis. Praescindendo ab his duobus casibus, mortem suam permittere posset.

II. Quomodo autem et quousque mulier vi oppressa seipsam defendere teneatur, vide dicta *De occasionariis* (*n. 247 et seqq.*).

III. Loquendo vero de defensione aliorum, difficile aderit obligatio alios defendendi *ex sola charitate;* oporteret enim ut facile (nempe sine magno incommodo et periculo) id fieri posset. Baller. (*l. c. 79*). Facilius adesse potest obligatio *ex pietate,* nempe ad salvandum patrem vel filium etc. Clara autem est obligatio *ex iustitia* (etiam cum periculo vitae) in iis omnibus qui ex officio (et sic ex pacto expresso vel tacito) ad aliorum vitae vel rerum defensionem tenentur: eiusmodi sunt, v. g. milites vectigalium, custodes vinearum aut sylvarum, famuli quibus herus sclopum (utique in signum, quod illo ad custodiam vel defensionem uti debent) tradit etc.

658. *Cur dixisti quod occisio aggressoris licet quidem ad defensionem vitae, vel integritatis membrorum, vel bonorum fortunae, vel pudicitiae, vel libertatis; sed* ***in aliis casibus non licet?*** Quia licet quidem vim vi repellere si de factis (ut supra); non autem si de sola offensione honoris vel famae, aut si utcumque de solis verbis iniuriosis, sive privatim sive publice sive etiam iudicialiter proferendis, agatur. Ratio est quia tunc homicidiis ianua nimis lata aperiretur. Et hac de re sequentes habemus propositiones damnatas.

« Est licitum Religioso et Clerico calumniatorem gravia crimina de « se vel de sua religione spargere minitantem occidere, quando alius mo« dus defendendi non suppetit: uti suppetere non videtur, si calumniator « sit paratus vel ipsi religioso vel eius religioni publice et coram gravis« simis viris praedicta impingere, nisi occidatur ». Damn. ab Alex. VII.

« Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam « inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum « si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et *post* impactam alapam « vel fustis ictum fugiat ». Damn. ab Inno. XI.

« Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudi« cem, a quo iniqua certo imminet sententia, et aliâ viâ non potest inno« cens damnum vitare » Damn. Ab Alex. VII.

ARTICULUS II.

De occisione aliisve punitionibus malefactoris.

659. *Quaenam summatim est doctrina, quae circa* ***malefactoris*** *punitionem teneri debet?*

I. Malefactor est qui delictum civilibus poenis subiectum commisit, atque adeo potest (et saepe debet) puniri, tum ut a malefaciendo cesset, tum etiam ut caeteri timorem habeant.

II. Princeps supremus, et qui ab illo auctoritatem habent, punire possunt, malefactores (etiam non subditos in territorio delinquentes); attamen non excessive et solum iuxta leges. Haec auctoritas extendi potest ad poenam nedum carceris, fustigationis, relegationis, exilii, confiscationis bonorum etc., sed etiam mortis.

Patet 1° ex sacris Litteris, v. g. (*Exod. 22*): « Homicidium perpe« travit, et ipse morietur » (Cf. Lugo *X 57*). Patet 2° ex usu omnium Nationum. Patet 3° ex merito; qui enim de magnis delictis et speciatim

de homicidio rei sunt, utique mortem merentur. Patet 4° ex necessitate; ut plurimum enim aliis poenis (etsi de carcere durissimo atque perpetuo ageretur) nec malefactores sufficienter deterrerentur (maxime si pertinerent ad societates in quibus confidere possent se liberationem a sociis esse obtenturos), nec caeteris (ne delinquere incipiant) timor (quantum satis) incuteretur.

III. Regulariter solum post criminis probationem ad formam iuris peractam, et reo audito, poenam infligere licet. Dixi *regulariter*; aliquando enim bonum commune exigit ut viis magis promptis procedatur. Attamen, si de poena mortis ageretur, semper oporteret ut saltem de crimine perpetrato certitudo plena subsisteret.

IV. Quoad poenam mortis, oportet semper ut congruum et determinatum tempus reo concedatur, quo animae suae consulere et Sacramenta recipere possit. Illo autem elapso, occidi posset, quamvis sibi non consuluisset aut aliud tempus peteret.

V. Reus non adhuc captus, si (propter circumstantias) bonum publicum sic reclamaret, posset proscribi; posset scilicet Princeps supremus edicere ut unicuique liceat illum capere vel etiam occidere. Tunc autem edictum stat pro monito ut animae suae consulat: nec ille vim vi repellere posset. S. Lig. (*III 380*).

VI. Hoc excepto casu, satellites, qui reum capere atque ad carcerem deducere debent, illum fugientem occidere nequirent.

660. *An punitiones leves vel levissimae privata auctoritate aliquando liceant?* Poenae leviusculae (prout de more) a genitoribus, magistris, heris, et maritis infligi possunt; sed, exceptis his casibus (atque excepto etiam casu supra *n. 124* IV indicato) ad punitionem procedere privata auctoritate nemini licet.

Ratio est quia (propter hallucinationes, excessus, iurgia, et speciatim propter subsequentes vindictas etc.) maxima mala provenirent; et aliunde adsunt iudices, qui, sine huiusmodi malorum provocatione, saltem magna ex parte malefactores puniunt, et sic rei huic prospiciunt. Quamvis autem apud tribunalia civilia multa impunita remaneant, non ideo bonum publicum sinit ut vindictae et punitiones privatae permittantur. Si tamen alicubi societas

non esset constituta et de barbaris sine ullo capite politico ageretur; utique tunc iudicium aliqualiter diversum dandum esset. Vide Lugo (*X 77-69*).

ARTICULUS III.

De occisione innocentis aliisque corporalibus eiusdem laesionibus.

Ago breviter 1° de principalibus distinctionibus circa occisionem innocentis; 2° de occisione directa; 3° de occisione indirecta; 4° de circumstantiis speciem mutantibus; 5° de aliis innocentis laesionibus corporalibus.

PUNCTUM I.

De principalibus distinctionibus circa occisionem innocentis.

661. *Occisio innocentis* **quotuplex** *esse potest?* Praescindendo ab occisione *mere casuali* (circa quam non refert immorari), occisio *voluntaria* 1° potest esse *directa* et *indirecta*, secundum quod mors proximi intenditur, aut non intenditur; 2° potest causari *actu positivo* (v. g. gladio, veneno etc.), aut *actu negativo* (v. g. si genitores non alerent infantem); 3° aliquando potest esse *licita* (ut statim explicabitur), sed ut plurimum est *illicita* et *iniuriosa*. Quatenus autem sit iniuriosa, *homicidium* appellatur.

Ut tamen actu negativo vera iniuria (atque adeo homicidium) constituatur, semper oportet ut quis ex iustitia vel officio opem ferre debeat; si enim quis ex sola charitate ad id teneretur, quamvis forte mortem indigentis exoptaret et directe intenderet (atque adeo ab ope ei ferenda abstineret), non ideo homicidii reus esset.

PUNCTUM II.

De innocentis occisione directa.

662. *An occisio* **directa** *innocentis unquam liceat?* Seclusa speciali et certa permissione divina, et (iuxta aliquos) secluso etiam casu in quo innocens ex allegatis et probatis reus mortis appareret atque adeo iudex (qui nullo medio

ei consulere posset) et carnifex illum morte afficerent (qua de re in tractatu *de statibus particularibus* agendum erit); certe in aliis casibus innocens directe occidi nequit. Patet 1° ex Sacris Litteris: « Insontem et iustum non « occidas » (Exod. *XXIII*). Patet 2° ex sensu communi theologorum omnium. Patet 3° quia, sicut nemo potest sibi ipsi vitam auferre, a fortiori non licebit occidere alios.

Nemo itaque occidere potest innocentem, quamvis ille consentiret; aut quamvis iam iam post brevissimum tempus moriturus esset; aut quamvis id fieret pro eius bono temporali vel spirituali (ut scilicet a magna vitae infelicitate, vel a doloribus intolerabilibus, vel a morte atrociori, vel a periculo peccati et damnationis aeternae eriperetur; aut denique quamvis bonum publicum id reclamare videretur. Hic ultimus casus contingeret si peste affecti (ne pestis diffundatur) occiderentur: vel si inciperetur occisio obsidum prorsus innocentium (ut inimicus, id resciendo, discedat, aut, videndo repressalia, ab occisione obsidum desistat, adimpleat pacta etc.); vel si tyrannus exigeret ut sibi afferretur caput alicuius innocentis, secus civitati excidium allaturus etc. Cf. Ballerini (*l. c. 84*).

Casus. *Quid de parentibus et obstetricibus neonatos* ***monstruosos*** *occidentibus?* Hoc certe non licet; si enim occisio liceret in hoc casu, a pari vel a fortiori dicenda esset licita in aliis casibus ut supra, et sic ad evitandum malum ne monstri vitam infelicem ducturi sint, mala longe maiora provocarentur. Adde practicam impossibilitatem in re huiusmodi limites statuendi; adde quod, concessa liceitate occidendi filios propter monstruositatem, hoc consequenter extenderetur ad alios defectus, ut puta si essent caeci, vel claudi, vel debiles, vel infirmi; imo extenderetur etiam ad casum miseriae, et prolis numerosissimae; atque ita res eo desinerent ut filii procrearentur et passim occiderentur.

PUNCTUM III.

De innocentis occisione indirecta.

663. *Quoad occisionem* ***indirectam*** *innocentis, quaenam doctrina summatim teneri debet?* Per se occisio innocentis, quamvis indirecta, delictuosa est. Licita tamen esset, dummodo 1° causa proportionata interveniret; 2° cautelae non sufficerent.

664. *Explica quomodo* ***per se est delictuosa.*** Exempla. Gubernator navis ex negligentia non bene illam gubernat, et sic naufragium sequitur. Venator explodit sclopum cum periculo occidendi viatores. Coementarius deiicit tegulas in publicam viam, non appositis consuetis signis. Medici negligunt aegrotos. Mater secum retinet in

lecto infantulum sine repagulo, cum periculo illum suffocandi, etc.

665. *Explica quomodo* ***licita evadere potest ex causa proportionata.*** Exempla. Medicus mulieri gravidae praebet medicinam periculosam abortus, sed ex sese necessariam ad gravem morbum curandum. Dux dirigit tormenta bellica contra civitatem, vel incendit turrim inimicorum, in qua adsunt etiam innocentes. In curru fugiens a se persequentibus in angusta via, collidit puerum in ea dormientem. Tyranno minitante excidium civitatis nisi quis (caeteroquin innocens) ab ea expellatur, cives illum (ab eodem tyranno occidendum) expellunt. Se defendens contra iniquum aggressorem cogitur contra eum explodere sclopum, quamvis ille innocentem apprehendisset atque ante se posuisset. Aliud esset si quis, ad occidendum aggressorem, occideret prius diverso ictu innocentem, quo non occiso, aggressorem ipsum bene conspicere non posset; tunc enim de occisione directa ageretur.

666. *Cur dixisti:* ***si cautelae non sufficerent?*** Quia, si, adhibendo cautelas, occisio innocentis evitari posset; tunc, illis non adhibitis et innocente occiso, reatus homicidii certe subsisteret. Exemplum habes in eo qui fugit a se persequentibus (ut supra), si puerum dormientem declinare, aut clamando excutere a somno potuisset.

PUNCTUM IV.

De abortu.

667. ***Quid est*** *abortus?* Est egressus foetus *immaturi* ab utero matris.

668. ***Quotuplex*** *est abortus?* Loquendo de abortu non mere impraeviso et casuali, dico quod sicut homicidium ita etiam abortus contingere potest 1° *directe* scilicet ex intentione; 2° *indirecte*, scilicet praeter intentionem.

§ I.

De abortu indirecto.

669. *Quoad abortum indirectum, quid de* ***obligatione matris?*** Sine dubio mater *discretam debet habere curam ne abortus sequatur;* speciatim antequam foetus sextum mensem compleverit; tunc enim in lucem quidem prodire potest vivus sed non vitalis; maxime vero ad dictam curam tenetur in primis tribus mensibus, eo quod tunc ex una parte abortus sit magis facilis, et ex alia fere impossibile sit quod foetus possit vivus exire et baptizari.

670. Abortus *causae magis ordinariae* sunt sequentes. 1° Magnae pressiones (v. g. ex fascia pectorali it. *busto* nimis arcta) et percussiones in ventre. 2° Immersio pedum in aqua frigidissima, maxime si prius corpus calidum fuisset. 3° Longum et laboriosum iter. 4° Saltus, et speciatim chorea quae dicitur Waltzer *saltato.* 5° Elevatio magni ponderis, et maxime si magnus nisus fiat, ut aliquid e loco superiori trahatur. 6° Vigiliae diuturnae et repetitae. 7° Balnea generalia. 8° Magna et repentina ira, vel perterrefactio, et quaevis alia vehemens animi commotio (v. g. propter visa in theatris, vel lecta in libris romanticis etc.). 9° Denique generatim diuturni et excessivi labores propriis viribus valde improportionati; speciatim si foemina complexione valde debili praedita esset.

Matres gravidae itaque has causas (quantum moraliter possunt) evitare debent; maxime vero si experientiâ didicissent se abortiendi periculo obnoxias esse.

Aliquae matres, ne laborent in partu propter foetus pinguedinem, pluribus mensibus parcissime vescuntur. Id etiam solet esse causa ut foetus in utero moriatur, aut brevem infelicemque vitam habeat.

671. *Quid speciatim de* ***remediis et medicinis*** *abortus periculum inducentibus in casu infirmitatis?* Si mulier gravida sit infirma, plura remedia (v. g. hyrudinum applicatio in pudendis vel iniectiones in vaginam;

balnea; sanguinis emissiones, speciatim e pedibus; emetica ad vomitum provocandum, it. *tartaro stibiato,* purgantia violenta etc.) abortum facile causare possunt.

Quaeritur itaque an remedia ista periculosa, non ad abortum procurandum, sed ad sanitatem recuperandam adhibere liceat? R. Decisio pendet a necessitate illa applicandi. Si morbus etiam sine remediis istis vinci queat, tunc mater ab iisdem abstinere debebit, idque etiam cum notabili suo sacrificio, maxime si foetus, sexto mense nondum completo, vivus et vitalis prodire nequeat.

Si e contra huiusmodi remedia *ad matrem a certa morte salvandam* necessaria essent, tunc (posita omni cautela possibili) adhiberi possent; si enim non sumerentur, moreretur mater et cum ipsa etiam foetus; ipse enim in utero clausus vix unquam mortuae matri superviveret. Aliunde si remedia sumantur et abortus sequatur, id in bonum foetus ipsius tunc semper redundat; si enim a plena maturitate non distet, vivus et vitalis in lucem prodibit; si autem a maturitate distet, tunc aderit saltem spes ut vivus exeat et sic baptizari possit; quod quidem fieri nequiret si, abortu non secuto, in utero matris moreretur. S. Lig. (*III 394 q. 2*).

672. Idem dicendum videtur casu quo mater non quidem certae morti, attamen *gravi mortis periculo aut intolerabilibus doloribus* exposita esset, nisi remedium sumeret. Rationes sunt sequentes 1° Occisio innocentis, si praeter intentionem et gravi de causa eveniat, minime interdicitur; ut patet exemplo illius qui, fugiens ad evitandum periculum mortis, pueros viam impedientes equo aut curru collidat. 2° Matres videntur obligari posse dumtaxat ad habendam curam discretam, non vero ad subeunda sacrificia intolerabilia, ut abortus periculum evitent. 3° Charitas incipit a semetipso. 4° Sententia hodie magis recepta tenet quod pueri sine baptismo decedentes atrocibus poenis minime subiiciantur, imo quod felicitate non equidem supernaturali sed naturali perfruantur. 5° Contingere potest quod foetus exeat vivus et sic baptizari queat. 6° Aliunde, si remedium non sumeretur, acerrimi morbi protractio et maternae mortis periculum, iam foetum ipsum in discrimen

eodem et forsan peiori modo relinquerent. Hinc Prado (*II c. XX q. 5 n. 24*) dixit : « In curantibus praegnan-« tibus non iudico medicos nimis scrupulose se gerere « debere; imo saepe tenentur haec medicamenta adhibere; « dummodo directe medicina non tendat ad necem ». Idque dicit etiam S. Lig. (*III 394,q. 2*).

Mater tamen in hoc abortus periculo constituta sub gravi addiscere deberet formam Baptismi, aut curare ut ab aliquo foetus baptizari possit.

673. Si denique ageretur *de morbo gravi quidem sed mortis non periculoso* et satis tolerabili; tunc a remediis, quae facile abortum producere possunt, abstinendum esset.

Liceret tamen applicare remedia, in quibus remotum tantummodo abortus periculum reperiretur.

674. *Occisio foetus potestne accidere indirecte alio modo* ***scilicet in partu difficili?*** Affirmative, scilicet quando medici et obstetricos a corpore matris tali partu difficili laborantis foetum vivum et illaesum extrahere nituntur. Veruntamen, si sufficientem habeant curam et diligentiam ut foetus ipsius vitae temporali et spirituali prospiciant, quamvis nihilominus res infelicem exitum sortiatur, de peccato (ut per se patet) incusari nequeunt.

§ II.

De abortu directo et de craniotomia.

675. *Quinam sunt casus practici abortus* ***directe*** *procurati?* Sunt duo.

Primus est **ad evitandam infamiam,** quando scilicet puella, aut vidua, aut coniugata (absente marito), ex delicto gravida, ut propriam infamiam aliasque commissi criminis consequentias evitet, foetum enecare et destruere procurat. Porro id, intuitu non solum innocentis prolis occisae, sed etiam boni publici (vae enim si res huiusmodi liceret!), tamquam horribile nefas haberi debet, quidquid sit an foetus foret animatus vel non adhuc animatus (intellige tamen nisi certe constaret illum esse mortuum); unde Innoc. XI damnavit sequentem propos.: « Licet pro-

« curare abortum ante animationem foetus, ne puella « deprehensa occidatur aut infametur ».

Profecto distinctio inter foetum animatum et inanimatum fieri nequit, non solum quia valde problematicum est an casus foetus animâ humanî et rationali non praediti subsistat, in natura; sed etiam quia bonum publicum (ut modo dicebam) clamat ut abortus absolute interdicatur. Vide Capellmann (*Medicina pastoralis A. I.*).

Secundus casus est **ad evitandam mortem in partu,** quando scilicet misera mater ita partu seu alia infirmitate laboret, ut, nisi cito foetus (prouti poterit) eiiciatur, iam sit moritura. In hoc casu 1° si foetus iudicio medici mortuus sit, extrahi poterit et debebit, ut per se patet. 2° Si sit vitalis, etsi non adhuc perfecte maturus, si nempe sextum mensem compleverit; tunc membrana scindi poterit, ut, dum adhuc exiguus est, per viam forte nimis angustam exiens, propriam et maternam vitam salvet; porro id non abortus, sed partus artificialis seu *innocua partus acceleratio* dici debet; quae profecto licet. S. C. S. O. (*4 Maii 1898* apud Acta *XXX 704*) dixit: « Partus accelerationem per se illicitam non esse, dum« modo perficiatur iustis de causis et eo tempore ac modis, « quibus ex ordinariis contingentibus matris et foetus vitae « consulatur » (1). 3° Si sit maturus vel saltem vitalis (ut modo dicebam), nec medio supradicto exire possit, observandum an erui valeat ope *sinfisiotomiae,* quae operatio parum periculosa est, et proinde foetum simul et matrem salvat. Consistit autem in cutis et *cartilaginis* cuiusdam (in osse *pube* existentis) sectione, qua fit ut *bacinum* muliebre dilatetur, et sic foetus exire valeat. 4° Denique (in hypothesi semper foetus saltem vitalis), si *sinfisiotomia* locum habere nequeat, *operatio caesarea* superesse poterit. Ars chirurgica suo progressu eo devenit ut hodie casus hac in re felices quotidie multiplicentur, et (iuxta Capellmann) in centum operationibus matres circiter 54, et foetus circiter 68 (scilicet summatim 122 individui ex 200) salvantur. Si itaque haec operatio (propter particulares circum-

---

(1) Etiam in casu foetus ectopici (concepti extra uterum) exigeretur semper ut esset vitalis et saltem sextum mensem compleverit. Decr. cit. et clarius Decr. *20 Mart. 1902* (apud *Monitore V. XIV p. 249*).

stantias) certam mortem matri non sit allatura (Cf. S. Lig. *VI 106*), in tali extremitate profecto licita erit, et medicus illam consulere debebit. S. C. S. O. (*Decr. cit.*) dixit: « Nihil obstare quominus mulier caesareae operationi suo « tempore subiiciatur ». Praeter operationem caesaream autem hodie adhuc felicior esse solet alia operatio, quae *Porro* appellatur. Hac tamen mater sine utero remanet.

676. Sed medici, ad salvandam (cum suo utero) matrem, recurrere solent potius ad *craniotomiam*, quae etiam perforatio vel embryotomia, vel cephalotripsia, vel foetus imminutio, appellatur, et consistit in conscindendo foetu, ita ut membratim et in frustulis extrahatur.

677. *Quid de craniotomia quoad liceitatem?* Nunquem licet, quia 1° agitur de homicidio directo; 2° rationes ad illam defendendam non sunt validae; 3° adsunt decisiones S. Sedis. Maioris explicationis gratia sequenti modo ratiocinor.

678. Craniotomia imprimis esset manifestissime illicita si foetus aliis operationibus (caesarea, vel *Porro*) salvari posset; tunc enim craniotomia esset certe in praeiudicium generis humani; dum quippe in centum operationibus, adhibendo craniotomiam, foetus omnes pereunt et solum circa 72 matres salvantur; e contra in operatione caesarea 122 individui (ut dixi) salvarentur.

Sed, supponendo etiam casum extremum, in quo aliae operationes fieri nequirent, et, relinquendo cursum naturae, mater simul et foetus perituri essent; non liceret, ut mater salvetur, ad craniotomiam recurrere. Equidem haec quaestio diebus nostris valde agitata fuit. Pro illiceitate steterunt speciatim Pacificus Ciarmadori, Alexander Ciolli, et Alph. Eschbach. Pro liceitate vero steterunt speciatim Avanzini, Viscosi, D'Annibale et Pennacchi. Argumenta ab his adducta sunt sequentia; sed, meo sensu, solida non sunt semperque mihi falsa visa fuerunt.

Argum. I. Occisio foetus (dicunt) non est directa; medicus enim ad alium finem magis principalem (nempe ad salutem matris) occisionem dirigit neque ex odio agit. – Sed (ego dico) ad constituendam occisionem directam, neque odium neque quod non adsit finis magis principalis exigitur, sed sufficit etiam occisio perpetrata tamquam medium ad alium finem obtinendum; secus enim sicarium quoque, qui non ex odio, sed ex contractu et ex fine principali (imo unico) mercedis, hominem occidit, ab occisione directa excusare, sed solum de indirecta damnare deberemus.

Argum. II. Occisio directa interdum licet, prout in casu defensionis contra iniustum aggressorem. Foetus autem, eo quod suis evolutionibus quaerat nasci et sic matrem lethaliter torqueat, tamquam aggressor iniustus considerari et sic occidi poterit. — Sed, (ego respondeo) si haec ratio valeret, tunc etiam mater, quae illum claudit, et suo morbo vel mala constructione ei nativitatem impedit, eundem iniuste aggrederetur; et sic, stando a parte foetus, liceret quoque occidere matrem (quod tamen nemo dixerit).

Argum. III. Tam foetus quam mater ius habent ad vitam. Sed in iurium conflictu, praevalere debet ius potior, quod est a parte matris, cu-

ius vita est pretiosor; eique proinde ius filii cedere debet. — Sed, si haec ratio valeret, tunc, si mater et filius iam iam fame essent morituri, posset mater filium ipsum occidere eiusque carnes manducare, quia tam mater quam filius ius vivendi haberent, et in hoc iurium conflictu ius matris (utpote potior) praevalere deberet. Adde quod interdum vita foetus potest esse valde pretiosior, ut puta, si ex eius vita pax regni dependeret, vel si mater iam esset moribunda, et in quovis casu de eius vita foret desperandum. Nunquid tunc poterit occidi mater ad filium salvandum?

Argum. IV. Agitur solum de morte aliquantisper acceleranda. Praesumendum autem esse videretur, quod Deus, (qui vitae et mortis dominus est) de malo isto debeat esse contentus ad impedienda mala maiora; scilicet mortem matris, et damnationem aeternam infantis, qui, operatione non facta, sine baptismo moriturus esset; dum, si operatio fiat, ante illam (membrana discissa) ope siphunculi baptismum ei conferri posset. — Sed ne ista quidem ratio admitti valet; principium enim de occidendo innocente ad impedienda mala maiora, si pro hoc casu admitteretur, pro aliis casibus plurimis admitti deberet (1), quod stare nequit. Insuper tunc quoque rediret absurdum quod subinde posset etiam occidi mater ad salvandum filium.

Concludendum est itaque quod craniotomiae liceitas admitti non potest, et haec conclusio sequenti S. C. S. O. responso ad Archiep. Lugdunensem dato confirmatur: « Eminentissime et Reverendissime Domine. « Eminentissimi Patres mecum Inquisitores Generales in congregatione « generali habita *Feria IV die 28* labentis maii ad examen revocarunt « dubium ab Eminentia tua propositum: *An tuto doceri possit in scholis « catholicis licitam esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam « appellant, quando scilicet, ea omissa, mater et filius perituri sint, ea « e contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte?* Ac omnibus « diu et mature perpensis, habita quoque ratione eorum quae hac in re a « peritis catholicis viris conscripta, ac ab Eminentia tua huic Congrega« tioni transmissa sunt, respondendum esse duxerunt: *Tuto doceri non « posse.* Quam responsionem cum SS. D. N., in audientia eiusdem feriae « ac diei, plene confirmaverit, Eminentiae tuae communico. *Romae 21 « Maii 1884* ».

Adest insuper aliud Decretum eiusdem S. C. sequentis tenoris: « In « scholis catholicis tuto doceri non posse licitam esse operationem chirurgi« cam, quam *craniotomiam* appellant, sicut declaratum fuit *die 28 Maii « 1881*, et quamcumque chirurgicam operationem *directe occisivam* foetus « vel matris gestantis ». *Die 14 Augusti 1889.*

Si autem haec doctrina *tuto doceri non potest,* iam ex rationibus hucusque cognitis, sin minus tamquam certo falsa, saltem tamquam non satis probabilis, haberi debet.

679. *Sed quid si medicus, ad salvandam matrem, non iam ad craniotomiam, sed ad abortum (violentam scilicet foetus nec maturi nec vitalis eiectionem) recurreret?* Gury (*Cas. cons. 402*) eiectionem istam ope balnei vel aliorum remediorum maternas fibras relaxantium procuratam, licitam esse dixit.

---

(1) Sic, v. g. liceret occidere peste affectos, ne contagium diffunderetur, vel innocentes (quorum caput tyrannus exigeret) ut civitas salvaretur etc.

680. Rationem adducebat Gury, quia id non est directe foetum occidere, sed illum amovere a loco in quo vivere non potest ut statuatur in alio loco in quo magis vitam producere nequit, et proinde in peiori conditione minime constituitur, imo in longe meliori conditione constitueretur, quia sic baptizari poterit; dum, si in utero matris relinqueretur, sine baptismo moreretur. Quod revera foetus mortuae matri supervivat, in praxi rarissimum est, et S. Lig. (*III 394 q. 2*) dixit id esse pene miraculum. Oporteret enim 1° ut morbus matris brevissimus fuisset; 2° ut foetus pro exitu non laborasset; 3° ut chirurgus, et quidem valde peritus, maternae morti ita praesens esset, ut statim post ultimum anhelitum operationem faceret.

681. Ballerini autem (*n. 402*) admisit licitam esse quoque scissuram membranae quae foetum involvit; sic enim mater (dicebat) non proprie occidere facit foetum, sed cessat illum proprio sanguine alere, dum, cum tanto incommodo et sacrificio vitae, illum alere non tenetur; sicut nec nato filio teneretur cum vitae discrimine alimentum praebere. Imo quum, membranâ scissâ, foetus baptizari possit, sic illius maximum bonum procuraret. Scissione autem facta, foetus (si non sit vitalis aut si exire non possit) vivere nequibit; et proinde, si moriatus in utero, quovis modo postea extrahi poterit; et si adhuc vivus exeat, ad maiorem securitatem iterum baptizari sub conditione debebit.

682. Sed etiam doctrina ista probari non potest. Agitur enim semper de vera et directa occisione innocentis; expulsio quippe foetus non vitalis mortem ei infert, et deiectioni hominis a navi in mare equivalet. Sicut autem, imminente naufragio, non licet deiicere in mare aliquos homines ad salvandos alios; ita in casu. Adde periculum hallucinationis; unde facile (maxime posito principio quod mater non teneatur cum magno et extraordinario suo incommodo foetum suo sanguine alere) innumeris abortibus ianua aperiretur.

Hoc autem confirmatur ex Decreto S. C. S. Officii *24 Iulii 1895* sequentis tenoris: « Beatissime Pater, Stephanus Maria Alphonsus Sannois Archiepiscopus Cameracensis, ad pedes Sanctitatis Tuae devotissime provolutus, quae sequuntur humiliter exponit.

« Titius medicus cum ad praegnantem graviter decumbentem vocabatur, passim animadvertebat lethalis morbi causam aliam non subesse praeter ipsam praegnationem, hoc est, foetus in utero praesentiam. Unica igitur, ut matrem a certa atque imminenti morte salvaret, praesto ipsi erat via, procurandi scilicet abortum seu foetus eiectionem. Viam hanc consueto ipse inibat, adhibitis tamen mediis et operationibus, per se atque immediate non quidem ad id tendentibus ut in materno

» sinu foetum occiderent, sed tantummodo ut vivus, si fieri
« posset, in lucem ederetur, quamvis proxime moriturus,
« utpote qui immaturus omnino adhuc esset.

« Iamvero, lectis quae *die 19 Augusti 1889* Sancta
« Sedes ad Cameracensem Archiepiscopum rescripsit: *tuto
« doceri non posse licitam esse quamcumque operationem
« directe occisivam foetus, etiamsi hoc necessarium foret
« ad matrem salvandam,* dubius haeret Titius circa licei-
« tatem operationum chirurgicarum, quibus non raro ipse
« abortus hucusque procurabat, ut praegnantes graviter
« aegrotantes salvaret.

« Quare, ut conscientiae suae consulat, supplex Titius
« petit utrum enuntiatas operationes in repetitis dictis
« circumstantiis instaurare tuto possit.

« *Feria IV die 24 Iulii 1895.* In Congr. gener.
« S. R. et Univ. Inquisitionis, proposita suprascripta in-
« stantia, Em.mi ac Rev.mi Domini Cardinales in rebus
« fidei et morum Inquisitores generales, praehabito Rev.
« D. Consultoris voto, respondendum decreverunt: Nega-
« tive, iuxta alias Decreta, diei scilicet *28 Maii 1894* et
« *19 Augusti 1889.*

« Sequenti vero *Feria V, die 25 Iulii,* in audientia
« R. G. P. adsessori impertita, SS.mus D. N. relatori Sibi
« Em. Patrum resolutionem adprobavit.

683. Concludendum est itaque quod directa procuratio abortus (si foetus non sit vitalis) in nullo prorsus casu licet.

684. Dixi *directa procuratio;* aliud enim dici debere videtur, si membrana perforaretur non ad eiiciendum foetum, bene vero ad uterum suo loco reponendum, etsi exinde praeter intentionem abortus certo certius secuturus foret. Casus iste contingeret quando uteri gravidi in pelvi minore coarctati repositio impossibilis esset, id quod in uteri retroflexione, retroversione, descensu et prolapsu evenire potest. De casu isto sic scribit Capellmann: « Si hic omnia alia remedia, quae medicus ad uteri reposi-
« tionem vel liberationem efficiendam cognoscit, frustra sint adhibita, tunc
« indirectam abortus procurationem (scil. *permissionem*) punctione mem-
« branarum ac liquoris amnii evacuatione effectam, censeo esse licitam.
« Nam 1° Mater versatur in immediato periculo vitae et sine uteri repo-
« sitione simul cum ovo (*scilicet cum foetu*) peribit. 2° Aliud remedium
« ad salvandam matrem (*iuxta hypothesim*) non datur. 3° Evacuatio liquo-
« ris immediate periculum vitae a matre avertere valet. Hic igitur pericu-
« lum matris non ex graviditate physiologice spectata, sed mere mechanice
« ex amplificatione uteri, oritur. Tollit evacuatio liquoris hoc impedimen-

« tum mechanicum, et uterum diminuit, ex qua diminutione immediate « possibilitas repositionis atque propulsatio periculi a matre sequitur, « priusquam abortus, postea quidem certe secuturus, eveniat; quae omnia « ita fiunt, ut abortus, sive expulsio embryonis ex utero ad periculum « removendum non sit necessaria ». Subdit autem quod necessitas deveniendi ad hanc operationem nedum raro sed rarissime contingit; ut plurimum enim aliis mediis uteri repositio obtineri potest.

685. Sed quid de operatione *Porro,* qua (ut dixi) non equidem foetus ipse immediate enecatur, sed uterus (in quo reconditur) prorsus abscinditur? Quid, inquam, de operatione ista, si foetus nec maturus sit nec vitalis? R. Si uterus esset infirmus, independenter a foetu atque adeo ad mulierem sanandam uterus ei abscinderetur, tunc (supposito gravi mortis periculo) haec operatio licita et occisio foetus indirecta videri posset. (Sed de hoc iudicent sapientiores). Si vero uteri infirmitas ex sola praesentia foetus resultaret, unde operatio ad foetum ipsum eiiciendum dirigeretur; tunc omnino illicita dicenda esset.

686. *Quid de regula prudentiae in huiusmodi casibus?* Scripsit cl. Archiep. Kenrich: « Equidem, quum « utrinque periculum sit, puto haud oportere (sacerdotem) « se aliquatenus chirurgi consiliis immiscere; nil enim « proderit, et in se mortis matris suscipiet odium.... Si « mater petat quid sibi faciendum sit, videtur dicendum, « oportere chirurgum orare, ut vitae foetus, omni qua « possit ratione, consulat ».

CAPUT III.

DE BELLO.

687. ***Quid est** bellum?* In genere est pugna multitudinis contra multitudinem sive diversi Status, sive diversae factionis. In primo casu *bellum* simpliciter, et in secundo sive *bellum civile,* sive *repressio seditionis* seu *rebellionis* appellatur.

Sic autem bellum distinguitur a *rixa*, quae est pugna paucorum vel singulorum contra paucos vel singulos sine praevio condicto: secus enim esset *duellum.*

688. *Loquendo de bello unius Status contra alium, quomodo **distinguitur**?* Potest 1° esse *defensivum* vel *offensivum*, secundum quod ad aggressionem repellendam, vel ad iniuriam vindicandam iusve suum repetendum, ineatur: 2° *certe iustum*, vel *certe iniustum*, vel *dubie iustum.*

689. *Quid exigitur ut bellum sit* ***licitum?*** Exigitur 1° ut sit iustum; 2° ut sit necessarium; 3° ut a Supremo Principe intimatum vel imperatum fuerit; 4° ut in illo contra ius gentium nihil fiat.

690. *Quid de prima conditione:* ***iustum?*** Oportet ut a parte contraria vera iniuria commissa fuerit vel hic et nunc committi velit.

Exemplum habes in invasione iniusta; in usurpatione provinciae vel civitatis; in fractione pactorum; in gravi contumelia Principi vel Nationi illata; in gravibus offensionibus aut damnis quorum reparatio recusetur; in auxilio contra nos iniuste dimicantibus praestito; in bello iniusto contra alios (et maxime confoederatos) qui auxilium a nobis petant etc.

Non itaque licet bellum facere ex sola ambitione, vel contra illos qui iuste bellum nobis inferant, quibus non iam resistere sed satisfacere oportet.

691. *Quid de secunda conditione:* ***necessarium?*** Hoc exigitur, quia bellum mala immensa undequaque producit, cuiusmodi sunt occisiones innumerae (forte etiam innocentium), devastationes, expensae ingentissimae etc. Si itaque ageretur de offensis non adeo gravibus, vel si pars adversa satisfactionem congruam dare esset parata, vel si utcumque res pacifice (v. g. per arbitratum) componi possent; utique tunc bellum illicitum foret.

692. *Quid de tertia conditione:* ***a supremo principe intimatum vel imperatum?*** Hoc exigitur propter necessitatem nedum maximae ponderationis, sed etiam directionis.

Excipe nisi forte ageretur de aliquo parvo bello defensivo et cum spe boni effectus in casu flagranti, nec recurrendi ad principem supremum tempus suppeteret.

693. *Quid de quarta conditione:* ***contra ius gentium nihil peragatur?*** Ius gentium consistit praecipue in pactis tacitis, fundatis in consuetudine, quae vel semper extitit vel noviter introducta fuit, quibus, etiam in bello, quaedam censentur interdicta. Hinc insidiae quidem, fictiones et stratagemmata consueta, licita erunt; sed, v. g. veneno puteos inficere; mittere spiculatores clandestinos qui proditorie occidant Regem vel Duces: interficere legatos; vexillum pacis ficte explicare; non servare pacta induciarum (*d'armistizio*) vel pacis; cives paci-

ficos, pueros, mulieres etc. directe interficere; ad barbaras crudelitates procedere; continuare praelium contra cohortes (et a fortiori contra exercitum) dum iam arma deponant et se dedant. Aliud est de singulari milite, qui, fervente certamine, se dedere vellet. Dixi *fervente certamine;* illo enim cessante, milites captivi quidem reddi, sed non occidi possent. Cf. Gousset (*n. 624 et seqq.*).

694. *An Principi liceat bellum facere* ***in dubio*** *de belli ipsius iustitia?* Supponendum imprimis quod dubium solvi nequeat. Deinde distinguere oportet. Bellum defensivum certe licebit; donec enim Princeps praetensionibus alterius cedendi obligationem non cognoscat, utique se defendere poterit. (Lehmkuhl *I 854*). An autem bellum offensivum liceat, magna ex parte obscura res est. Ad vindicandam offensam de qua non certe constet, talem ac tantam poenam infligere certe non licet. In aliis casibus et controversiis licitum videtur bellum, si de iustitia magna probabilitas habeatur. Idem (*l. c.*).

695. *Quid de* ***militibus*** *qui de* ***belli iniustitia certi sint?*** Haec certitudo difficile haberi poterit; rationes enim potest habere Princeps, quas subditi non cognoscant; sed, supposito casu evidentis iniustitiae, certe milites *voluntarii* dimicare nequirent. Milites vero *coacti,* timore mortis aliarumve poenarum gravissimarum, utique possent concurrere; sed ita ut adversarios (qui, iuxta hypothesim, certe essent innocentes) occidere nequirent, et proinde in aerem sclopum explodere deberent.

696. Sed quid si miles qui ita ab occidendo, atque etiam ab aliis damnis inferendis, quantum potest, caveat, obviam habeat adversarium, qui ense illum interficere velit? Communiter dicunt, mortem potius esse patiendam; et haec decisio, actum adeo heroicum exigens, in maximam conscientiae turbationem magnumque peccandi periculum coniicit illos miserrimos, qui huiusmodi doctrinae notitiam habentes, ad exercitum se conferre et (si opus sit) dimicare coguntur. Eis itaque utilis esse poterit sequens doctrina, quam ex S. Antonino, Soto aliisque refert Tamburini (*VI. 1 9*) inquiens: « Qui « scit bellum in quo militat esse iniustum, licite potest etiam in ipsa pugna « (cum quadam cautione iam iam afferenda) militem alterius iusti exercitus « occidere, ne ipse ab hoc occidatur. Ratio est quia iniustitia belli gerendi « ex parte Principis non tollit ius defendendi propriam vitam. Cautio autem « est ut dictus miles iniustus cesset ab occidendo, et admoneat militem « iustum de sua hac cessatione, nam statim tunc non erit amplius miles « iniusti belli, et sic poterit se defendere ». Reapse acciperetur pro inimico et aggressore, dum reapse amicus et innocens esset, et proinde se defendere posset. Cf. Lehmkuhl (*l. c. 858*) et Ballerini (*l. c. 149*). Nec valida est ratio theologorum dicentium quod adversarius ius habet illum interficiendi propter delictum antecedenter commissum, dum ad bellum iniustum se contulit; revera enim (in hypotesi militis coacti atque a nocendo, ut supra, abstinentis) ne antecedenter quidem delictum subsistit. Potior ratio esset quod adversarius, iure ipso belli, deditionem illam singularis militis

in aestu pugnae acceptare non tenetur, et potest illum occidere. Sed non repugnat dari posse casum duorum innocentium, quorum unus iure belli possit occidere, et alter iure innocentiae suae possit se defendere.

697. *Quid de militibus, qui de belli iustitia* ***ignari aut dubii*** *sint?* Si Princeps bona existimatione gauderet, praesumendum esset bellum esse licitum, et sic milites, etiam voluntarii, possent (utique etiam occidendo) dimicare. Si e contra, propter notoriam Principis improbitatem, dicta praesumptio concipi nequiret, tunc milites voluntarii ad bellum accurrere non possent. Milites autem qui iussu proprii Principis bellum gerere coguntur, illud, sicut si certe iustum esset, gerere possent (etiam occidendo); donec enim quis est Princeps et societatem regit, nimia adest necessitas ut subditi, etiam in dubio, obtemperent. Aliunde ageretur de casu perplexitatis; periculum enim peccandi in militibus semper adesset, sive nempe occiderent (quia forte occisuri essent innocentes), sive non occiderent (quia forte iusto Principis imperio inobedirent et maximis damnis propriam nationem exponerent). Lehmkuhl (*I 854. 856* IV).

CAPUT IV.

DE DUELLO.

698. ***Quid est*** *duellum?* Distinguere oportet inter duellum acceptum sensu stricto, et prout communiter fieri solet, poenisque ecclesiasticis subiicitur; et duellum acceptum sensu latiori.

Stricto sensu est pugna, quae, armis lethalibus et aequalibus, ex condicto (nempe praemissa conventione de loco, tempore et qualitate armorum), inter duos, quorum unus provocet (non vero cogat) et alius acceptet, sive usque ad ultimum sanguinem, sive usque ad primum sanguinem (ita tamen ut vulnus facile possit esse grave), sive denique usque ad certum ictuum numerum (cum vel sine exceptione eorundem qualitatis), absque legitima auctoritate perpetretur. Potest autem esse solemne et privatum. Cf. Ballerini (*l. c. n. 103*), D'Annibale (*II 327*),

Villada (*Cas. cons. II pag. 343*), Comment. Rom. Const. *Apostolicae Sedis* (*pag. 550*). etc.

699. **Sensu latiori** autem, est pugna duorum, in qua dictae circumstantiae plus vel minus deficiant. Casus principales sunt sequentes.

I. Si ius haberes interficiendi alium cum quo duellum facis; quod accideret 1° Si esset tuus iniquus aggressor (quoad vitam, vel bona fortunae, vel libertatem etc.); idque quamvis ille ipse arma tibi praeberet et diceret, v. g.: *aut dimica mecum, aut te occido* (nec esset alius evadendi modus). 2° Si duellum fieret ad finiendum vel evitandum bellum (ut fecit David cum Goliath). 3° Si Princeps duobus ad mortem damnatis concederet ut possent inire duellum, et victorem a morte liberaret. — In his casibus (uti patet) duellum licitum esset.

II. Si duellum (attento modo quo fieret) nonnisi periculum alicuius levis laesionis includeret. Utique tunc a gravi culpa immune esse posset.

III. Si pugna occisionis quidem aut laesionis gravis periculosa foret; sed fieret vel sine armis (v. g. solis pugnis); vel cum armis per se non lethalibus (v. g. baculo, saxis, ferro sine acie etc.); vel cum armis inaequalibus; vel sine praevio condicto circa locum, aut circa tempus, aut circa arma (prout contingere posset in rixa, etsi forte rixantes ad duellum in ipso loco vel in alio statim perficiendum se invitarent, aut illud ad tempus et locum indeterminatum remitterent). In his casibus pugna, quamvis forte duellum non appellaretur, a duello proprie dicto, quoad malitiam (si ratio defensionis deficeret), parum discreparet.

700. *Dixisti duellum esse posse solemne et privatum. Explica hanc distinctionem.* Resp. Dicitur **solemne** quando fit cum testibus (qui vulgo dicuntur *patrini*), et cum armis nedum in specie sed etiam in individuo praecise designatis (v. g. cum *his* duobus gladiis). — Dicitur autem **privatum** quando sine patrinis perpetratur.

701. *Exceptis casibus recensitis mox supra (n. 699. I.* II), *duellum estne semper **graviter illicitum**?* Affirmative.

Patet I. iure naturali; dum enim duellum facis, vis alium tecum duellantem occidere aut vulnerare, quin illum occidendi aut vulnerandi ius ullum habeas; neque refert quod ille consentiat; de vita enim illius nec tibi nec illi (quum solus Deus sit dominus vitae) disponere licet. Praeterea periculo mortis aut gravis vulneris exponis teipsum. Sic autem in duello tum homicidii tum suicidii malitia includitur. Adde periculum sic moriendi in ipso conflictu sine Sacramentis: adde turbationem familiarum: adde scandalum etc. Nec valent rationes sive vindicandi iniuriam, sive dirimendi litem, sive evitandi notam timiditatis, sive etiam amittendi gradum vel officium etc. Multo minus autem valent rationes ostentandi vires et dexteritatem, vel spectaculum populo praebendi, vel iudicium divinum illo medio procurandi (quo postremo casu tentatio Dei interveniret). Denique, loquendo de solo reatu (non de excommunicatione, ut infra), non excusat metus, nisi metus ab ipso provocante proveniret, et res eo usque procederent ut pro vero aggressore (ut supra *n. 699* innuebam) ille considerari deberet.

Patet II. Iure canonico. Tridentinum (*XXV.* XIX) dicit: « Detestabilis duellorum usus, fabricante Diabolo, introdu-« ctus, ut cruenta corporum morte animarum etiam per-« niciem lucretur, ex Christiano Orbe penitus extermine-« tur ». Vide etiam Epistolam SS.mi D. N. Leonis XIII *12 Sept. 1891.* Apud *Monit.* (*VII.* I *198*).

Gravissimis etiam poenis, nempe excommunicationis Summo Pontifici simpliciter reservatae, infamiae, et privationis sepulturae ecclesiasticae (quamvis extra locum conflictus et cum signis poenitentiae, ex vulnere accepto in duello, mors accidisset), duellantes afficiuntur. (Bened. XIV Const. *Detestabilem*).

702. Hae poenae incurruntur etsi solum ad primum sanguinem vel ad certum ictuum numerum, duellum perpetratum fuisset. (Clemens VIII Const. *Illius vices*). Excommunicationem autem incurrunt non solum duellum perpetrantes, sed etiam simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quilibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes. (Pius IX, Const. *Apostolicae Sedis*). Inter complices autem nedum patrini, sed etiam medicus et confessarius, qui ex condicto cum duellantibus ad operam suam praestandam, vel etiam ad pugnae citius

finem imponendum, illuc se contulerint, recenseri debent. (S. C. S. O. apud Acta *XVII 601*).

703. Attamen provocatio vel acceptatio ficta (nempe sine intentione duellum revera exequendi vel cum certitudine quod ab aliis impedietur) his poenis subiici non videtur in conscientia; etsi peccatum intervenire possit, tum quia aderit scandalum, tum quia, uno ficte provocante, alter vere acceptaret, aut vicissim. Baller. (*l. c. 106*) et Villada (*l. c. 353*).

704. Spectantes autem ex industria ii solum esse censentur, qui ex conventione, vel eo modo palam ad locum conflictus se conferunt, ut quodammodo animum pugnantibus aut splendorem pugnae addant. Lehmkuhl (*II 949*).

705. Denique provocantes et acceptantes, duello quoque non secuto, poenas incurrunt; non item alii complices. Lehmkhul (*l. c.*).

706. Quod autem causae supra (*n. 701*) recensitae a reatu non excusent, patet etiam ex sequentibus propositionibus; quarum prima ab Alexandro VII, et aliae quinque a Benedicto XIV (*l. c.*) damnatae fuerunt.

I. « Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne « timiditatis notam apud alios incurrat ».

II. « Vir militaris, qui, nisi offerat et acceptet duellum, tamquam for« midolosus, timidus, abiectus et ad officia militaria ineptus haberetur, in« deque officio, quo se suosque sustentat, privaretur; vel promotionis alias « sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena « vacaret, sive offerat sive acceptet duellum ».

III. « Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanae vilipen« sionis vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, « quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impe« diendam » (Attamen quoad poenas recole supra dicta *n. 703*).

IV. « Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas dux « vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae « vel officii ». Quoad excommunicationem tamen recole supra dicta *n. 701* (Cf. Villada, *l. c. p. 358*).

V. « Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duel« lum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum ia« ctura propulsari nequit ». Hoc enimvero admitti posset solum casu quo offerens duellum tamquam iniquus aggressor haberi deberet.

VI. « Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui « civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia « magistratus, iustitia aperte denegatur ».

707. Neque solum iure canonico, sed etiam a pluribus legibus civilibus, ut videre est apud Patroni (Dissertatio *Il Duello*), duelli malitia recognita poenisque subiecta fuit. Vide etiam nostrum codicem poenalem (*Art. 237-245*).

SECTIO VI.

DE PRAECEPTIS SEXTO ET NONO.

« *Non moechaberis.... Non desiderabis uxorem* (*pro-*
« *ximi tui*) ».

708. De hac materia agere nollem; sed, quum adeo frequenter in praxi occurrat, necesse est omnino ut de ea etiam, et quidem ad particularia magis momentosa descendendo, tractem. Ex una parte enim casus difficiles et intricati heic quoque non raro obveniunt, et ex alia saepe saepius poenitentes ex erubescentia vel ignorantia insufficientissime se exprimunt; unde oportet ut confessarii cito intelligant, et in casibus etiam difficilibus (sine multis interrogationibus, quae confessariis ipsis, poenitentibus et decori sacramenti non parum obesse possent) prompte et tuto iudicare valeant.

Monitum gravissimum. *Sacerdotes tractatum istum non legant, nisi quando audiendarum confessionum ministerium proxime sint suscepturi; et tunc quoque sibi consulant, ne, dum ad alios adiuvandos se parant, magnum sibi detrimentum subeant.*

709. Agam I. De peccatis luxuriae quae sumunt speciem solum ex diverso modo laedendi castitatem. 2. De peccatis quae non solum castitatem sed alias quoque virtutes simul offendunt. 3. De licitis et illicitis inter coniuges. 4. De debito coniugali.

CAPUT I.

DE PECCATIS LUXURIAE QUAE SUMUNT SPECIEM SOLUM EX DIVERSO MODO LAEDENDI CASTITATEM.

710. *Peccatum luxuriae* ***in quo consistit?*** Resp. Consistit in usu inordinato rei venereae; intervenit scilicet quando quis praeter ordinem a Deo statutum (nempe extra legitimos actus matrimoniales) rebus venereis indulget.

711. *Ordo naturalis in rebus venereis* ***quot modis*** *inverti potest?* Modi huius inordinationis sunt sequentes.

I. Concubitus (seu *copula*) non servata natura humana (nempe *bestialitas* et *concubitus cum Daemone*).

II. Concubitus, non servato sexu debito (nempe *sodomia propria*).

III. Concubitus, servato quidem sexu debito, sed extra matrimonium (nempe *fornicatio*).

IV. Concubitus, non servato vase debito (nempe speciatim *sodomia impropria*).

V. Concubitus, non servato modo debito (nempe speciatim *onanismus*).

VI. *Pollutio* et *impudicitia directe intenta sine concubitu.*

VII. *Desideria venerea* extra matrimonium. Vide S. Th. (*2. 2 CLIV.* II).

712. Inordinationes istae luxuriam continent essentialiter, quatenus bestialitatem, sodomiam, onanismum, fornicationem, pollutionem etc. velle committere nunquam licet.

713. Sed adsunt etiam actus, qui luxuriam essentialiter minime continent; et sunt sequentes, nempe: 1° *tactus;* 2° *oscula et amplexus;* 3° *aspectus;* 4° *sermones;* 5° *lectiones;* 6° *cogitationes turpes.*

Quod reapse hi actus luxuriam essentialiter non contineant; patet quia velle tangere, aspicere, dicere, legere, cogitare turpia interdum licet; si nempe ex necessitate et recta intentione haec peragantur.

Hinc agendum est distinctim et singillatim de actibus qui continent luxuriam 1° essentialiter; 2° non essentialiter. Sed antequam veniamus ad particularia, convenit enucleare sequentes quaestiones.

714. Quaer. I. *Quid est* ***concubitus,*** *et quomodo distinguitur?*

Concubitus locum habet, quando quis non iam manu vel pede alium turpiter tangit aut ab alio tangitur; sed magna corporis coniunctione et partium genitalium applicatione alteri (ad finem explendi super ipsum libidinem) adhaeret.

Concubitus dicitur *activus* a parte agentis et *passivus* a parte *patientis*. Primus *incubus*, et secundus *succubus* dici solet.

715. Quaer. II. *Concubitus* ***sine alicuius vasis penetratione*** *differtne specie a simplici tactu?* Salmanticenses (*VII 85*), Potestas (*n. 2172*), Diana (*I.* VII), aliique dicunt concubitum sine alicuius vasis penetratione ad simplicem tactum reduci; sed dicendum omnino cum S. Lig. (*VI 466. 467*) quod specie differat. Ratio est

quia 1° Inter tactum et applicationem partium genitalium adest differentia non solum quoad gradum sed etiam quoad substantiam, atque ita ut non levis sed magni momenti sit. 2° Poenitens, qui concubuerit, si diceret *tetigi,* aut *permisi ut alter me tangeret,* diceret quid pro quo; confessarius enim non iam concubitum perpetratum, sed simplicem tactum intelligeret. 3° Denique in foeminis sodomia (a simplici tactu distinguenda) non daretur, aut saltem ad casus rarissimos restringi deberet; ipsae enim naturaliter (excepto aliquo casu monstruoso, prout contingit in foeminis Abissinis) nullum vas penetrare possunt.

716. Quaer. III. *Concubitus cum pollutione differtne specie a concubitu* ***sine pollutione?*** Affirmative respondet S. Lig. (*n. 466*). Notandum tamen quod, si poenitens de concubitu activo se accuset, pollutio semper praesumitur; nec oportet de hoc illum interrogare. Secus si de concubitu passivo ageretur.

ARTICULUS I.

De actibus, qui luxuriam continent essentialiter.

PUNCTUM I.

De concubitu, non servata natura humana, scilicet de bestialitate, et de concubitu cum Daemone.

717. Quaer. I. *An concubitus* ***cum bellua*** *a concubitu* ***cum Daemone*** *specie differat?* R. Affirmative.

Explicatio. Quatenus tam bellua quam Daemon sunt entia, quae naturam humanam minime habent, non esset cur inter hos duos concubitus specificam differentiam poneremus; sed nihilominus differentiam istam (contra plures) admittendam esse censeo propter alia motiva: nempe quia 1° Daemon non est bellua, sed creatura rationalis; unde substantialis diversitas intervenit. 2° Qui hoc horribile scelus commisisset, dicendo in confessione: *bestialitatem commisi,* tranquillus esse non posset, et quid pro quo accusaret; confessarius enim quod cum bruto peccasset intelligeret. 3° Crimen istud a crimine superstitionis practice non seiungitur. 4° Daemon, iuxta desiderium eorum qui illum invocant, apparere solet sub forma viri foeminis, et sub forma foeminae viris; et sic concubitus cum ipso ab affectu saltem fornicario vix unquam seiungitur. Dixi *saltem;* si enim sub

forma monialis, vel coniugatae, vel consanguineae appareret, et desiderium erga huiusmodi personam haberetur; tunc sacrilegii quoque vel adulterii vel incestus malitia superadderetur. Secus si delectatio solum copulam, vel foeminae rapraesentatae polchritudinem respiceret. Vide S. Lig. (*VI 475*).

718. Quaer. II. *An concubitus cum bellua, quaecumque illa sit, et cuiuslibet sexus, et in quavis parte cognita fuerit (sive vase aliquo penetrato sive non) sit semper eiusdem speciei; unde in confessione differentiae istae reticeri possint?* Affirmative (intellige nisi alia desideria immisceantur).

Ratio est quia (quum agatur de subiectis ad generationem humanam ineptis) huiusmodi differentiae in genere moris parum vel nihil valent; et tota malitia in accessu ad belluam residet. Ita S. Lig. (*n. 474*) et Salmant. (*VII 140*), qui dicunt, nihil pariter referre sive bellua fuerit patiens, viro scilicet cognoscente belluam; sive fuerit agens, bellua scilicet cognoscente foeminam in vase naturali. Dixi *in vase naturali;* si enim bellua sola active se gereret, simulque de vase foemineo naturali nihil esset, tunc res speciem mutare posset, et videndum an a parte personae (circa quam bellua turpiter agit) affectus ad congressum bestialem, vel pollutio, vel libidinosa commotio interveniret.

719. Sed defectus penetrationis vasis, quamvis non efficiat (excepto hoc ultimo casu) ut bestialitas sit diversae speciei; efficit tamen ut non sit perfecta (quod, si de reservatione ageretur, attendendum foret). Salmant. (*n. 140*).

PUNCTUM II.

De concubitu non servato sexu debito, scilicet de sodomia propria.

720. ***Sodomia propria*** *quandonam accidit?* Quando masculus super masculum, aut foemina super foeminam concumbit.

Concubitus foeminarum saepe contingit se invicem ita amplectendo, ut foemina agens se gerat quasi vir super foeminam patientem. Accidere potest (etsi solum in casu rarissimo, ut supra innuebam) quod nedum concumbat, sed etiam aliquam penetrationem in vase naturali efficiat. Concubitus autem masculorum ordinarie quidem accidit vere penetrando vas praeposterum, sed interdum etiam sine tali penetratione accidere potest.

721. Quaer. I. *An concubitus sodomiticus activus (seu in agente) specie differat a concubitu passivo (seu in patiente)?* R. Negative per se; sicut enim fornicatio viri a fornicatione mulieris specie non differret; ita et in casu.

Differentia tamen intervenire potest ratione pollutionis, quae in patiente subinde deest. Hinc non oportet ut confessarius inquirat, an poenitens fuerit agens vel patiens; sed potius (intellige semper salva prudentia) petere poterit an pollutio a parte sui locum habuerit. Gury (*n. 434*) et S. Lig. (*n. 446*).

722. Quaer. II. *An concubitus sodomiticus in vase a concubitu aliter peracto specie differat?* R. Quum in hoc concubitu deformitas principalis consistat in accessu ad sexum indebitum, scilicet masculi ad masculum et foeminae ad foeminam; et differentia partium, in quibus concubitus peragitur, in hoc casu quid non magni momenti videatur; probabiliter sustineri potest quod differentiam specificam non constituat. Ita reapse sentiunt multi cum S. Lig. (*n. 466*) et Lehmkuhl (*n. 977*).

Hinc in praxi, si vir in confessione dicat: *concubui cum viro,* non est necesse ut confessarius inquirat, an hic concubitus in vase praepostero, an super carnem nudam, an super vestes etc. peractus fuerit.

723. Equidem quoad foeminas concubitus ad vas naturale directus malitiam fornicationis affectivae de facili comitem habet; foemina enim patiens, dum foeminam agentem provocat, dicere solet: *Fac mecum sicut vir.* Sed in praxi poenitentes de explicandis circumstantiis istis non cogitant, neque expedit ut interrogentur; id enim aut non pudice, aut non prudenter fieri posset.

724. Quaer. III. *An sodomia consistat praecipue in accessu ad indebitum sexum, an vero in accessu ad indebitum vas?* Consistit praecipue in accessu ad indebitum sexum. Plures tamen contra sentiunt (Vide Ballerini, *not. ad n. 434*). Quidquid sit de hoc, certe penetratio quoque vasis indebiti exigitur ut sodomia sit perfecta; unde, si reservetur sodomia absque ulla explicatione, haec intelligitur *perfecta*, et cum seminis effusione intra vas. (Cf. Sanchez, *De Matrim. X.* v *13*).

Aliqui notant quod sodomia perfecta contingere potest etiam inter foeminas. (Salm. *XII 80;* Sanchez, *De Matr. l. c. n. 5;* Scavini, *I. 785*); sed hoc difficile videtur: ipsae enim (praeter dicta *n. 715*) ordinarie (ut passim auctores indicant) non extra sed intra matricem humorem (qui improprie semen appellatur) effundunt. (Vide Scavini *n. 778,* not. *4;* S. Ligorium *n. 466;* et Ballerini *ad n. 434*).

PUNCTUM III.

De concubitu, servato quidem sexu debito, sed extra matrimonium, scilicet de fornicatione.

N.B. Hic loquor de concubitu illegitimo maris cum foemina non cum circumstantiis adulterii, incestus, vel stupri, etc., sed in se solo considerato, et omitto quaedam notissima, quae explicatione non indigent.

725. Quaer. I. *Ad quid tenetur foemina, quae a viro procaci* **per vim aut metum** *opprimatur?* Tenetur 1° Casum huiusmodi (si illum praevideat), quantum potest, evitare. 2° Non solum in corde suo repugnare (quod semper necessarium est), sed etiam extrinsece opponere resistentiam; quae est duplex. Prima est *ordinaria,* dum mulier manibus, quantum potest, se defendit, se agitat etc. ut foedum congressum evitare conetur. Secunda est *extraordinaria;* si nempe, v. g. mulier, non obstante gravi infamia clamaret, aut aggressorem graviter vulneraret etc. Ad hanc secundam resistentiam mulieres non tenentur; sed omnino obligandae sunt ad primam, si physice possibilis sit, excepto casu quo metu mortis aut mutilationis aut similis mali gravissimi hic et nunc comminati et (N.B.) imminentis, immotae remanere cogerentur. Causae minores approbari nequeunt; secus enim fornicationibus et adulteriis ianua latissima (ut per se patet) aperiretur. Cf. *De Occasionariis* (*n. 262*).

Notandum quod casus mulieris violatae absque culpa propria non adeo frequens est. Viri evadunt audaces quia mulieres posthabita modestia et gravitate, confidentiam praebent; et non ita facile contingit quod vir delectationem turpem ab invita omnino, lugente et reluctante captare velit aut possit. Caeterum naturalis foeminarum timiditas, et saepe confusio ex casu improviso, efficere possunt ut mulier magnam et virilem resistentiam non opponat, et nihilominus a culpa (saltem formali) immunis sit.

726. Quaer. II. *An* **meretrix** *aut* **concubina** *debeat in confessione non solum accusare fornicationes quas commisit, sed etiam explicare se esse meretricem aut*

concubinam? Quamvis meretricium aut concubinatus peccatis particularibus circumstantiam mutantem speciem per se minime superaddant (ut communiter dicunt); nihilominus voluntas se dandi aut redeundi sive ad meretricium sive ad concubinatum constituit peccatum in confessione patefaciendum; implicat enim voluntatem committendi in posterum peccata innumera, et quidem in meretricio etiam specie diversa.

Hinc mulier, quae concubinatum iniverit, sed paucis vicibus peccaverit cum concubinario (eo quod ille, v. g. post breve tempus mortuus fuerit), confessioni suae non satisfaceret dicendo dumtaxat se paucis vicibus fornicationem commisisse; sic enim intentionem, quam habebat fornicandi innumeris aliis vicibus, minime accusaret. Pariter meretrix, quae post duas vel tres fornicationes morbo correpta lupanar deseruit, si accusaret dumtaxat illas duas vel tres fornicationes, utique non satis se exprimeret; dum enim lupanar adiverat, iam ad innumera fornicationis, adulterii, sodomiae et cuiuslibet speciei peccata committenda erat disposita; quae quidem dispositio in praedicta confessione non significaretur.

Ut plurimum tamen ex ipsa accusatione innumerabilium peccatorum, quam huiusmodi foeminae faciunt, satis arguitur quod de meretricibus vel de concubinis agitur; et tunc non erit de necessitate confessionis, ut exprimant id quod iam implicite expressum fuit.

PUNCTUM IV.

De concubitu, non servato vase debito, scilicet speciatim de sodomia impropria.

727. ***Sodomia impropria*** *quandonam accidit?* Quando masculus copulam habet cum foemina, sed non in vase naturali.

Si ad vas praeposterum (aut partes praeposteras) divertat, tunc sodomia, quae *impropria* appellatur, locum habet.

Si vero in partibus anterioribus (quamvis extra vas naturale) concubitus perpetretur, tunc adest peccatum distinctum specie tum a simplici tactu (ut patet ex dictis *n. 715*), tum a dicta sodomia; ut enim ait S. Lig. (*n. 466*), talis concubitus quid mixtum peccati contra naturam atque copulae exoptatae et inchoatae esse videtur.

728. Sed in praxi concubitus in vase praepostero subinde accidit quidem inter coniuges, sed vix unquam inter solutos. Hinc, quando iuvenis se accusat de concubitu cum puella, supponendum est tantummodo aut quod intra vas naturale semen effuderit (et sic veram fornicationem commiserit); aut quod (prout ordinarie contingit) ex timore illam gravidam reddendi, vase penetrato, se retraxerit (et sic onanismum fecerit); vel nullo modo vas penetraverit, sed circa ipsum se polluerit (et sic quid mixtum, ut supra, perpetraverit).

729. Ut autem confessarius cognoscat cuiusnam ex his speciebus poenitentis peccatum fuerit, illum interrogare poterit, an puella potuisset evadere gravida? Et respondenti negative subiungere poterit qua de causa? Si autem sic intellexerit quod iuvenis vas non penetravit, non debet inquirere quomodo concubitum peregerit. Male et pessime profecto se gerunt qui interrogant, v. g. an in hac, an in illa parte huiusmodi facinus acciderit. Hae porro circumstantiae (quando iam poenitens significavit se vas non penetrasse) speciem non mutant (S. Lig. *n. 466*). Interrogationes autem impudentissimae, atque a scandalo non seiunctae, essent.

PUNCTUM V.

De concubitu, non servato modo debito, scilicet (speciatim) de onanismo.

730. Hic itaque agendum esset de **onanismo**, et de quibusdam aliis concumbendi modis, qui plus vel minus naturali legi disconveniunt; sed de his, quia ut plurimum in usu matrimonii accidunt, agam infra, ubi de licitis et illicitis inter coniuges.

731. Hinc noto solum quod in praxi circumstantia onanismi inter solutos non ut delictuosa, sed potius ut culpam imminuens, apprehendi solet, ut recte observat Sporer (*De pecc. coniug. n. 490*).

PUNCTUM VI.

De pollutione, et de delectatione venerea sine pollutione.

732. *Quid est* ***pollutio?*** Est completa libidinis satisfactio usque ad spermatis effusionem totalem sine concubitu.

Hoc sperma in masculis non eviratis verum semen est; non item in foeminis et spadonibus. Vide Scavini (*III 923* et *I 768*), et Sanchez (*De Matrim. VII.* XCII *17*). In foeminis autem (ut supra innui) sperma non extra sed intra matricem effundi solet.

733. ***Delectatio venerea*** *sine pollutione quot modis contingere potest?* R. Duobus.

Primus est si completa libidinis satisfactio habeatur, quin ulla sive seminis sive dicti humoris effusio (saltem sensibiliter) accidat, prout speciatim in debilibus et senibus, maxime vero in quibusdam foeminis, evenire dicunt. Cf. Capellmann (*D. IV 2 v. Quamvis*).

Secundus est si aliquis humor effundatur, sed libidinis satisfactio non sit completa. Impudicitia huiusce generis *distillatio libidinosa* vel *inchoata pollutio* a theologis appellatur: et cum delectatione venerea vel motibus carnalibus facile confunditur.

734. Distillatio potest esse quoque non libidinosa, et contingit quando ab organis genitalibus aliquis humor profluit: quin in partibus ipsis ulla alteratio aut delectatio sentiatur. Distillatio huiusmodi ad impudicitiam non pertinet et de ea non est curandum. Vide Sporer (*Theol. Sacr. IV 858*) et Capellmann (*B. 11*).

735. *In pollutione et delectatione venerea, quotupliciter* ***peccatum*** *adesse potest?* 1° Si quis directe eam quaerat. 2° Si quis ei consentiat. 3° Si quis occasionem ei praebeat sine periculo consensus; vel 4° cum periculo consensus. 5° Si quis non sufficienter illam impediat.

§ I.

De pollutione et delectatione venerea, quam quis directe quaerit.

736. *Pollutio et quaelibet alia sive completa sive inchoata delectatio venerea,* ***si directe quaeratur,*** *estne peccatum mortale; et quidem ita ut hac in re parvitas*

materiae dari non possit; nec ullus casus excipi queat? Affirmative. Rationes sunt sequentes.

I. Agitur de turpitudine quae in maximam abiectionem humanae voluntatis dignitatem coniicit; unde homo iumentis insipientibus comparatur, tamquam equus et mulus efficitur, et veluti sus in luto volutatur. Tanta autem abiectio, nisi maximis matrimonii bonis compensetur, oportet ut sub gravi vetetur.

II. Homo non iuxta passionem sed iuxta rationem agere debet. Aliquae passiones sunt tales, ut absque peccato mortali quis iuxta illas se gerere possit, prout contingit, v. g. in vanagloria, acedia, gula etc.; sed passio libidinis est adeo vilis, brutalis, effraenata et furibunda, ut usus illius praeter rationis dictamen et naturae ordinem sub gravi interdici debeat. Ordo autem naturae est, ut actus carnales (et multo magis seminis effusio) in sola copula matrimoniali adhibeantur.

III. Quod autem nec ulla exceptio facienda sit, nec parvitas materiae dari possit, patet quia (tum ex natura passionis adeo delectabilis, tum ex hallucinatione quae hac in re adeo facilis est) magnum semper procedendi ulterius periculum aderit; unde lex, quae impudicitiam directam in aliquibus casibus permitteret, pessimas consequentias haberet et valde ruinosa esset. Bene scripsit Sporer (*Theol. Sacr. IV 706*): « Rationem fundamentalem..... « petendam esse, non a damno actuali, quod afferunt *semel* « *facta;* sed a damno habituali et consecutivo, quod ad- « ferrent *semel licita* ». Adde prop. ab Alex. VII damnatam: « Est probabilis opinio quae dicit esse tantum veniale « osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibi- « lem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus « ulterioris et pollutionis ». Porro in praxi non nisi ex hallucinatione hoc periculum abesse quis credere potest. (Vide Viva *n. XI*). Adde etiam verba S. C. S. O.: « Cum « in rebus venereis non detur parvitas materiae etc. » (*4 Febr. 1611*). Nec ullum facesseret negotium, si pollutio non propter delectationem sed propter alia motiva (v. g. finiendi tentationem aut consulendi sanitati) directe quaereretur; tunc enim quoque ex una parte periculum se

hallucinandi, agendi reapse ex fine delectationis, procedendi ulterius, et subinde etiam proruendi ad excessus, subsisteret; et ex alia (si id licitum diceretur) ianua latissima satisfaciendi libidini omnibus aperiretur. Adde quod si ex his motivis pollutio liceret, a fortiori fornicatio (quae minus contra naturam est) licita evadere deberet (1). Cf. Laymann (*III.* IV *15*), Lessius (*IV.* III *d. 14*), Sanchez (*IV.* XVII *15*), Sporer (*IV.* III *640. 643*).

Sed quid si, non iam ad pollutionem incipiendam aut delectationem captandam, bene vero solum (pollutione iam secuta, et delectatione cessante) ad expellendas ultimas seminis reliquias (quae sine molestia retineri nequirent) impulsus (sicut fit pro urina) daretur? Sporer (*n. 657*) et Tamburini (*VII.* VII *n. 18*) dicunt, impulsum istum accidere posse indeliberate. Si vero deliberate contingeret, peccatum adesse docent. Attamen Sporer recte notat, pollutionis malitiam multo magis quoad principium, quam quoad finem considerari. Tamburini autem non ita firmiter loquitur, ut censeat nullum dubitationi locum relinqui. Casus iste torquere solet aliquas personas conscientiae valde meticulosae, quae pollutiones nocturnas patiuntur, et, pollutione finiente, e somno excutiuntur. Certe (quum agatur de re adeo periculosa nimisque facile sit confundere hunc casum cum aliis) confessarius non dicat hoc esse

(1) Doctrinam istam (a qua nullatenus recedi potest) prae oculis habeant confessarii, speciatim in quibusdam casibus (caeteroquin rarissimis). Ad confessionem venit pia mulier caelibem vitam ducens, et dicit continentiam rigorosam et absolutam efficere ut non solum nequeat cibum sumere et somno necessario indulgere, sed etiam vires prorsus amittat, in terram cadat, convulsionibus subiiciatur, atque ad labores (quibus panem sibi comparat), inepta reddatur: unicum autem esse remedium pollutionem sibi procurare, qua haec omnia statim evanescunt. — Vir (caelibatum pariter observans) dicit, continentiam diuturnam efficere, ut epilepsiae cerebrali subiiciatur, et, non obstantibus remediis ordinariis atque extraordinariis ad se continendum, in talem ac tantum furorem venereum proruat, ut sine respectu et fraeno ullo, quidquid potest committat. — Nunquid licebit pollutiones vel fornicationes facere his de causis? Minime certe. Posito enim principio quod motivo salutis haec liceant, iam (si etiam statueretur standum esse iudicio medicorum) pollutionibus et fornicationibus mundum repleremus. Haec tamen doctrina non impedit quominus confessarii prudentiam adhibeant, et in circumstantiis supra indicatis poenitentes in bona fide (si in ea sint, saltem quatenus credant tunc peccatum non esse mortale) relinquant, et dissimulent.

licitum. Certe autem huiusmodi impulsum dandi nulla vera necessitas adest; non enim verum est quod illae seminis reliquiae sanitati nocumentum afferre possint, ut somniant theologi; quandoquidem paulo post sponte sua exibunt. Cf. Capellmann (*B. II De pollut.*).

Concedendum tamen quod vetitum grave et absolutum impudicitiae directae intelligi debet de impudicitia, quae, etsi sit solum inchoata, aliquam saltem commotionem sensibiliter carnalem includat; non vero si remotissimam dispositionem ad venerem includeret, quae tamquam talis adverti non soleat; nimium enim esset, si de peccato mortali accusaremus, v. g. viros ex hoc solum praecise quod libentius cum foeminis quam cum viris conversentur, vel etiam choreas ducant (quod tamen ex recondito et non considerato libidinis principio provenit, dicente Petrarca: « Libidinem « tolle; choreas sustulisti »). Cf. Frassinetti (*n. 58*).

IV. Praescindendo etiam a degradatione voluntatis supra indicata, in pollutione et impudicitia directe quaesita, malitia gravis reperitur, quia huiusmodi foeditates magnam naturae humanae iniuriam irrogant. Id patet quia sensus intimus clamat, quod polluere personam dormientem, ebriam, doli incapacem, aut dementem, grave non solum contra iustitiam sed etiam contra castitatem nefas est.

737. *Sed quid de duabus rationibus, quae communiter adducuntur; quod scilicet pollutio iure naturae sub gravi, et nullo prorsus excepto casu, vetatur 1° quia in ipsa semen humanum frustratur; 2° quia, si in aliquo casu licita diceretur, homines de matrimonio contrahendo non curarent, et sic humani generis, ope procreationis, conservatio magnum detrimentum pateretur?* R. Hae rationes mihi nunquam satis validae (si nude et praecise solum in se considerentur) visae sunt.

Enimvero frustratio seminis humani in pollutione spadonum et foeminarum non verificatur; non enim verum semen, sed alium humorem eiiciunt. Insuper in impudicitia sine pollutione, nihil seminis deperditur. Praeterea semen superfluum naturâ ipsâ eiicitur. Denique in foeminis verum semen sunt ova, quae in ovariis reperiuntur; unde, si nequidem ad vitam salvandam semen deperdere liceret, iam abscissio ovariorum in foeminis (quae in moderna operatione chirurgica, vulgo *Porro*, peragitur) semper et absolute illicita esset: quod tamen non admittitur.

Quoad secundam rationem autem, Lecompte (*De l'ovulation II.* I *Cap. 3, § 2*) scripsit: « Num istud matrimonii fastidium, quasi generaliter e volu- « ptatibus venereis extra matrimonium inventis sequeretur, affirmari potest? « Minime sane. Qui enim prae fragilitate, prout fit, in miseria libidinis « venereae labuntur, nedum matrimonium inde fastidiant, illud passim vi- « vidius exoptant.... Ipsaemet voluptates, quibus inhiant, eos ad matri-

« monium vehementer alliciunt, cum copula coniugalis illas facilius, ple-
« nius et ad votum naturae suppeditet. Haec praxi quotidiana constant ».

Hinc mihi semper visum fuit quod pollutionis et impudicitiae malitia ex alio capite (saltem principaliter) deduci debeat; et nunc video ita sentire quoque cl. A. Eschbach acerrimi ingenii virum, qui quaestiones difficillimas, quarum solutio aetate nostra interest, animose aggreditur, et felicissime solvit. Vide praeclarissimum eiusdem opus, cui titulus *Disputationes physiologico-theologicae* (*Disp. IV C.* IV *a. 1*).

738. *Quid de illis matribus et nutricibus, quae, ut infantem a fletu quiescere faciant, tantillum delectationis ei procurant, illius genitalia tangendo?* Hoc, si saepe fieret, pessimas consequentias haberet; an autem in aliquo casu raro factum naturae humanae valde iniuriosum sit, et de mortali peccato (ratione libidinis directe procuratae) incusari debeat, iudicent alii.

739. *Inter pollutionem ex vero semine, et pollutionem ex alio humore (ut in spadonibus et foeminis) adestne differentia specifica?* Negative. Infertur ex dictis *n. 737*; et confirmatur auctoritate S. Ligorii, qui (*n. 476*) scripsit: « Pollutio spadonum et puerorum.... nihil differt « a pollutione adultorum ». Nonnulli theologi (ut videre est apud Ballerini *n. 429*) contra sentiunt; sed non sunt audiendi.

740. *Inter pollutionem, et plenam satisfactionem libidinis* (*it.* sfogo) *quae sine ulla humoris emissione sensibili in quibusdam contingit, adestne differentia specifica?* Negative. Ratio est ut supra.

741. *Inter pollutionem seu libidinis satisfactionem completam, et* ***distillationem*** *seu libidinis satisfactionem incompletam, adestne differentia specifica?* Affirmative ex communi sensu.

Dicente tamen poenitente: *me tetigi*; si constet quod vere malitiose se tetigerit, praesumendum est quod actum ad suum finem naturalem perduxerit, et sic se polluerit; unde (sive de viris sive de foeminis agatur) interrogationes de re ista omittendas esse dicerem.

Verum est quod aliqui actum interrumpunt, etsi malitiose illum incoeperint; sed exinde confessarii obligari nequeunt ut omnibus et singulis, qui se tetigisse confitentur, circa hanc ipsam interruptionem in confessionibus ordinariis interrogationem superaddant (Cf. Frassinetti, *Diss. XI n. 14*).

Foeminas dicentes se tetigisse aliqui confessarii interrogant an se madefactas senserint. Sed haec interrogatio praeterquamquod non est necessaria (iuxta modo dicta) et male sonat, ad cognoscendum utrum adfuerit pollutio non tuto deservit; foeminae enim saepe saepius aliis de causis se madefactas sentiunt, etsi nec pollutio nec quidquid venerei acciderit. Sed veniamus ad alia.

742. *Pollutio, quae procuratur sive propriis manibus, sive concumbendo super obiectum inanimatum, sive utendo aliquo instrumento, sive simpliciter proprio corpori impulsum dando, sive ex industria et in hunc finem de rebus venereis cogitando, estne semper eiusdem speciei?* Affirmative; hae enim differentiae, excepto casu *n. seq.* indicando, in genere morum parum vel nihil influunt.

743. *Quandonam igitur practice in pollutione aderunt* ***differentiae specificae?*** Differentia specifica adesset, si pollueretur voto ligatus, vel coniugatus; aut si in eo actu, v. g. vir foeminam desideraret, et multo magis si particularem personam (quae posset esse coniugata, consanguinea, Deo dicata etc.) concupisceret. Advertendum tamen quod desideria ista faciliter accidunt quidem in adultis; non vero in adolescentibus, qui ideo hac de re, speciatim explicite, interrogari non debent, ne in hanc malitiam coniiciantur. Dixi *speciatim explicite*; si enim, v. g. ad decimum quintum annum pervenerint, et quoad personas diversi sexus malitiam ostenderint, bene esse poterit si in genere interrogentur, an aliquam cogitationem pravam tunc in mente habuerint.

744. Pollutio non raro etiam *tactibus alienis* procuratur. Casus magis practici sunt 1° Quando quis se polluit manu vel pede personae eiusdem sexus (quae posset etiam esse non compos sui, v. g. ebria, dormiens, demens etc.). 2° Quando idem fit manu personae diversi sexus. 3° Quando quis pollutionem directe in se procurat, tangendo aliam personam (pariter eiusdem vel diversi sexus), aut genitalia brutorum. 4° Quando (proh nefandum!) mulier linguâ viri aut vir sive foeminae sive alterius viri ore se polluitur (hic tamen modus inter solutos accidit raro. sed est frequens inter coniuges). 5° Quando foemina (horribile dictu, sed non adeo rarum!) efficit ut canis sua lingua eam polluat.

Theologi pro certo habent quod pollutio tactibus propriis procurata, a pollutione, quae tactibus alterius personae *sui compotis* procuretur, specie differat. Quoad alia non conveniunt. Sed, quidquid sit de hoc in theoria, in praxi certum est quod poenitentes, hos omnes modos distinguere solent; unde videtur quod practice (attenta hac communi fidelium conscientia) modi isti tamquam specie distincti considerari debeant; multo magis quia plures

theologi etiam magni nominis ita sentiunt. Vide Salmant. (*VII 9*); Sporer (*n. 637*); S. Lig. (*n. 474*), et Diana (*I.* VII *Res. 142*).

Interrogationes tamen circa res abnormes (it. *stravaganti*) non esse faciendas, propter periculum nedum scandalizandi sed etiam offendendi poenitentes, unusquisque videt; et si quando viderentur necessariae ad subveniendum verecundiae et difficultati alicuius, a longe et modestiori modo possibili fieri deberent.

745. *Sicut seipsum, ita et aliam personam polluere estne mortale?* Affirmative. Hinc 1° qui sinit ut ab alio polluatur, et vicissim alium polluit, non unum sed duo peccata committit. 2° Medici pharmacum ad pollutionem procurandam directum (quamvis aegroti medela id forte exigeret) dare non possunt. Cf. Diana (*VI Res. 15*).

§ II.

De pollutione et delectatione venerea, cui quis consentit.

746. Saepe motus venerei, quamvis non quaerantur, sponte sua insurgunt; et tunc accidere potest quod homo delectatione seductus illis consentiat: quod certe mortale est.

747. *Sed* ***quomodo cognoscitur consensus?*** Practice qui motibus venereis consentit, manibus uti aut saltem naturae aliquem impulsum praebere solet. Si itaque poenitens fateatur se nihil huiusmodi fecisse; tunc (nisi de contrario aperte constet) bene de ipso praesumendum est.

Sed quid si dicat naturae impulsum dedisse, aut manibus usum fuisse? Tunc ordinarie consensus aderit. Dico *ordinarie;* notanda enim sunt sequentia.

748. Quoad impulsum, interdum vis naturae est tanta, ut motus non solum in partibus genitalibus sed etiam in toto corpore accidant et rem ad suum terminum perducant, quin voluntas ullo modo deliberate concurrat; imo quamvis toto nisu resistat et motus ipsos impedire fortiter procuret. Tunc itaque impulsus esset quidem physicus sed non deliberatus. et motus essent quidem in corpore, sed ex volun-

tatis imperio seu consensu minime provenirent. Datur etiam casus impulsus procurati, sed ad alium finem. Pia persona, v. g. motus venereos patitur frequentissime, simulque stante (ex morbo) difficultate satisfaciendi necessitatibus naturalibus, in hunc finem dare cogitur impulsum; qui dictos motus adauget quidem, sed praeter intentionem. Idem dic de illis qui crurem crari superponendo (vel solum respirationem trahendo, digitum movendo, etc.), eundem effectum experiuntur.

749. Quoad manuum usum, interdum accidere potest quod non propter delectationem, sed propter aliquam necessitatem (v. g. ad munditiem procurandam vel ad pruritum morbosum sedandum) partibus genitalibus manus applicentur; et tunc pariter praeter intentionem pollutio accidat. Accidere etiam potest quod manus actu primoprimo et prorsus indeliberato illuc accedant; et, quamvis statim amoveantur, pollutio subsequatur.

750. Haec prae oculis habeant confessarii, ne quosdam pios poenitentes, qui ex una parte (sive ex seminis abundantia, sive ex fibrarum relaxatione, sive ex quibusdam aliis morbis) huic miseriae assidue subiiciuntur, et ex alia sensum cum consensu confundunt, de peccato mortali indistinctim damnent et in desperationem coniiciant.

751. In praxi, ad distinguendum an aliquis ex his poenitentibus de culpa incusandus sit necne, prodesse solet eum sic interrogare: Cognovistine te male facere, et nihilominus erasne sic dispositus ut in corde tuo quasi diceres: etsi hoc sit malum, illud facere volo? Huic interrogationi poenitens, respondere potest affirmative, aut negative, aut sub dubio. In primo casu iudicandum erit intervenisse consensum; in secundo non; in tertio conscientiam poenitentis fuisse obnubilatam et confusam, atque adeo tunc quoque peccatum mortale minime adfuisse.

752. Neque dixeris haec non esse credenda, et hanc doctrinam esse laxam. S. Lig. (*V De pecc. n. 3*) dicere non dubitavit: « Potest autem intellectus ita rapi a dele-« ctabilitate obiecti oblati, ut nihil malitiae moralis in eo « advertat ». Et prius Tamburini (*Dec. VII.* VII *19*) scripserat: « Oro ut animadvertas, an saltem te excusare possis

« ex eo capite, quod notant communiter Doctores, delecta-
« tionem peccati luxuriae mentem hominis miris modis ob-
« fuscare, et illam in eo momento effusionis seminis, quasi
« bestiis similem reddere. Si ergo tu, partim ex somni
« reliquiis, partim ex delectatione, quam sentis, tui per-
« fecte compos non es, peccati, saltem mortiferi, reus non
« eris ». Et S. Thomas (*l. 2, q. 77, A. 2*) scripsit: « Ali-
« quando, cum passiones multum intenduntur, homo amittit
« totaliter usum rationis » et (*A. 7*) subiungit: « Passio
« quandoque est tanta, quod totaliter aufert usum rationis,
« sicut patet in his qui propter amorem vel iram insaniunt;
« et tunc, si talis passio a principio fuerit voluntaria, im-
« putatur actus ad peccatum, et est voluntarius in sua
« causa.... Si vero causa non fuerit voluntaria...., actus
« omnino redditur involuntarius, et proinde totaliter a pec-
« cato excusatur. Quandoque vero passio non est tanta
« quod totaliter intercipiat usum rationis; et tunc ratio
« potest passionem excludere.... vel impedire ne suum con-
« sequatur effectum...., unde talis passio non totaliter ex-
« cusat a peccato ».

753. Magnam anxietatem interdum ostendunt piae foeminae dicendo: — Mihi videtur quod libentius cum viris quam cum foeminis immorer; et quod libentius apud meum ordinarium confessarium quam apud alium confessionem faciam. — Item pii sacerdotes interdum dicunt in confessione: — Mihi videtur quod libentius mulierem quam virorum confessiones audiam, et quod quasdam materias libentius audiam aut legam quam alias. — Credendumne est quod isti sic affecti delectationibus carnalibus consentiant? R. Si personae istae carnalibus delectationibus consentire in aliis occasionibus non soleant; si insuper ex necessitate vel convenientia et cum debita discretione praedictis actionibus incumbant; si demum fateantur quod a motibus carnalibus (si forte insurgant) abhorrere nituntur; tunc nullum adesse consensum decidendum erit. Rectissime scripsit Ballerini (*n. 173. 2 not. a*): « Quod quis propensius ver-
« setur...., id non deliberatae delectationis indicium est, sed
« humanae infirmitatis; et licet reiiciatur delectatio, qua
« appetitus inferior sollicitatur, hoc non impedit quominus

« infirma natura ad eiusmodi magis quam ad alias ma-
« terias versandas inclinetur »; et notat quod haec infirmae naturae inclinatio in iis, qui proprias passiones sub fraeno tenere solent, vividior esse consuescit.

§ III.

De pollutione et delectatione venerea, cui quis aliquâ suâ actione ex alio fine factâ occasionem praebet, sine gravi periculo consensus.

754. *Hoc in puncto estne aliquid* ***praenotandum?*** Quantum oportet ut pollutio directe intenta severissime interdicatur, tantundem necessarium est ut quoad pollutionum et delectationem veneream praeter intentionem contingentem mitius procedatur; secus enim, quum ex plurimis actionibus necessariis, utilibus, honestis aut leviter inhonestis, motus carnales vel pollutiones oriri possint, lex divina nimis dura et via salutis nimis impervia evaderet; imo maioribus inordinationibus (valde utilia aut omnino necessaria impediendo) aditum aperiret. Attamen remanent casus, in quibus expedit atque oportet ut modo sub gravi et modo sub levi libidinis occasiones interdicantur; praecipue quidem si adsit grave periculum consensus, sed interdum etsi periculum istud minime subsisteret.

755. Grave periculum consensus deesse posset speciatim si pollutio solum in somno accideret, aut si motus carnales forent leves aut rari, aut si utcumque persona ex propria experientia sciret, contra res huiusmodi abominationem semper habere et non consentire.

Supponendo autem quod grave periculum consensus non adsit, regulae sequentes statui debent.

756. **Regula I.** *Imprimis ad pollutionis malitiam formalem contrahendam necessarium est advertere illam esse secuturam.* Scripserunt Salmanticenses (*XXVI*, VII *39*):
« Qui penitus non cognosceret aut non adverteret virtu-
« tem praedictae causae (aut fortasse, esto adverteret, pru-
« denter crederet, in circumstantiis tunc occurrentibus
« dictum effectum hic et nunc non fore subsequendum)

« non est dicendum quod tunc velit pollutionem ex quo « causam applicuerit; nec ipsa, si forte praeter spem se-« quatur, habenda est ut voluntaria ». Idque verum esset, quamvis causa ipsa in se culpabilis fuisset (v. g. ebrietas), si nempe quis peccasset in illa ponenda, sed malum effectum secuturum minime praevidisset, ut bene notat Lessius (*IV.* III *97*).

757. **Regula II.** *Actiones, quae tum ex natura propria sunt determinatae ad libidinem, tum ex dispositione subiecti in libidinem influunt vehementer, non obstante absentia periculi consensus, ratione pollutionis praevisae, sub gravi (seclusa iusta causa) interdicuntur.* Huiusmodi occasiones essent, v. g. tactus in partibus obscoenis personae diversi sexus; aspectus personae plane nudae pariter diversi sexus; cogitatio practica vivacior de venereis, etc.

Attamen considerandae sunt circumstautiae; saepe enim differentia influxus non solum a dispositione subiecti, sed etiam, v. g. ab aetate personae visae vel tactae, a duratione vel fugacitate actus, a diversitate motivi, etc. pendere potest. Sic, v. g. aliud est tangere personam adultam et aliud tangere infantulum (Scavini, *n. 790*); aliud est morose et ex casu praemeditato, et aliud obiter et casu fortuito personam nudam aspicere; aliud est legere turpissima ex mera levitate, curiositate, vel solatio, et aliud eadem legere ex studio (v. g. physiologiae), etsi non necessario (Lessius *IV.* III *118*). Hinc notat Sanchez (*IV.* XLI *20*) quod si quis deliberate quidem sed fugaciter fornicationis desiderium conciperet, peccaret quidem mortaliter, sed ratione desiderii ipsius, non vero pollutionis. Idem dicit Sporer (*n. 654*) de tactu turpi quidem sed fugaci. Vide etiam Lessium (*IV.* III 62).

758. **Regula III.** *Actiones quae plus vel minus (et fortasse etiam graviter vel gravissime) in libidinem influunt, ratione pollutionis praevisae, vel etiam hic et nunc contingentis, non interdicuntur, dummodo ex necessitate vel ex causa proportionata ponantur.* Exempla habemus 1° in medicis et chirurgis, qui foeminis medentur. 2° In confessariis qui pro suo ministerio turpissima audire coguntur. 3° In studio necessario (vel ex rationabili causa suscepto)

anathomiae, obstetriciae et picturae; item in studio (quoad confessarios) circa sextum praeceptum et usum matrimonii. 4° In iis quibus cura incumbit inserviendi sive infirmis sive in balneis. 5° In visu minime curioso concubitus animalium, si difficile esset a tali visu abstinere, prout contingeret in illis qui equos vel tauros coniungunt. 6° In colloquiis moderatis et cautis cum personis diversi sexus ex necessitate vel urbanitate vel sine ulla malitia. 7° In osculo, vel amplexu, vel manus apprehensione ex more patrio. 8° In choreis aut aliis iocis honestis ex convenienti recreatione habitis. 9° In osculandis pueris (discretione tamen et recta intentione servata). 10° In equitatione sive ex necessitate sive ex utilitate sive etiam ex sola honesta recreatione suscepta. 11° In illis qui pollutionem patiuntur, eo quod, ex sincero motivo commodius quiescendi, supini vel proni decumbant; et multo magis si secus dormire nequirent (non tamen quia solum pollutione secuta dormire possint). 12° In illis qui propter convenientem (quamvis lautam) coenam in somno polluuntur. 13° In actionibus, quae ob proprii corporis necessitates peraguntur, v. g. ad munditiem procurandam, vel ad morbosum pruritum extinguendum. Haec regula est iuxta doctrinam S. Lig., qui (*n. 483*) scripsit: « Si actiones (etiam graviter influentes) ponantur « ex causa necessaria vel utili vel convenienti animae aut « corpori; tunc pollutiones ex ipsis provenientes, adhuc « praevisae, non sunt peccata, dummodo absit consensus, « vel eius periculum ». Quid autem dicendum sit, si huiusmodi periculum grave subsisteret, videbimus infra.

759. Quid si causa non esset iusta prorsus, sed utilitatem notabilem et multum serii praeseferret? Respondet Lessius (*IV.* III *118*): « Si causa non sit quidem iusta, « tamen aliquid commodi vel humanae utilitatis habeat, ra« tione cuius illi actioni incumbitur, erit quidem pecca» tum; probabile tamen est non fore mortale; modo affectu « illam (delectationem) detesteris, et prudenter confidere « possis te non consensurum.... Exemplum sit in studio « curioso artis medicae vel anathomicae ».

760. **Regula IV.** *Actiones quae, etsi ex natura propria in libidinem nullo modo influere soleant, et proinde*

in se licitae reputentur, nihilominus per accidens graves motus carnales vel pollutionem producerent; aliquam eas evitandi obligationem inducerent, si facillimo negotio evitari possent, et alia media non sufficerent. Scripsit Sanchez (*IV*, XLV *21*): « Quando praevidetur (pollutio) in causis « licitis, et illae non vitantur, cum nulla adsit utilitas, exi- « stimo esse peccatum veniale contra castitatem; quia ali- « quantulum illa offenditur, non vitata pollutione illa turpi « eiusque inimica, nulla utilitate cogente ad causam illius ». Et Lessius dixit (*IV*. III *100*): « Etsi ille effectus (pollu- « tionis) non sit ita per se malus ut adulterium, homici- « dium, etc.; tamen habet indecentiam et mentem ad malum « allicit; ergo, quantum commode possumus, vitare tene- « mur.... Quod confirmatur communi sensu et usu omnium « castitatem amantium, qui semper ab eo multum ab- « horrent ».

Si tamen casus huiusmodi saepe interveniret, et proinde quis saepe praepediretur ab actionibus suis honestis prosequendis; iam ex hoc ipso incommodum (quod certe ab hac etiam culpa veniali excusaret) suboriretur. Exemplum est in illis quibus simplex visus cuiuslibet personae diversi sexus, vel colloquium, etc. sufficit saepe saepius ut polluantur.

761. **Regula V.** *Actiones, quae ex natura propria in libidinem graviter non influant, ratione pollutionis praevisae, etsi forte sub levi evitari* (*ut supra*) *debeant, certe sub gravi (praescindendo semper a casu periculi consensus) non interdicuntur.* Ratio est quia ex una parte occasiones in libidinem non graviter influentes sunt nimis frequentes magnumque horrorem non inducunt; et ex alia motus carnales et pollutio non sunt mala ita gravia prout essent, v. g. homicidia, adulteria, etc.; unde non expedit ut peccatum mortale ad casus voluntarii in causa etiam valde imperfecti extendatur, ut bene observat Lessius (*IV*, III *101*). Patet etiam ex doctrina theologorum; unde S. Lig. (*III 484*) scripsit: « Sententia communis et probabilior « docet, pollutionem non esse mortalem, nisi proveniant ex « causa per se mortali in genere luxuriae ».

Neque obstat si causa esset mortalis in alio genere; unde scripsit idem S. Lig. (*l. c.*): « Non esse mortalem « pollutionem quae praeter intentionem accidit ex causis « illicitis adhuc mortaliter *in alio genere* quam luxuriae, « puta ex ebrietate, vel ex comestione carnis nimis immo- « derata, aut in die vetito ». Ratio est quia, etsi hae postremae causae graviter influere possint et soleant in luxuriam ex sese, tamen hoc est per accidens quatenus non ad illam, bene vero ad nutrimentum, sunt determinatae.

762. *Quid de actionibus, quae ex natura propria ad libidinem sunt determinatae graviterque influunt, sed in subiecto levem influxum habere solerent? Quid, inquam, si raro vel rarissime in subiecto ipso motus carnales vel pollutionem, praeter intentionem, excitarent?* Tunc pollutio non nisi valde imperfecte esset voluntaria in causa, et proinde peccatum mortale locum non haberet. Casus accidere posset, v. g. in sene vel frigido. Ita docent Salmanticenses (*XXVI.* VII *41*), qui aiunt: « Si in aliquo « corpore, ratione infirmitatis aut mortificationis carnis vel « alterius causae, sit positiva indispositio ad venerem, esto « illi applicentur causae, quae alias ex se graviter in pol- « lutionem aut in carnalem delectationem influunt respectu « aliorum corporum, quae sunt ad lasciviam disposita; ni- « hilominus respectu illius praedictae causae non erunt « graviter influentes ad pollutionem, sed solum leviter, aut « nullo modo, sive erunt causae materialiter tantum de « genere luxuriae; quapropter communiter, etsi illas ap- « plicet, ratione earum influxus in pollutionem, mortaliter « non peccabit ». Hoc tamen intellige ratione solius pollutionis praecise, non vero ratione periculi, scandali etc.

763. *Quid de praedictis actionibus graviter quidem influentibus tam ex natura propria quam in individuo, sed absque plena advertentia positis; prout in delectatione morosa rei turpis facile contingere posset?* Tunc quoque pollutio ad culpam quidem venialem sed non mortalem imputari poterit; ut docet Sanchez (*IX.* XLV *18*).

764. *Quid de actionibus, quae ex natura propria in libidinem non graviter aut non proxime influunt; sed in subiecto graviter influerent?* Resp. 1º Sunt qui actionibus

etiam honestissimis et a venere excitanda remotissimis (v. g. ex abrasione barbae) facillime ad libidinem commoventur; et hi certe ab actionibus iisdem abstinere non tenentur. 2º Sunt qui equitando, aut in coena vinum (etsi moderatissime) bibendo, pollutionem patiuntur. Hi quoque (ratione pollutionís praecise) de peccato incusari non debent, etsi forte satis commode a praedictis actionibus abstinere possent. 3º Loquendo autem de actionibus per se leviter influentibus atque adeo leviter peccaminosis in genere luxuriae, S. Lig. (*III 484*) dicit, non adesse obligationem gravem eas evitandi, et exemplum dat in lectione leviter turpi, vel in colloquio cum foemina leviter obscoeno; quamvis ex his pollutio frequenter sequeretur. Si autem ageretur de actionibus, quae non omnino leviter sed mediocriter influere solent, prout sunt (ait) curiosa lectio turpis, aspectus picturae obscoenae vel coitus animalium, tactus propriorum verendorum aut alterius ex levitate et similia; tunc distinguit inter pollutionem raro et frequenter evenientem; et dicit obligationem gravem huiusmodi actiones evitandi adesse si pollutio frequenter, non vero si raro accidat. Ego confusionem aliquam in ista S. Ligorii decisione intervenisse crederem; et dicerem quod curiosa lectio turpis, aspectus picturae obscoenae vel coitus animalium, tactus verendorum etc. possunt esse ex natura propria (et iuxta communiter contingentia) venialia vel mortalia iuxta diversas circumstantias obiectivas, et speciatim iuxta moram et frequentiam; unde ipse S. Lig. (*III 425*) rectissime scripsit: « Virum *morose* aspicientem pudenda mu- « lieris depictae difficulter puto excusari a mortali ». Et subiungerem quod, semper ac res sit de actione, quae, consideratis etiam illius circumstantiis obiectivis, vere consideranda sit tamquam ordinarie non graviter et non proxime influens in libidinem, peccatum mortale recognosci non debeat; et quod proinde distinctio inter influxum levem omnino et levem non omnino, praetermitti posset; sicut reapse auctores S. Ligorio antiquiores (v. g. Sanchez *IX*. XLV; Sporer *Theol. sacr. IV 548* etc.) illam praetermiserunt.

Regula itaque est quod, secluso periculo consensus, pollutio solum in causa praevisa, eo gradu mala erit quo

mala est (in genere luxuriae) causa ipsa et non amplius. Idque verum est quamvis non in somno sed in vigilia pollutio accideret; unde scripsit Sanchez (*l. c. 19*): « Aliqui « temperant hoc, nisi perseveretur in praedictis rebus ve- « nialiter turpibus, sentiaturque vehemens commotio appe- « titus et periculum pollutionis proximum, etiam absque « consensus periculo; tunc enim dicunt esse mortale.... Sed « displicet limitatio ». Unusquisque tamen videt quod in tali casu (maxime si ageretur de re frequenti) periculum consensus facile potest esse grave; et quod, eo etiam secluso, aliqua obligatio libidinem positive cohibendi superesse potest, ut melius infra (*n. 770 et seqq.*) explicabitur.

§ IV.

De pollutione aut venerea delectatione, cui quis occasionem praebet cum gravi periculo consensus.

765. Imprimis nulla est difficultas pro casibus in quibus, secluso etiam periculo consensus, occasio evitari deberet iuxta dicta *n. 757*. Loquendo itaque de aliis casibus, regula generalis est quod, subsistente periculo consensus, homo quantum potest illud evitare debet. At vero in hunc finem non semper tenetur occasionem vitare; interdum enim aut sufficerent alia media, aut ipsa occasionis evitatio aliis periculis aequalibus vel gravioribus locum daret, aut obligatio illam evitandi non solum imprudenter imponi, sed etiam per se incongrua esse posset. Veniendo autem ad particularia, regulae principales sunt sequentes.

766. **Regula I.** *Si occasio sit necessaria, quatenus scilicet absque gravi incommodo evitari nequeat, tunc ordinarie nulla eam evitandi obligatio adest; sed solum alia media ad periculum destruendum, vel saltem imminuendum, adhiberi debent.* Hinc scripsit S. Lig. (*III 483*): « Quid « si chirurgus in foeminis medendis aliquoties misere con- « senserit in pollutionem, an teneatur officium derelinquere? « Probabile est quod non teneatur, modo proponat debitis « mediis se munire.... Idem dicitur de parocho, qui in eam- « dem miseriam pluries lapsus fuerit in audiendis confes-

« sionibus ». Casus autem, in quo quis huiusmodi occasiones *necessarias* evitare teneretur, non nisi rarissimus et vix practicus esse potest. Vide *De occasionariis* (*Ed. V n. 74, 76. 102*).

767. *Quid de illis, qui, propter specialem ad venerem proclivitatem et fragilitatem, in iis quoque rebus, quae pro aliis parum periculosae vel etiam omnino indifferentes essent, non solum motuum carnalium sed etiam turpis consensus occasionem inveniant?* Hi certe non tenentur evitare occasiones sive (ut supra) necessarias, sive ex una parte in se honestas et ex alia valde obvias et multas; id enim grave imo gravissimum et intolerabile incommodum constitueret, atque obligatio huiusmodi in maius periculum et in desperationem illos coniiceret. Ipsi tamen ad maiorem cautelam certe tenentur, et bene contingere potest quod etiam sub gravi obligentur, ubi alii sub levi vel nullatenus obligarentur. Decisio in his casibus difficilis admodum esse solet, et res solo iudicio et prudentiae confessarii relinqui debet.

768. **Regula II.** *Etsi occasio sine gravi incommodo evitari posset, sententia de obligatione illam evitandi (maxime statim et sub gravi) praecipitari non deberet, si, attenta eius utilitate et fine operantis, ordinarie licite exerceatur et prorsus honesta reputetur (si nempe, secluso periculo consensus, licita foret); tunc enim facile sufficere potest, si ad consensus ipsius periculum extenuandum alia media teneantur.* Casum habes 1° In confessario ex charitate confessiones audiente. 2° In medico vel chirurgo, qui, etsi non ex necessitate, tamen non sine pauperum utilitate, suam artem exerceret. 3° In studio quorumdam auctorum classicorum, in quibus subinde lasciva quoque occurrunt (nisi sint prohibiti), vel in studio physiologiae, aut picturae etc., sive propter eruditionem sive propter ad huiusmodi studia inclinationem, dum interim otium evitatur. 4° In equitatione ex honesto solatio etc.

769. **Regula III.** *Si occasio, praescindendo etiam a periculo consensus, a quavis culpa immunis non esset sed sub levi interdiceretur; periculo isto et quidem gravi accedente, sub gravi evitari deberet, saltem ordinarie;*

nisi scilicet (quod difficile erit) tunc quoque periculum aliis mediis eliminari posset. Hinc scripsit S. Lig. (*III 482*), a peccato gravi excusari non posse pollutionem ortam « ex actionibus, quae, licet sint veniales per se et ex ob- « iecto, evadunt tamen mortales ratione periculi proximi « consentiendi in eius turpem delectationem. Hinc dicen- « dum non excusari a malitia pollutionis, qui polluitur ex « diuturno colloquio cum puella a se inordinate dilecta, « saltem ob periculum consensus ». Idem dic si periculum istud ex lectione otiosa librorum eroticorum et aliqualiter turpium oriretur, aut ex aspectu paullo liberiori et minus honesto etc.

§ V.

De libidine, quam quis nullatenus vel non satis cohibet.

770. *Quomodo possibile est motus carnales cohibere?* Partes genitales interdum quidem ex imperio voluntatis, sed non raro sola vi naturae vel ex causis ex alia intentione appositis (et naturam ipsam plus vel minus excitantibus) commoventur. Postquam autem sive naturaliter sive etiam voluntarie commotae fuerint, si forte voluntas cessationem vellet, ordinarie illam (saltem statim et perfecte) obtinere non potest; non enim sicut manus vel pedes etc. partes genitales voluntati obediunt (Cf. Ball.-Palm. *Tr. IV n. 214*). In arbitrio nostro est tantummodo 1° Motus venereos non excitare voluntarie. 2° Iisdem naturaliter excitatis non consentire. 3° Actus in contrarium efficere et positivam resistentiam adhibere ad illos plus vel minus cohibendos et sedandos.

771. *Quinam et quando actus in contrarium sub obligatione cadere possunt?*

I. Qui motus venereos experitur, debet sub vera obligatione ante omnia removere causam seu occasionem, casu quo iam (iuxta supradicta) sub gravi vel sub levi illam removere teneatur. Exemplum habes si quis propter cogitationes et imaginationes (quae utique occasio potissima esse solent), aut propter aspectus, vel lectiones turpes (et non

necessarias), aut colloquium plus vel minus reprehensibile, speciatim cum personis diversi sexus, aut denique propter corporis compositionem suapte natura obscoenam hos motus experiretur.

II. Si motus venerei ex una parte sola vi naturae provenirent causamque culpabilem non haberent, et ex alia parvi momenti nec de consensu periculosi forent, tunc persona posset de illis non curare; imo S. Lig. (*V. 8*) dixit: « Si motus sint leves, *melius erit* illos contemnere « sine positiva resistentia ».

III. Si autem essent graves (si nempe cum delectatione vehementi coniuncti forent), tunc resistentia positiva exigeretur. Nunquid sub gravi? Doctrina generalis est quod, « cessante periculo consensus, est veniale non resi- « stere positive motibus illicitis (passionum), sed non mor- « tale » S. Lig. (*V 6*). Quum tamen practice admodum difficile sit quod vehemens delectatio venerea ab huiusmodi periculo gravi seiungatur; ideo, moraliter loquendo, pro obligatione gravi tunc standum esset, ut ipse S. Lig. (*l. c. 7*) rectissime docet.

IV. Sed haec resistentia positiva in quo consistit? Ad minus exigitur semper vigilantia specialis, seu attentio et propositum firmum non consentiendi, nec dandi impulsum deliberatum etc. Hoc positivae resistentiae aequivalere et sufficere potest, speciatim quando, propter attentionem alicui negotio tunc praestandam (prout medicis, confessariis etc. accidere potest), nihil aliud facile fieri valeret (S. Lig. *l. c. 9*).

Caeterum ordinarie exiguntur aliqui actus, qui positive et stricto sensu sint in contrarium, cuiusmodi sunt, v. g. displicentia et abominatio illius turpitudinis; invocatio divini auxilii et signum crucis; diversio mentis ad alia (et speciatim cogitatio de praesentia Dei, de morte etc.); imo ordinarie etiam a parte corporis aliquis actus contrarius exigitur v. g. nonnihil mutando locum, et in lecto ad aliud latus se vertendo, idque maxime si persona inhoneste (ut supra innuebam) aut periculose (corpore vel cruribus) composita esset, ut puta, si mulier supina (vel peius) aut vir sive supinus sive (quod facile periculosius)

pronus esset. Uno verbo, persona tenetur ad resistendum eo modo, qui unicuique molestiam illam impedire vel imminuere volenti, facile menti occurrit, et veluti a natura ipsa suggeritur.

V. Tenetur, inquam, sed discrete; interdum enim resistentia vividior tentationem non iam diminueret sed augeret, atque illam diuturniorem redderet (S. Lig. *V 9*); praeterea obligationes nimis difficiles facile ex se ipsis (propter transgressiones) peccandi periculum adaugerent. Hinc scripsit S. Lig. (*l. c. 9*): « Quando tentatio diu du- « rat, et nimis molestum foret motus positive repellere, « nullum peccatum est eos permittere, negative se ha- « bendo ». Et Sanchez (*IV*, XVII *16*) agens de pollutione iam incoepta et semine iam e lumbis deciso (quo casu rei exitum impedire difficillimum et fere impossibile esset), subiunxit: « Expedit communiter tunc manibus quietis « signo crucis se munire et Deum attente ac ferventer « orare, ne permittat lapsum in eam delectationem. Adde « idem esse ubi pollutio coepit culpâ patientis; si enim « in ipso fluxu praeteritae culpae eum poeniteat, non « tenetur fluxum reprimere ».

VI. Qui resisteret quidem positive, sed tepide et negligenter, non ideo ordinarie mortaliter sed solum venialiter peccaret. (Cf. S. Lig. *V 9*). Haec tepiditas provenire potest etiam ex quodam affectu ad causam otiosam vel leviter peccaminosam (v. g. cogitationem de re non turpi sed minus honesta). Aliud esset si affectus causam graviter peccaminosam vel ipsam delectationem veneream respiceret. Cf. Ball.-Palm. (*l. c. n. 219*).

VII. Monent praeterea theologi passim quod, si ex praeterita experientia constaret, periculum consensus omnino superesse, tunc alicuius maioris resistentiae experimentum fieri deberet. S. Lig. (*III 479*).

772. *Quaenam media ad motus carnales cohibendos maiori efficacia deservire possunt?* Indicantur speciatim sequentia. 1° E lecto desilire, paullulum orando vel scuticam (it. *disciplina*) adhibendo. 2° In lecto sedere, vel saltem in lecto ipso frigidiorem locum quaerere (attamen recolenda sunt dicta *n. 771 V*). 3° Balneum frigidum in

genitalibus; sicut enim calida accendunt, ita frigida extinguunt libidinem.

S. Ligorius addit quartum remedium, inquiens (*V 8*): « Ad repellendas tentationes carnales, valde prodest (ut « commotiones compescantur) partes commotas vestibus « (scilicet subucula) tegere ac comprimere »; (N. B.) non confricare, sed comprimere; eas scilicet in vertice premendo, ut et donec ad proprium locum sensim sine sensu redeant. De remedio isto alii theologi mentionem non faciunt, et iure; ex una parte enim in praxi poenitentibus difficile indicari valet sine periculo quod perperam intelligant aut scandalizentur; et ex alia facillime manstuprationis periculum inducere et sic multo magis in malum quam in bonum deservire potest. Cf. Ballerini (*l. c. 212*).

Potius recurri poterit ad aliud remedium, quod apud nullum auctorem inveni; sed subinde plusquam alia omnia facile simul et efficax est. Consistit in cohibendo respirationem fortiter (quantum fieri valet), muniendo se signo crucis et mentaliter orando. An remedium istud valeat physice an vero (sicut in aliis distractionibus) occasionaliter tantum, nescio; sed certe bonum effectum producere potest; et, saltem si bis vel ter repetatur, motum carnalem nedum diminuere sed prorsus extinguere solet. Hoc autem verificatur tam in masculis quam in foeminis, atque etiam in personis quae valde his tentationibus subiiciuntur, pravamque a longo tempore se polluendi consuetudinem habuerunt, dummodo nunc sinceram se emendandi voluntatem habeant, atque eroticas imaginationes efficaciter reiiciant.

773. *Quid de remediis praeservativis?* Praeter remedia notissima, quae summatim consistunt in fuga omnium rerum quae suapte natura libidinem commovent, Capellmann indicat sequentia: « Imprimis (qui pollu- « tiones valde frequentes patiuntur) evitent lectos plumeos, neve spissiori « se contengat opertorio; ne dormiant supini, sed semper in latus recu- « bantes; cibus vespertinus illis sit levis, non copiosior minimeque cale- « faciens; etiam potus spirituosi praesertim fervidiores, ut vina ac cere- « visiae, et graviora et calida illa citrea « *Punsch* » denominata, vespere « vel omnino non sumantur vel parcissime tantum; denique necessarium « est, non solum vespere sed toto etiam die, ab irritamentis, quantum fieri « potest, abstinere, frequenter deambulando, et, ubi datur occasio, balneis « frigidis uti.... Inter irritamenta localia in genitalibus frequentissimum « est illud quod oritur ex cumulatione smegmatis praeputialis.... Lavatio « praeputio remoto (in coelibibus), singulis hebdomadibus repetita suffi- « ciet incommodum istud eiusque effectum impedire.... Talem lavationem

« interdum stimulum peccati addere posse, negari nequit; at quum smematis accumulatio irritamentum efficiat longe periculosius ac diuturnius, « lavationes illae necessariae sunt, ideoque minime omittendae, praesertim « aestate ». Et prius dixerat: « Vehementer commendo ut vesicam exonerent; vesica enim adimpleta premit atque irritat vasa seminalia; quod « si vesica erit exonerata, irritatio semper valde minuetur ». (*Medicina pastoralis B. II De pollutionibus*). Speciatim quoad foeminas, alia exponentur mox infra.

PUNCTUM VII.

De complacentia, desiderio, proposito et gaudio rerum venerearum in personis solutis.

774. *Quid de naturâ* ***complacentiae, desiderii, propositi*** *et* ***gaudii?*** Cogitans de re venerea (v. g. de pollutione, de copula etc.), si intra se dicat aut quasi dicat *haec res mihi placet*, tunc habet complacentiam; si illam exoptet, tunc habet desiderium; si illam de facto procurare velit, tunc habet propositum; si de illa iam facta gaudeat, tunc habet gaudium.

775. *Circa ista quaenam speciatim sunt notanda?*

I. Propositum deliberatum aliquid mali committendi totam actionis intentae malitiam necessario includit. Idem dicendum est de complacentia, desiderio et gaudio, si sint absoluta. Sed haec possunt esse conditionata, v. g. *mihi placeret peccare cum Olympia, idque desiderarem, si non esset coniugata; ab adulterio enim abhorreo;* vel *gauderem de peccato commisso cum Bertha, si non esset monialis; quod enim tantum sacrilegium commiserim mihi displicet.* Et in his casibus conditio apposita partem malitiae excludit, ut per se patet. Lugo (*De Poen. XVI n. 384*).

II. Conditiones appositae in desiderio (et idem dic de complacentia et gaudio) interdum omnem malitiam *a parte obiecti* excludere possunt; et sic efficere ut desiderium ipsum pro obiecto rem licitam habeat; ut puta, si quis diceret: — Si non essem coniugatus, Liviam ducerem. —

III. Sed, ut desiderium a gravi culpa immune sit, non sufficit ut pro obiecto rem licitam habeat: verum etiam exigitur ut nullum malum praesens sub gravi evitandum producat. Id facile est in aliis materiis, ut puta, si sacer-

dos diceret: — Si non essem clericus, heu quantum mihi placeret militiam exercere et contra Ecclesiae inimicos iusto praelio dimicare! — Sed in materia, de qua agimus, non est ita. Desideria, etsi copulam matrimonialem (atque adeo licitam) respicerent, magnum malum praesens, magnas nempe commotiones magnumque periculum his ipsis consentiendi, producere solent; et sic ex hoc capite, ut plurimum, valde illicita evadunt; unde Caietanus (v. *Cogitationis peccata*) merito dicit has esse tentationes fatuas et diabolicas. Dixi *ut plurimum;* dari enim possunt casus, in quibus neque a parte obiecti neque a parte periculi praesentis grave malum adsit. Hinc iuvenis qui futuram in matrimonio copulam desideret, aut viduus qui de copula olim habita gaudeat; si leviter, obiter et raro, absque fine malo haec in mente haberent, a gravi culpa excusari possent; secus vero si frequenter, aut reflexe et morose (prout practice contingere solet) de his recogitarent, et non copulam in confuso sed delectationem ex copula provenientem cum mora considerarent. Haec omnia sunt iuxta doctrinam Card. De-Lugo (*l. c.*).

776. Petes I. *An liceat optare circumstantias, in quibus delectationes carnales sentiantur absque culpa: quod nempe suscitentur sive naturaliter sive ex causis quas declinare non tenemur?* Negandum omnino. Delectationibus enim carnalibus (quae matrimonii bonis minime compensentur) consentire, tamquam quid indignissimum, mortale peccatum est. Heic autem consensus, et quidem anticipatus adesset. Adde periculum; qui enim sic faceret, quando de facto delectationes optatae suborientur, quomodo a consensu abstinebit? Ita Lugo (*l. c. n. 389*), Sanchez (*Dec. I.* II *n. 18*), Diana (*Vol. VIII.* VI *R. 16 et 17*) etc.

Interdum tamen personae devotae de hoc se accusant, et reatum huiusmodi non contraxerunt, quia sensum cum consensu confundunt, et meram naturae corruptae inclinationem (magno caeteroquin Dei timore refraenatam) patefacere intendunt; sicut accidit in illis qui dicunt: — Si Dei timor me non refraenaret, heu quot mala committerem! —

777. Petes II. *An liceat optare ut non delectatio sed pollutio accidat? Item an liceat de illa iam secuta gaudere?* Resp. Si agatur de pollutione formaliter culpabili; tunc certe desiderium et gaudium ipsius illicitum est. Gaudere quidem possumus de bono effectu, qui forte ex aliquo peccato (etiam nostro) ortus fuerit; sicut gaudere possumus quod Deus propter suam infinitam bonitatem ex ipso malo bonum eruat; sed gaudere de ipso peccato propter bonum effectum, nullo modo licet. Certissimum est enim quod de peccatis a nobis commissis poenitere debemus; sed gaudium cum poenitentia quomodo stare potest?

Si autem agatur de pollutione, quae sine culpa et materialiter eventura sit aut evenerit; tunc, quum desiderium et gaudium nec Dei offensam nec foedam delectationem pro obiecto habeant, deformitas et periculum

quam maxime diminuuntur; unde, si huiusmodi desiderium et gaudium, intuitu notabilis boni effectus (eo quod, v. g. pollutio sive ad morbum impediendum, sive ad magnam tentationem sedandam necessaria sit) concipiantur, a gravi et interdum etiam a levi culpa excusari possunt. Porro theologi hoc in puncto mitiasime loquuntur. De pollutione mere naturali scripsit S. Lig. (*V 20*): « Cum illa non sit obiective mala, licet sibi com« placere, non quidem de delectatione ex ea causata, sed de exoneratione « ob illam obtenta ». Sanchez (*Dec. I.* II *19*) id extendit etiam ad pollutionem provenientem « ex accidenti, ex aliqua causa habente alium effe« ctum, quam non tenetur homo vitare ratione pollutionis subsequendae, « licet inde illam subsequi novit », prout contingeret si ex coena moderata, ex studio utili etc. subsequeretur. Ballerini ulterius progreditur, et (*n. 172 not. 6*) censet, quod iuxta D. Th. licet gaudere de pollutione in somno obventa, quamvis non mere naturaliter, sed ex turpi somnio, motibus et tactibus somnium ipsum consequentibus, acciderit. Demum Lugo (*De Poen. XVI 389*) eo usque processit ut dixerit: « Potes ad finem sa« nitatis gaudere de illa in somno habita; imo et de illa procurata absque « culpa propter ignorantiam invincibilem »; firmâ tamen manente doctrinâ, quod « non liceat delectari de pollutione propter voluptatem quam at« tulit ». Unusquisque tamen videt, cavendum esse ne huiusmodi desideria et gaudia sint adeo intensa, ut grave et omnino evitandum periculum inducant.

ARTICULUS II.

De actibus qui ad luxuriam quidem spectant, sed non essentialiter.

778. Lector reminiscatur de differentia quae inter actus praecedentes et istos (de quibus hic agitur) intercedit. Illos enim *directe* velle et facere sub gravi semper interdicitur; istos vero velle et facere interdum grave, interdum leve, et interdum nullum peccatum est.

PUNCTUM I.

De tactibus impudicis aut minus pudicis.

779. Hi contingere possunt sine necessitate vel cum necessitate 1° in proprio corpore; 2° cum persona diversi sexus; 3° cum persona eiusdem sexus; 4° cum bruto; 5° in foemina quae non tangit, sed tactus patitur.

§ I.

De tactibus in corpore proprio sine necessitate.

780. *Quid de **tactu in propriis pudendis**?* Qui se tangit in pudendis sine necessitate, ordinarie id facit ex malitia, nempe ad pollutionem procurandam vel delecta-

tionem veneream sentiendam; et hcc est peccatum mortale, de quo satis dictum est supra.

Hac tamen malitia seclusa, si nempe quis natura frigidus ex quadam consuetudine sine ullo delectationis sensu circa partes illas, v. g. quando iacet in lecto, manum teneret; aut si quis, ex mero ioco, levitate aut curiositate minime libidinosa, et sine periculo, manum illuc admoveret; tunc venialis tantummodo culpa, propter indecentiam, aderit. (Sanchez *De Matr. VIII.* XLVI *14*, et Lessius *IV.* III 62).

Peccatum tamen esset mortale, si, existente commotione, haec fierent, aut v. g. ex mora, ex frequentia, vel ex complexione valde libidinosa, commotionem ipsam (et maxime si cum periculo consensus) causarent. S. Lig. (*III 419*).

Idem dic de illis stultissimis qui, cessantibus motibus carnalibus, se tangunt ex curiositate atque ad experiendum an iterum exurgant. Cum pueris autem, quamvis delectationem nec quaerant nec sentiant, rigorose procedendum est, et ipsi a consuetudinibus huiusce generis (quae in posterum in mortalium peccatorum abyssum eos coniecturae essent) quam maxime deterrendi sunt.

781. *Quid de puellis* **propria ubera** *tangentibus?* Hi tactus qui in prima adolescentia frequentes esse solent, ex tribus causis tunc provenire possunt; nempe 1° ex curiositate; 2° ex vanitate; 3° ex quadam delectatione, quae tamen in illa aetate minime venerea esse solet, et in illis ipsis partibus sistit. Et quatenus ita sit, solum de veniali peccato agi potest. Idque ordinarie verum esset quamvis adolescentulae ad quasdam indecentias in hoc ipso genere paullo maiores procederent, v. g. ore infantis utendo, vel etiam (quando possibile sit) proprio.

In virginibus autem adultis huiusmodi tactus rarius accidunt, sed, quando accidunt (intellige morose), multo magis periculosi, imo interdum graviter malitiosi, esse possunt. Causae sunt duae: 1° Quia tunc de facili imaginantur et desiderant viros, quasi essent praesentes eosdemque tactus facerent. 2° Quia huiusmodi tactus morose et presse peracti vi propria motus carnales excitare (ma-

xime vero iam excitatos valde adaugere) solent; unde ipsae in hunc pravissimum finem eos peragere possunt; nec desunt quae naturaliter ita sunt dispositae, ut, si hoc medio non uterentur, vix aut ne vix quidem commoverentur. Verissime scripsit Clemens Alex. (*Paedag. l. VI 44*): « Ex omnibus membris maximum habet consensum ubera « cum matrice ».

Attamen in re huiusmodi, quum casus peccati mortalis non sit frequens, interrogationes ordinarie non sunt faciendae.

§ II.

De tactibus in corpore proprio ex necessitate.

782. *Casus huiusmodi* **necessitatis** *quandonam intervenire possunt?*

I. Tactus, qui ex indeclinabili necessitate habentur, v. g. ad corporis sordes abstergendas (quae necessitas in foeminis post fluxum menstruum semper adest) vel ad infirmitatem curandam prout contingit in clysteriis uterinis (1), omnino liciti sunt. Cautelae tamen suaderi debent, maxime si persona ad venerem sit valde proclivis. Hae cautelae sunt praecipue 1º Se cito expedire. 2º Tempus evitare (si fieri possit) in quo naturae commotio facilius accidit, prout ordinarie post prandium contingere consuescit. 3º Insurgente commotione, ab illa abhorrere et adhuc citius se expedire.

---

(1) In hoc tractatu identidem verba facio de remediis adhibendis in quibusdam morbis partes secretiores afficientibus. Ratio est quia ex una parte huiusmodi morbi, dum corpori, animae quoque periculosi esse solent; et ex alia saepe saepius nihil deservit quod adsint medici. Foeminae, et speciatim puellae, nimis verecundantur, nec desunt quae potius mori, quam ad medicos pro rebus istis recurrere, paratae essent. Quid de periculo gravissimo incidendi in medicum, qui non solum visitationes et nuditates sine necessitate ulla exigat, sed etiam proditorie miseras mulieres polluat, et uno verbo, cum incredibili officii sui abusu, quidquid potest cum illis perpetretur? Heu quam difficile est invenire medicos de quibus plene sit fidendum! Nec valet quod sint uxorati, senes, vel etiam catholici videantur. In plurimis autem locis, speciatim ruri, unicus tantummodo, et quidem non raro hac in re positive mala fama gaudens, medicus adest.

II. Lotiones et balnea, quae, etsi non ex indeclinabili necessitate, tamen ex fine honesto peraguntur, pariter licent; sed quoad ista, maxime si gravia pericula suboriantur, discretio haberi debet; et ad minus frequentia erit moderanda.

783. *Quid de tactibus ad* **pruritum** (*it.* pizzicore) *in genitalibus abigendum?* Resp. Si nulla commotio carnalis suboriatur, qui illum sic abigunt nihil mali faciunt. Si tamen sit tolerabilis pruritus, insinuandum est, ut a tactibus, quatenus fieri possit absque nimis gravi molestia, abstineant; idque propter periculum, ut statim explicabitur.

Valde expediret ut in monasteriis (quandoquidem in illis quoque nec semper nec ubique haberi potest medicus tutissimus) aliqua monialis de his morbis et respectivis remediis notitiam haberet.

Excepto autem casu in quo de medico aliquo plenissime sit fidendum, pro firmissima regula tenendum est ut foeminae ad medicos non se conferant, et nequidem domi suae illorum visitationes admittant, nisi ita ut alia mulier praesens sit. Sed etiam haec cautela non semper adhiberi potest.

Expedit itaque ut confessarii morbos (in hoc genere) magis ordinarios, eorumque remedia cognoscant, ut, data necessitate (et maxime ne puella cogatur cum magno et manifesto periculo medicum adire), paucis et prudentibus verbis, consilia opportuna, pro bono spirituali poenitentis, dare possint. Sedulo notentur verba *data necessitate* etc.; quantum enim expedit ut confessarii etiam de rebus istis aliquid sciant pro vero casu necessitatis, ut scilicet pro bono spirituali poenitentis et ne praedictis periculis exponatur, uno vel altero verbo consilium dent; tantundem oportet ut, seclusa necessitate, in his ipsis rebus nullatenus se ingerant.

His praenotatis, dico aliquid de nonnullis morbis frequentioribus.

A) Quid de illo morbo, qui vulgo *flores albi* vel *pâles couleurs*, medice *catharrus uteri*, vel *leucorrea*, vel *gonorrea*, vel *blenorrea* appellatur?

Symptomata sunt 1° fluxus continuus (speciatim horis diurnis) cuiusdam materiae liquidae mucosae coloris cineracei, vel subflavi, vel subviridi, aut etiam (aliquando et aliquatenus) rubei. 2° Irregularitas in menstruatione. 3° Dolores transitorii et enflatio in uberibus. 4° Inappetentia cibi, et difficultas digestionis. 6° Isterismus. 6° Languor et lassitudo. 7° Prostratio animi. Crescente autem morbo, succedunt violenti dolores uteri, circuli violacei circa oculos, macies, granulationes, vel excoriationes, vel ulcerationes in genitalibus, et denique generalis amissio sanitatis.

Remedia sunt 1° Evitatio causarum, quae (praeter mere naturales temperamenti debilis, nervosi etc.) esse solent loca humida, mala nutritio, labores excessivi, et coitus vel manstruprationes nimis frequentes. 2° Pharmaca corroborantia, v. g. oleum aselli marini (it. *merluzzo*); vel aqua ferruginosa, vulgo *marziale*, aut *di Peio*, aut *civilina*, sumenda ter in die paullo ante comestiones in dose 33 gr. circiter singulis vicibus. Iuvat etiam aqua *arsenico ferruginosa di Ronceno* in dose 43 gr. circiter iniecta in paullulo aquae communis. Item iuvare possunt (loco dictae aquae) bucellae ex pulvi ferrea ter pariter in die sumendae. Item *pilules de Blan-*

Si autem commotio carnis adsit vel suboriri soleat; tunc casus magna prudentia dignus esse potest. Sciendum est quod aliquae foeminae, pruritum huiusmodi *interius* sentientes, eosdem pene faciunt actus, quos facerent si se polluere vellent. Utcumque, facile res eo devenire solet ut mulieres vehementi delectationi subortae aperte consentiant, remque ex necessitate et bona intentione incoeptam, ultra necessitatem et ex manifesta malitia protrahant, aut saltem maximis conscientiae turbationibus perpetuo subiiciantur. Si itaque confessarius intelligat periculum esse magnum, illud impedire pro viribus curabit. In hunc finem, carnali commotione existente, nedum de obligatione adhibendi

---

card a l' iodure ferreux inalterable (pariter tres in die). 3° Balnea maris, vel fluminis, vel aquarum mineralium. 4° Quies. 5° Aquae (quae prius ebullita fuerit) cum acido borico (quod a pharmacopolis venditur quibuslibet etiam sine ordinatione medici), in dose 30 gr. pro litro, iniectiones in vaginam, nempe usus clysteriorum pro utero. Ope instrumenti (vulgo *irrigatore* vel *macchinetta*, quod diversum est secundum quod foemina virgo sit vel non) cum dicta vel simplici aqua peraguntur. Manu propria mulier illa peragere potest. Quamvis autem, ad infirmitatem curandam remedium istud non raro sit necessarium atque licitum, et quamvis etiam multis nihil periculi afferat; tamen quibusdam vere est causa gravissimarum tentationum atque etiam peccatorum. Si itaque confessarius ex una parte magnum periculum animadvertat, et ex alia intelligat quod iam a longo tempore bis vel ter in die adhibitum fuerit absque ullo melioramento, tunc (saltem nisi aliquid valde attendendum adhuc esset in contrarium) iubeat ut cessetur.

Caeterum si morbus, non obstantibus remediis praedictis, perduraret vel aggravaretur, et maxime si ex aliquo mulieris verbo confessarius intellexisset quod de ulceri agi posset, tunc opera medici prorsus necessaria evasisset. Vide Veit (*Trattato delle malattie delle donne* § *85*).

B) *Quid de nimio sanguinis fluxu?* Sponte sua, v. g. dixit puella se in magna versari apprehensione, eo quod extraordinario nimisque copioso sanguinis profluvio subiiciatur. Remedia sunt praecipue 1. Quies animi, et distractiones, quaslibet magnas turbationes vel commotiones evitando. 2° Exercitium moderatum corporis et animi, discrete laborando, et horis matutinis deambulando.

C) Quid de muliere timente de cancro incipiente? Sponte sua v. g. dixit mulier se timere ne cancer in suis uberibus efformetur, eo quod ibi ab utroque latere dolorem sive continuum sive intermittentem experiatur. In hoc casu non est timendum de cancro, qui ab una parte dumtaxat dolorem cum duritie et augmento progressivo produceret. Excluso itaque cancro (pro quo medicus omnino et cito necessarius esset), si dolor non foret continuus, tunc de reumate ageretur, et sufficere posset panno et lana eas partes calidas servare, nisi etiam aliquae unctiones fieri vellent Si autem dolor esset continuus et ex pressione exacerbaretur; tunc cataplasmata resolventia (v. g. *di seme lino*) adhiberi deberent.

abominationem et se cito expediendi, poenitentem admonebit, sed etiam operam dabit ut potius aliis mediis pruritum extinguere satagat.

784. *Sed quaenam sunt media ista?* Sciendum quod pruritus de quo loquimur, duas causas habere solet.

Prima et communior est *defectus munditiei* (speciatim quoad foeminas adultas, propter menstruationem); et in hoc casu simplices lotiones, non sine cautelis supra indicatis (*n. 782*), suggeri debent. Foeminae nobiles quodam instrumento (vulgo *bidetto*) uti solent; quod periculosum mihi videtur. In quibusdam collegiis adhibentur balnea ex aqua e multis siphunculis (ope cuiusdam machinae) cum impetu proiecta; et haec magis quam lotiones manu propria factae probari possent (minus enim periculosa essent), nisi plures simul puellae in balneo (utique nudae) ponerentur, maxime vero nisi machina manu viri praesentis et videntis moveretur.

Secunda causa est quidam *morbus*, qui medice *prurigo* vel *pruritus vulvae* appellatur. Afficit pudenda mulierum exterius atque interius, et praecipue partem quae praecise veneri magis subiicitur. Magnum atque intolerabilem ibi producit pruritum, qui ad easdem partes manibus confricandas modo irresistibili illas cogit. Longo tempore multisque annis morbus iste durare semperque in peius procedere potest, ita ut infirmae tandem ab humano commercio abhorreant, et in solitudine quantum possunt, huiusmodi confricationibus semper indulgeant. Horis nocturnis, vis morbi crescit, et dormire nequeunt. Vis digestiva ad nihil reducitur. Melancolia extrema et vera dementia succedit etc. Quantum status huiusmodi sit animae periculosus et occasio peccatorum unusquisque videt. Sed ad cumulum malorum superadditur etiam quod morbus ipse non solum occasione horum tactuum, sed vi propria, motus voluptuosos excitare solet, et quidem ita ut non ad matrimonium eiusque usum (a quo tales infirmae abhorrent) sed ad manstruprationem praecise, vehementissime pertrahantur. Descuret (*Medicina delle passioni*) rectissime dixit, huiusmodi foeminas miserrimas multo magis infelices quam reas esse.

785. *Sed quid remedii?* Medici suggerunt 1° unctiones cum oleo calido sive communi sive amygdalio aut cum balsamo peruviano (vulgo *pomata di balsamo del Perù*); 2° semi-balnea (it. *semicupi*) calida cum aqua salsa; 3° iniectiones (clysteria) in vaginam eiusdem aquae etc. Cf. Veit (*Trattato delle malattie delle donne 267*).

786. Supponendo autem quod ad abigendum pruritum tactus (seu dicta confricatio) adhibeatur, duo notari debent.

I. Personae piae molestissimis conscientiae angustiis saepe agitari solent, timendo ne forte delectatione potius quam necessitate sive ad incipiendum sive ad prosequendum moveantur. Iam dixi esse bonum consilium ut abstineant. Si tamen non abstineant, quid in huiusmodi angustiis? Scripsit S. Lig. (*III 483*): « Forte dices posse « accidere, quod pruritus ille proveniat ex ipso ardore « libidinis, unde extinctio pruritus, quae per confricatio- « nem fit, venerea delectatio potius censeri debeat. Sed « respondetur, rationabilius iudicandum, quod talis pruritus, « quando est valde molestus, oriatur potius ex acrimonia « sanguinis, quam ex ardore luxuriae. Saltem in dubio « possidet libertas se liberandi ab huiusmodi molestia per « tactum de se licitum, dum licite quisque potest tactu « pruritum corporis abigere; et, si accidat pollutio absque « periculo consensus, per accidens et involuntarie, ac pro- « inde inculpabiliter accidit: ut autem iste ab eo tactu « abstinere teneretur, probandus pro certo esset pruritus « ille a libidine procedere ». At vero (iuxta hypothesim) certe iam adest pruritus morbosus. Equidem immisceri potest (imo ordinarie reapse immiscetur) etiam pruritus venereus; sed persona potest intentionem habere abigendi primum, abominationem habendo contra secundum.

II. Dixi (*pag. 342 in nota*) quasdam adesse uteri et stomachi aegrotationes, quibus non iam tactus immediate, sed pollutio lenimentum affert. Tunc etiam foeminae dicunt se tactus (ex quibus pollutio sequitur) adhibere ex necessitate, scilicet ad morbum leniendum. At vero res huiusmodi, uti patet, (nisi forte bona fides excusaret) licita esse nequit: et hic casus est longe diversus ab aliis, in quibus a tactu immediate lenimentum oritur. Sed practice

quomodo poterit confessarius res istas distinguere? Qui in directione animarum piarum et monialium nonnihil experientiae habent, bene sciunt quanta difficultas in casibus istis inveniatur. Mulier gravissimam et continuam animi perturbationem atque conscientiae angustiam praesefert, et ex una parte ipsa rei statum explicare vel nescit vel propter verecundiam non audet, et ex alia confessarius in rebus adeo lubricis et periculosis non multum interrogare potest. Attamen, ad discernendum casum a casu, deservire poterunt sequentia. 1° Si dolor sentiatur in verendis, et lenimentum oriatur a confricatione, sicut contingeret si de quavis alia corporis parte (v. g. pede, brachio etc.) ageretur; tunc pro licito standum erit, etsi commotiones suborirentur (intellige tamen cautelis adhibitis, ut supra); idque speciatim si poenitens fateretur se lenimentum experiri etiam quando nulla delectatio venerea adsit. Neque obstaret si, interveniente delectatione ista, dolor magis sopiretur. Pariter non obstaret si e contra, illa delectatione durante, dolor esset maior, pollutione autem subsecuta, statim fere ad nihilum redigeretur; contingere enim potest quod commotiones dolorem ipsum exasperent; partibus autem sedatis, exacerbatio cesset, et sic lenimentum subsequatur. 2° Si autem in verendis dolor vel non adesset ullo modo (bene vero morbus esset in utero, stomacho etc.) vel talis esset naturae, ut si in alia parte foret, ex tactu lenimentum non haberetur, unde non sic fieret; in tali casu pro illicito standum esset; multo magis si alia indicia superadderentur, si nempe secuta pollutione, dolor aliudve incommodum cessaret repente, aut nullus amplius ad tactus prosequendos impulsus tunc haberetur. Caeterum recole dicta (*l. c.*).

§ III.

De tactibus cum persona diversi sexus sine necessitate.

787. *Circa* ***tactus sine necessitate cum persona diversi sexus,*** *quaenam practice est distinctio magis necessaria?* Est sequens. Si tactus sint *morosi, aut cum gravi malitia* (videlicet sive ad sentiendam delecta-

tionem sive ad provocandam foeminam ad malum), tunc (uti patet) sunt mortales; si e contra leviter et obiter atque ex mero ioco fiant, tunc (saltem nisi fiant in pudendis) veniales ut plurimum supponi debent. Ratio est quia inordinatio gravis sive quoad finem, sive quoad periculum, sive quod scandalum adest in primo casu; non vero ordinarie in secundo.

Audiantur theologi.

Gousset (*n. 636*): « Tactus *in partibus honestis* (foeminae) ex levi-« tate, ioco, curiositate, non excedunt peccatum veniale, si aliunde absit « affectus libidinis. Hinc venialiter tantum peccat vir, qui huiusmodi causa « osculatur foeminam in facie, aut faciem eius manu tangit, manum com-« primit, digitos aut brachia (*intellige obiter*) contorquet et similia ». Idem dicunt Sanchez (*IX.* XLVI *15*), Gury (*n. 413*) et alii.

Scavini (*I 794*): « Tactus *uberum*, foeminae praesertim iam puberis, « sunt mortales cum sunt pressi et morosi; veniales vero si fiant obiter, « superficialiter sineque affectu libidinoso ». Idem dicit Sporer (*Theol. Sacr. IV 686*).

788. *Quid speciatim de tactibus* ***in verendis?*** Salmanticenses (*XXVI.* III *49*) dicunt: « An tactus in veren-« dis sine iusta necessitate facti, sint peccata mortalia, « quando habentur inter personas diversi sexus? Ad hoc « respondetur affirmative... Excipiunt tamen Sanchez, Fi-« liuccius, Navarrus, Busembaum et alii communiter cum « Diana, si dicti tactus supra vestes habeantur, et fiant « absque delectatione ex ioco aut levitate animi ». Alii tamen, magnam huius actus indecentiam et periculum considerantes, illum a peccato mortali nunquam excusant. Vide Tamburini (*Dec. de 6°, XIII § 2 n. 4*), Giribaldi (*n. 81*), Gousset (*n. 637*) etc.

Certe in praxi doctrina benigna ad minus coarctanda est ad illos nebulones, qui cum foeminis perfractae frontis leviter et obiter ex ioco rem istam cum exiguo hinc inde scrupulo faciunt; si enim de puella honesta ageretur, saltem ex scandalo aut ex gravi iniuria, actus huiusmodi a gravi peccato excusari nequiret.

Facilius a culpa mortali excusari possunt ancillae, quae, dum infantulos vestiunt vel spoliant, partes eorum pudendas interdum et obiter ex levitate tangunt, ut notat Scavini (*n. 790*); hic enim actus ex una parte sine libidine fieri solet, et ex alia nullum scandalum praebet.

§ IV.

De tactibus cum persona diversi sexus ex necessitate, vel fine honesto, vel ex sola curiositate.

789. *Casus* ***necessitatis*** *vel* ***finis honesti*** *practice quandonam accidit?* 1° In medicis, qui foeminas in partibus secretioribus curant. 2° In ancillis, quae pueros lavant. 3° In apprehensione manus sive ad modum salutationis ex more patrio, sive in choreis.

Quoad haec advertendum 1° Ne hi tactus ultra necessitatis seu honestatis limites procedant. 2° Cavendum ab hallucinatione (quid enim, v. g. si tutor inspiceret et tangeret pudenda pupillae suae, praetextu se tutum reddendi quod corrupta non fuerit?) 3° Si forte vehementes motus carnales excitarentur, tunc resistentia interna et maior cautela necessaria esset.

790. *Quid de huiusmodi tactibus* ***ex sola curiositate?*** Lessius (*IV.* III *62*) dicit: « Adverte tamen, secundum quosdam, si talis contactus (turpis) non fiat causa « voluptatis carnalis, sed solius *curiositatis*, per se non « esse mortiferum; praesertim si pollutionis periculum absit; « quia tunc sub alia ratione magis spirituali et elevata « apprehenditur; quae tantam vim ad naturam concitandam « non habet; et affectus non quaerit in eo voluptatem carnalem, sed curiosam cognitionem. Videntur id insinuare « Doctores, cum dicunt illa esse peccata mortifera, si causa « voluptatis fiant; quam restrictionem non adderent, si idem « putarent, dum causa curiositatis ».

Sed quid de doctrina ista? Hypothesis quod 1° vere de sola curiositate agatur et non de fine libidinoso; quod 2° res ista graviter et proxime ad vehementes motus carnales ipsamque pollutionem non disponat; quod 3° grave periculum consensus non suboriatur; quod 4° consequentiae funestissimae timendae non sint; quod denique 5° grave scandalum non subsistat; haec, inquam, hypothesis potius

speculativa, quam practica esse potest. Certe curiositates huiusmodi ruinae horrendae principium esse solent; et heu quot miseri praetextu isto hallucinati, post vitam in continuis peccatis ductam, in aeternum damnabuntur!

§ V.

De tactibus cum persona eiusdem sexus.

791. *Circa* ***tactus cum persona eiusdem sexus,*** *quaenam est distinctio principalis?* Distinguendum inter tactus sive graviter malitiosos (ex fine), sive pressos et morosos (propter periculum); et tactus sine vera malitia et obiter leviterque peractos.

792. *Quid de gradu culpae?* Ad iudicium ferendum de culpa, imprimis certe magna adest differentia inter casum in quo agatur de personis diversi et eiusdem sexus; in hoc enim secundo casu non statim ac aliqua mora deprehenditur, id sufficit ut mortale peccatum constituatur (sicut sufficeret si essent sexus diversi): secluso enim fine libidinoso, tunc indecentia, periculum et scandalum longe minora esse solent. Aliud est si tactus pressi aut valde morosi forent.

Hinc a peccato mortali facilius excusabis (cum Sanchez *l. c. 12* et Scavini *n. 790*) pueros, qui ex mero ioco et sine libidinosa commotione in partibus pudendis se tangerent, et adhuc facilius adolescentulas, quae (prout ordinarie accidit) ex mera curiositate aut levitate, etsi cum aliqua mora, se invicem in uberibus (et fortasse etiam ore) contrectarent. Unusquisque tamen videt quod, speciatim si agatur de partibus pudendis, finis libidinosus facile intervenit, atque (eo etiam secluso) mora et pressio potest esse tanta, ut peccatum mortale tum ex gravi pollutionis et consensus periculo, tum ex gravi scandalo reciproco (maxime si invicem amore aestuarent) oriatur.

§ VI.

De tactu cum bruto.

793. *Quid practice de **tactu cum bruto**?* Tangere et perfricare genitalia bruti, certe est indecentia, quae a culpa excusari nequit. Peccatum tamen mortale nonnisi ex fine libidinoso, vel ex periculo, in quod ipse tangens se coniiciat, oriri potest. Notandum quod grave periculum vix aberit, si tangens sit adultus, et tactus sit valde continuatus, maxime si animal non sit exiguum. Vide Tambur. (*l. c. VIII* § II *5*), Sporer (*n. 697*) et Gury (*n. 436*).

794. Quoad mulieres de tactu cum bruto se accusantes, adverti potest, quod non semper de magna malitia agitur; sciendum est enim quod foeminae in genitalibus morbo laborantes, interdum canis lambitum sibi procurant, quia lambitum istum contra eundem morbum utilem esse credunt. Aliquando etiam id faciunt solum ad procurandam munditiem post menstruationem.

§ VII.

De foemina, quae non tangit, sed tactus patitur.

795. *Quid de obligatione **foeminae quae a viro tangatur**?* Tactus turpes (et idem dicerem de tactibus in uberibus ex manifesta malitia perpetratis) respuendi sunt sub gravi.

Caeterum pro casu violentiae applicanda sunt dicta *n. 825*, quae fusius explicavi in tractatu *De Occasionariis* (*n. 262-273*).

796. *Si ageretur de **tactibus externe licitis** sive per se sive propter circumstantias (cuiusmodi essent manus apprehensio ex more patrio, vel in choreis, tactus medici occasione infirmitatis etc.): ad quid teneretur foemina, si virum interna malitia laborare sciret vel suspicaretur?* Respondent theologi, foeminam non teneri hos tactus impedire, nisi ex charitate (et ratione periculi proprii, si adesset), et proinde dummodo satis commode posset. Hinc ordinarie ad hoc non tenetur 1° Si de malitia viri non foret

certa; redarguere enim et offendere eum qui forsan id nullo modo meretur, quid valde incommodum est. 2° Si foemina esset valde timida; unde virum de interna sua malitia reprehendere non auderet. 3° Si casus accideret in praesentia aliorum, ita ut, quin virum ipsum coram adstantibus infamaret, tactum impedire nequiret. Vide Filliuccium (*n. 197*), Bonacinam (*IX 10*), Lessium (*l. c.*), Giribaldi, etc.

Si tactus essent quidem in se ipsis et externe aliquo modo reprehensibiles, sed leviter, tunc sub levi impediri deberent. Casus esset si quis obiter ad modum blanditiae foeminam tangeret in facie; vel eius manum, quin mos patriae id exigeret, aut paullo pressius vel morosius apprehenderet. Attamen perpendendae sunt circumstantiae, et speciatim videndum an de casu fortuito agatur, an vero de re frequenti, aut tali quae consequentias valde praecavendas habere posset.

797. **Quaestio incidens:** *An tactus sive facti sive permissi, si ad concubitum nullo modo dirigantur, mutent speciem secundum quod qui tangit aut tangitur sit eiusdem vel diversi sexus?* Differentia specifica intervenire potest certe etiam in solis tactibus, quatenus in illis praeter castitatem aliae quoque virtutes laedi valent; prout contingeret, v. g. si de persona coniugata, vel consanguinea, vel Deo dicata ageretur, aut si quis per vim tactus exequeretur.

An autem differentia specifica a solo sexu oriatur, theologi non conveniunt. Roncaglia (*De VI.* VII *q. 6*) dixit: « Si quis se polluat alterius tactibus, sive hoc faciat tactibus viri vel foeminae, ex hoc praecise non consurgit peccatum alterius speciei. Ratio est quia, dum nihil aliud intenditur nisi mollities, de materiali se habet, an haec tactibus viri vel foeminae procuretur ». Hanc sententiam approbat etiam S. Lig. (*III 467*), quia tunc (ait) non adest affectus ad sexum sed solum ad pollutionem. Roncaglia autem ulterius progreditur, et dicit: « Si aliquis se pollueret tactibus alienis, sed sine illorum peccato, quia sunt doli incapaces, puta, si quis procuraret pollutionem tactu belluae, vel pueri nondum doli capacis (*vel, ut alii addunt, mulieris ebriae vel dementis vel somniantis*); tunc pro-

« babiliter non tenetur hanc circumstantiam explicare, si « talibus tactibus nihil aliud intendit, nisi pollutionem, quia « tunc ipsius peccatum non est coniunctum cum alterius « ruina » (Notat tamen hic auctor intervenire posse iniustitiam in confessione declarandam, si nempe quis non iam a persona ebria vel demente etc. tangeretur, sed illam tangeret). Quoad tactus cum bellua, secluso concubitu, idem sensit Gury (*I 436*); unde tunc (iuxta illum) de bestialilate nihil esset.

At vero, meo sensu, sententia contraria teneri debet; sicut enim differentia sexus et speciei sufficit ut mutent speciem actus completi, nihil obstat quominus idem dicendum sit de actibus incompletis. Ratio autem quod in istis adsit affectus ad solam pollutionem, ita ut caetera de materiali se habeant, convincens non videtur; nonne enim in actibus quoque completis (et maxime in bestialitate et sodomia) idem contingere potest? Adde quod communis christifidelium sensus est ut differentiae istae in confessione declarari debeant; unde, saltem in praxi, tactus impudici, secundum quod sodomitici vel fornicarii vel bestiales fuerint, distinguendi sunt.

PUNCTUM II.

De osculis, amplexibus, aspectibus, nuditatibus, sermonibus, lectionibus, spectaculis, et cogitationibus turpibus aut periculosis.

§ I.

De osculis et amplexibus cum persona diversi sexus.

798. *Quid praecipue distinguendum quoad* ***oscula et amplexus?***

I. Oscula cum persona diversi sexus, si sint pressa, vel morosa (scilicet eodem tempore multoties repetita), et speciatim si linguâ introductâ, peragantur, sin minus ex fine (Cf. *Prop. 40* damn. ab Alex. VII), saltem ex periculo, tamquam peccata mortalia haberi debent. Idem dicit si (prout

subinde contingit) in partibus insolitis, nempe uberibus vel pudendis (maxime denudatis) peragerentur.

II. A fortiori amplexus, si sint pressi vel morosi, ordinarie a mortali excusari nequeunt. Dixi *a fortiori*, quandoquidem ex sese sunt proxima dispositio ad concubitum; imo notandum quod plures se accusant de amplexibus dum reapse non iam de simplici amplexu, sed de concubitu (quamvis forte solum supra vestes) res fuit.

III. Oscula omnino decentia (nisi pravo fine habeantur) licent. Sed quaenam sunt ista? Respondet D. Th. (*2. 2 CLIV.* IV) « esse illa quae habeantur propter consuetu-« dinem patriae, vel propter aliam necessitatem aut ratio-« nabilem causam ». Quod probatur etiam a S. Lig. (*n. 417*), qui addit non obstare « etiamsi delectatio venerea suboria-« tur, modo in eam non consentiatur ». Opportune tamen advertit Lessius (*IV.* III *56*), oscula huiusmodi decentia quidem esse posse saecularibus, sed non ecclesiasticis; « non « enim decet viros ecclesiasticos hoc modo testari amici-« tiam erga foeminas ». Decentia aliquando esse possunt etiam inter stricta consanguinitate coniunctis, et maxime inter patrem et filiam.

IV. Si demum oscula decentiae et convenientiae limites excedant quidem sed parum (et finis libidinosus minime adsit, eo quod, v. g. ex ioco vel levitate dentur); tunc venialis culpa locum habebit; quo casu valet id quod dicitur apud Lessium (*l. c. 58*), quod scilicet tunc absolutio sacramentalis, etsi poenitens abstinere nolit, denegari non potest, si alia (de quibus doleat) peccata accusaverit.

V. Quoad foeminam autem oscula non licita permittentem, applicari debent mox dicta (*n. 787. 796*).

799. *Quoad* ***sponsos de futuro,*** *causa ostendendi specialem benevolentiam estne satis rationabilis, ut oscula, amplexus, manusque constrictiones inter se habere possint?* Attento nimio periculo, practice negandum est ordinarie, scilicet secluso more patrio (quo in casu, etiam iuxta S. Lig. *VI 854*, haec illis licent). Caeterum, si, propter aliquam particularem necessitatem sincerum amorem ostendendi in aliquo casu, osculum (attamen non sine discretione et cautelis) detur aut reddatur, nullum peccatum adesset.

Id porro admittitur a theologis pluribus: inter quos Roncaglia (*De 6 l. q. 6*), et Bouvier, qui (*Diss. in 6 praec.*) scripsit: « Excusatur puella quae amplexus honestos declinare « non potest, quin.... iuveni eam requirenti displiceat ». Vide *De occasionariis* (*n. 238 Ed. V*), Ballerini (*I 413, 414*) et Vindicias Alphonsianas (*I pag. 338, 378*).

§ II.

De aspectibus impudicis aut minus pudicis, et de nuditatibus.

800. *Quid de gradu culpae in huiusmodi* ***aspectibus?*** Peccatum mortale ordinarie adest in duobus casibus, nempe 1° in aspectu concubitus humani; 2° in aspectu personae diversi sexus plane nudae, vel eiusdem partium verendarum (et idem dic de partibus valde vicinis), etsi tenui et diaphano velo cooperirentur; nisi necessitas excusaret. Gravis indecentia ut plurimum coniuncta cum gravi tum pollutionis tum consensus periculo efficit, ut ordinarie huiusmodi aspectus a peccato mortali excusari nequeat.

Dixi *ordinarie;* si enim puerulus (v. g. ab ancillis vel nutricibus) vel infantula aspiceretur, aut si qui aspicit esset puer, aut senectute confectus, aut valde frigidus; aut si aspectus ex casu improviso ex sola curiositate et obiter fieret; maxime vero si ex longinquo; utique gravis culpa deesse posset. Sanchez (*IV.* XLVI *22, 23*) et Gury (*I n. 418*).

Pueri tamen et puellae sibi invicem verenda ostendentes, ab his procacitatibus (quandoquidem ruinosissimae malitiae initium esse solent) gravissime deterreri debent.

Dixi *nisi necessitas excuset.* Hac de causa excusantur medici; atque interdum etiam ancillae, quae heris suis infirmis quaedam servitia (quibus vere indigeant) praestare coguntur, dummodo bona intentione procedant, discretionem et cautelas adhibeant, atque in dubio confessarium consulant. Quoad medicos, si res sit de inspectione in pudendis, casus verae necessitatis esse solent 1° Quando morbus in illis partibus vel in utero residet, aut de re ista fundata

suspicio adest. 2° Quando agitur de partu difficili et periculoso. 3° Quando, iuxta gubernii leges, meretrices inspici debent ut lue venerea infectae ab aliis secernantur. 4° Ad addiscendam in Universitatibus artem medicam pro variis casibus, speciatim partuum difficilium (intellige si ibi alia media non suppeditentur): si enim hoc non permitteretur, in medicorum instructione magnus defectus interveniret: et ipsi, dum primis vicibus in propriae artis exercitio in casibus adeo gravibus, periculosis et urgentibus versarentur, intricatissimi forent: non sine gravi periculo ne pro illis foeminis miserrimis et foetu res male verterent. Sed in aliis casibus vix unquam vera necessitas adesse poterit; et si foemina non in pudendis sed in aliis partibus visitari deberet, medicus honestus et pudicus non ultra partes ipsas denudationem facere vel petere poterit; imo, si supra indusium visitatio sufficienter peragi valeret, id solum exigere deberet. In dubio tamen scrupuli non sunt iniiciendi.

801. *Quid de viro aspiciente ubera nuda mulieris? Quid de muliere aspiciente pudenda viri turpiter commota, sed supra vestes? Quid de aspiciente personam nudam eiusdem sexus, aut proprium corpus nudum, aut concubitum animalium, aut picturas plus vel minus obscoenas, aut denique spectacula seducentia?* Sanchez (*IX.* XLVI *25, 29*) dicit: « Inspicere pectora nuda foeminarum « non esse de se mortale.... quamvis adsit aliqualis dele« ctatio ex eo aspectu consurgens, cessante alio periculo vel « mala intentione.... Inter personas eiusdem sexus vacare « culpa mortali, se nudas aspicere,... nisi ob vehementem « propensionem ad sodomiam adesset periculum consensus, « vel (ob personarum gravitatem) scandalum, ut inter duos « Episcopos.... Non esse mortale propria verenda inspicere « ex quadam curiositate, absque alia mala intentione et « periculo.... Non esse communiter lethale aspicere bru« torum concubitum, vel partes eorum foedas turpiter com« motas ». Cf. Gury (*I 418*) et Tamburini (*Dec. VII.* VIII *§ V*) qui dicit non esse mortale ob solam curiositatem et sine periculo consensus picturas obscoenas aspicere.

At vero in praxi, ad rectum iudicium circa quaestiones propositas efformandum, confessarius casus circumstantias

observet; nempe 1° Intentionem agentis, utrum scilicet propter necessitatem (in qua nihil mali) prout in medicis et subinde etiam in pictoribus; vel propter curiositatem, aut simplicem delectationem visus (in quibus per se culpa venialis); vel propter aliquam utilitatem (quae culpam modo aufert modo diminuit); vel demum propter delectationem sensibiliter veneream (in qua mortalis culpa adest), res huiusmodi aspiciat (Aliud tamen est aspicere propter delectationem, aliud vero cum delectatione, ut notat S. Lig. *n. 416*). Observet 2° gradum periculi a parte actus, inspecto non solum obiecto, sed etiam modo; aliud enim est, v. g. casu, obiter, raro, a longe; aliud vero studiose, morose, frequenter, prope et distincte inspicere. Observet 3° gradum periculi a parte individui; aliqua enim multo maiorem faciunt impressionem iuvenibus quam senibus; virginibus quam coniugatis; non assuetis quam assuetis; extraneis quam domesticis. Observet 4° an scandalum interveniat, nec ne; aliud enim est, v. g. aliquam nuditatem inspicere fortuito: aliud autem personam ad rem huiusmodi provocare. Observet 5° commoditatem vel difficultatem ab aspectu abstinendi; si enim agatur de rebus quae saepe sub oculis habentur, difficultas aspectum evitandi culpam sin minus auferre saltem valde diminuere potest; secus enim anxietatibus et scrupulis aditus nimis aperiretur, et lex divina nimis dura evaderet. Propter tot ergo circumstantiarum diversitates, confessarii prudentiae relinqui debet decernere, utrum hic vel ille ex recensitis aspectibus sub gravi, an vero solum sub levi interdicendus sit.

802. Facio tres reflexiones.

I. Aliud esse videre, aliud vero aspicere. Primum sine culpa est; secundum autem (si agatur de obiectis periculosis quorum inspectio commode evitari possit) culpae plus vel minus obnoxium erit.

II. Tenui velo aut partialiter tantum tecta, curiositatem acuere, et proinde maius periculum inducere solent.

III. Aspectus lascivi probabiliter specie inter se non distinguuntur nisi quatenus cum desiderio aut scandalo coniugantur; ratio est quia, quando agitur de meris aspectibus, praeter castitatem nulla alia virtus offenditur, neque

tunc in laesione castitatis ulla differentia substantialis reperitur. Croix (*VI.* II *1030*) et S. Lig. (*III 421*).

803. *Quid de foeminis in vestibus modestiam non servantibus?* Id, meo sensu, aliquando peccatum mortale, aliquando peccatum veniale, et aliquando simplicem imperfectionem constituere potest. Hinc, praescindendo a fine sive graviter sive leviter pravo, et praescindendo etiam a causis excusantibus, sic dicerem. 1° Si apertio (it. *scavo*) sit valde exigua, tunc de sola imperfectione agi potest. A fortiori si denudatio in solis brachiis esset. Imperfectionem quoque admitterem, si foemina fasciam pectoralem (it. *busto*) non adhiberet (si tamen iuxta patriae morem ab aliis adhiberetur); id enim impressionem viris facere solet, ut patet ex eo quod foeminae sic incedentes procacibus eorum tactibus magis expositae esse solent. 2° Si apertio esset magna ita ut ubera notabiliter denudata remanerent, tunc distinguendum. Si foemina domi suae dumtaxat, absque intentione graviter prava, sed solum ex incuria aut commoditate aut vanitate, ita se gereret, de peccato mortali ex communi sensu incusanda non videretur, speciatim si iam nupta, maxime vero si aetate provectior foret. Caietanus (*v. ornatus*) sensit. idem esse dicendum etiam de foeminis sic in publicum prodeuntibus, etsi mos patriae talis non esset; scripsit enim: « Qualitas ornatus communiter peccatum inducit veniale, si indecens est et minus « castus: ut ornatus mulierum monstrantium media ubera. « Veruntamen ubi consuetus iam est mos, sine peccato « videtur ». Alii tamen communissime docent quod foeminae contra patriae morem sic publice incedentes a peccato mortali excusari nequeunt. Cf. S. Lig. (*II 55*) et meum tractatum *De occasionariis* (*Ed. V n. 179*). Nutrices autem quae etiam coram viris pueros lactant quin ubera cooperiendi attentionem habeant, minus probantur; et si in locis publicis (ubi talis non sit mos) ita se gerant, absolute reprobantur.

804. *Quid de accademiis picturae, in quibus pro exemplari adhibentur foeminae nudae? Quid de foeminis ipsis, quae motivo lucri ad hoc se praestant? Quid de addiscentibus picturae artem in his accademiis atque in*

his circumstantiis? De re ista egi ex professo in tractatu *De occasionariis* (*Ed. V 296*), et hic dico solum sequentia.

I. Directores huiusmodi accademiarum certe tolerare possunt ut mulieres, iuxta morem iam introductum, pro exemplari adhibeantur, tectis tamen pudendis et adhibitis cautelis ne inordinationes sequantur.

II. Iuvenes, qui artem addiscunt, excusantur, dummodo cauti sint.

III. Quoad puellas distinguendum est sequenti modo. Si non sint assuetae et sint adhuc honestae et verecundae, hanc viam ingredi nequeunt, quin magnam faciant iacturam (perdendo verecundiam, quae puellis adeo necessaria est) et multis periculis se exponant. Difficillime itaque excusarentur: speciatim vero earundem matres, maxime si ad hoc illas impellerent vel cogerent. Adde quod puellae ipsae bonum nomen amittunt, et quamdam infamiam subeunt; unde nec patresfamilias nec adamantes permittere solent quod eorundem filiae vel sponsae ad rem huiusmodi se praestent. — Quae vero iam sunt assuetae (quandoquidem verecundiae et boni nominis iacturam iam fecerunt) minus patiuntur. Contingere etiam potest quod non multum periculi subeant. In praxi quomodo res se habeant, et an necessitate excusentur, ex earundem confessione patebit.

IV. Quoad pictores vel sculptores in studio privato, circumstantiae erunt considerandae. Si ageretur de artifice eximio, de habente seriam necessitatem, de viro maturo, uxorato, iam assueto etc. scrupuli non essent iniiciendi.

§ III.

De sermonibus impudicis.

805. ***Quotupliciter*** *sermones impudici reatum inducere possunt?* 1° Ex affectu expresso. 2° Ex fine intento. 3° Ex periculo quod in ipso loquente ingerant. 4° Ex scandalo audientium. 5° Ex aliqua alia malitia accidentali, quae forte immisceatur. Singula breviter explico.

Ex affectu expresso; nempe si quis, non ficte et ludicre sed vere, sensum gaudii et iactantiae de malo com-

misso, aut desiderii de malo committendo exprimat. Iuvenis, v. g. gaudendo narrat quid fecerit cum tali foemina; aut dicit: — Quam libenter facerem hoc vel illud etc. —

Ex fine intento; nempe si quis foeminam vel socium ad malum expresse vel tacite provocet, aut ea intentione loquatur, ut libido in se vel in audiente excitetur aut foveatur. Et haec intentio adesse potest quamvis sermones in se turpes non essent, sed solum affectuosi; imo quamvis de rebus bonis et spiritualibus ageretur.

Ex periculo; nempe si ipse loquens in periculum consentiendi turpibus delectationibus, se coniiciat, quod periculum eo maius est quo magis particularia describuntur, quo magis sermo in longum protrahitur, et demum quo maior simpathia inter colloquentes intercedit.

Ex scandalo; nempe si sermo tentationem includat, et speciatim si haec tentatio sit adeo magna, ut audientes difficillime resistere possint; maxime vero si pueri aut aliae personae innocentes in gravem malitiam coniiciantur.

Ex alia malitia accidentaliter connexa. Frequentissime immiscentur detractiones; narrando scilicet quod talis vel talis persona peccatum carnale commisit; quae narratio eo gravior est, quo magis rem secretam respiciat aut calumniam, maxime vero si de lapsu personae ecclesiasticae sermo habeatur. Non raro etiam immiscentur haereses, dicendo, v. g. fornicationem esse licitam, vel non adesse infernum etc.

Haec sunt quinque capita, et in unoquoque ex his peccatum modo mortale et modo veniale adesse potest; secundum quod in affectu expresso, in fine intento, in periculo, in scandalo, et in detractione, vel in alia malitia accidentali, gravitas vel levitas adsit. Vide Lessium (*I V.* III *n. 63*), Voit (*n. 734*), et Frassinetti (*n. 152*).

806. *Quid in particulari de malis sermonibus 1° Virorum cum mulieribus. 2° Virorum cum aliis viris. 3° Foeminarum cum aliis foeminis. 4° Puerorum vel puellarum cum aliis pueris vel puellis?* Generatim pravi sermones virorum cum mulieribus sunt graviter malitiosi; sed in aliis casibus facilius malitia gravis deesse vel res confusa esse poterit.

Pro praxi iuvare proterunt sequentia.

I. Quoad *sermones virorum cum mulieribus:* Quando vir in confessione dicit: — Feci turpem sermonem mulieri; — vel — Turpiter locutus sum cum mulieribus; — confessarius fere certus esse poterit, huiusmodi sermones tum ex affectibus expressis, tum ex fine intento, tum ex periculo, et non raro etiam ex gravi scandalo vel aliis malitiis, mortaliter peccaminosos fuisse.

Si autem vir dicat: « Facoetias protuli cum mulieribus —, tunc peccatum mortale facilius aberit: imo certe pro peccato veniali habenda sunt verba (uti aiunt) volantia, ex ioco prolata coram talibus foeminis, quae non valde scandalizari possint.

II. *Quoad sermones virorum cum aliis viris:* Si uxorati cum aliis uxoratis loquantur, tunc difficile peccatum mortale reperitur; quamvis interdum, speciatim propter expressionem alicuius affectus turpis, adesse possit. Idem dic si, absentibus personis quae graviter scandalizari queant, viri (dum simul laborant) ex ioco aliqua turpia dictitent. Dixit S. Lig. (*III 426*): « Dicteria turpia, quae proferun« tur a messoribus, vindemiatoribus, mulionibus, non esse « mortalia ». Si autem iuvenes cum aliis iuvenibus confidenter loquantur, tunc valde facilius peccatum mortale adesse solet; quod certe non deerit in pueris et adolescentulis, tum quando socios in malitiam coniiciunt aut ad malum provocant, tum quando malitiam ipsam (si forte illam adhuc parum cognoscant) prava conversatione addiscunt; tum denique quando (licet omnes malitiosi sint) de rebus turpissimis et seducentissimis sermonem protrahunt.

III. Quoad *sermomes foeminarum cum aliis foeminis:* Coniugatae cum aliis coniugatis loquentes, ordinarie peccatum veniale non excedunt. Ut plurimum enim vel de aliquo publico dicterio loquuntur; vel una loquitur de modo agendi proprii mariti non ex fine valde pravo sed ex mera levitate vel curiositate, ut scilicet alia vicissim modum agendi sui mariti ei revelet. Sermones isti in foeminis innuptis essent mortales; sed in coniugatis non de facili tales sunt, tum quia periculum et scandalum est multo minus, tum quia commotiones carnales in personis coniugatis a proprio statu multo magis excusantur, ut suo loco

videbimus. Interdum tamen sive ex descriptione nimis minuta et ex consequenti periculo pollutionis, sive ex mixtione alicuius gravis detractionis, sive ex aliquo iniquo consilio (v. g. onanismi) etc. peccatum mortale intervenire potest. Nihil dico de coniugata quae puellae innuptae huiusmodi confidentias faceret.

807. Foeminae innuptae iam matrimonio proximae cum aliis eiusdem aetatis foeminis loquentes, interdum quidem de meris levitatibus (v. g. de pulchritudine talis iuvenis, vel de aliqua levi scurrilitate audita, vel de osculo habito, vel de aliquo publico dicterio) verba faciunt; sed non raro turpissima sive a se audita, sive sibi obventa, sive a se perpetrata, descendendo ad particularia valde commoventia, narrant; vel graves detractiones de rebus secretis immiscent; vel circa verenda virorum et circa delectationem coitus sermonem protrahunt; vel turpia desideria exprimunt: vel simpliciores in malitiam coniiciunt; vel socias ad malum provocant. Istarum itaque puellarum sermones valde facile mortales quoque esse possunt.

IV. Quoad *sermones puellarum tenerioris aetatis: inter sese.* Quando hae puellae dicunt, se turpia verba aut malos sermones protulisse, caute procedat confessarius; interdum enim de peccatis levis momenti, et interdum de rebus valde periculosis et scandalosis agitur. Per turpia verba ut plurimum intelligunt verba inurbana; per malos autem sermones de rebus diversissimis agi potest. Aliquando de rebus etiam turpissimis loquuntur, sed quin earum malitiam cognoscant; quia nempe res ipsas viderunt vel audierunt, et ex mera simplicitate de iis cum aliis sermones habent; de ipsis autem confitentur, quia esse sermones malos, et in confessione accusandos casu resciverunt. Interdum de rebus ipsis sine malitiae cognitione, ex quadam curiositate pueris et puellis innatâ, loquuntur, et explicationem expostulant. Porro id periculosissimum est, ut per se patet. Speciatim in civitatibus, et maxime dum multae puellae occasione scholae inter sese conversantur, facile sermonem habent de partu (occasione sumpta ut plurimum a propria matre, quae dum peperit convenientes cautelas non adhibuit; saepissime autem (maxime

intra duodecimum et decimum septimum annum) loquuntur de menstruis, et aliquando de uberibus. Hi omnes sermones, si intra hos limites sisterent, gravitatem non praeseferrent; sed, si inter puellas sic colloquentes aliqua socia malitiosior (ut saepe contingit) adsit, tunc cuiuslibet malitiae origo facile erunt. Sermones enim de uberibus, istorum mutuam ostensionem, mutuosque tactus, et hinc amissionem verecundiae, confidentiam magnam, delectationesque carnales producere solent; unde interdum hae puellae ad tactus omnino obscoenos tandem divertunt. Sermones de menstruis, pudendarum partium ostensioni, inspectioni et tactui saepe saepius aditum faciunt; atque interdum hoc est principium, ex quo se esse ad generationem aptas intelligunt, et sic de facili in omnem malitiam proruunt. Sermones denique de partu, praebent occasionem tum loquendi de praegnatione et de eius causa, tum fingendi partum ope ioci satis antiqui et communis, quo una puella parturientis, et alia obstetricis partes agit: unde aspectus, tactus, et sermones, qui iterum cuiuslibet malitiae initium sunt.

808. Sed in praxi confessarius difficiliter cognoscere potest an de sermonibus graviter vel leviter pravis agatur; nec certe prudentia patitur quod ipse puellas interroget, an de hac, an de illa re sermonem iniecerint. Ipse itaque dicere poterit: *De quibus rebus locuta es?* Si levitates patefaciat, subiungat: *Ex his levitatibus processistine ad res magis malitiosas?* Si vero respondeat se locutam esse de tali vel tali re indecentissima, tunc si illa sit aetatis valde tenerae, subiungere poterit: *Cognoscebasne, te valde male loqui*, vel: *Quis tibi dixit hos sermones esse malos?* Si autem puella interrogata quibus de rebus locuta sit, sileat vel confusa remaneat, tunc si confessarius aliunde iam deprehenderit illam esse valde malitiosam, inquirere poterit an suam malitiam socias docuerit, vel an de rebus valde turpibus sive a se sive ab aliis factis sermonem cum aliis puellis in longum protraxerit? Si vero puellam ipsam minime esse malitiosam cognoscat; tunc dicere debebit dumtaxat an sociae, cum quibus illos sermones fecit, valde malitiosae sint? Si affirmet, de peccato

mortali adeo timendum erit ut fuga ab iisdem, per quantum fieri poterit, gravibus verbis indici debeat; puella enim innocens, si cum valde malitiosa conversari pergat, cito innocentiae suae iacturam faciet. Si vero neget, tunc confessarius, consiliis et exortationibus utendo, mitius loqui poterit.

809. *Quid de illis qui turpem sermonem* (*in quo peccatum mortale adsit*) *audiunt?* Si illum quaerant, aut studiose provocent (prout faciunt interdum etiam mulieres), aut (quatenus est turpis) gratum habeant; tunc certe eadem culpa, qua pravi colloquii auctor reus est, ipsi quoque rei erunt. Idem dic si sermoni ipsi valde participent.

Si autem ex mero respectu humano audiant, aut aliquod verbum immisceant; vel sive ex eodem respectu humano sive ex modo lepido, quo aliquid narratur, subrideant, vel ex mero solatio praesentes maneant, dum tamen optarent ut potius de rebus honestis sermo haberetur; tunc venialem dumtaxat culpam committunt, nisi a parte periculi, vel scandali, vel specialis obligationis sermonem impediendi (ut puta si ageretur de patrefamilias coram filiis) peccati gravitas exurgeret. S. Lig. (*III 426*).

§ IV.

De lectionibus et comoediis obscoenis et de choreis.

810. I. **Lectio** libri obscoeni *ex professo* iure naturae interdicitur sub gravi; et difficile exceptiones in hoc fieri possunt.

Quoad lectionem librorum romanticorum, in praxi distingui debet inter lectionem assiduam seu frequentem, et fortuitam seu raram. Prima, speciatim quoad iuvenes, ut plurimum sub gravi interdici debet: secunda non item, saltem ordinarie. Vide *De Occasionariis* (*Ed. V n. 213 et seqq.*).

II. Assistentia **comoediis** prorsus turpibus sub gravi evitanda est. Si autem comoediae sint heroticae dumtaxat aut leviter turpes, tunc, secluso periculo speciali, causae

satis ordinariae a quavis aut saltem a mortali culpa excusare poterunt. S. Lig. (*III 427*). Vide (*l. c. n. 193 et sqq.*).

III. De **choreis** vide *l. c. n. 166 et sqq.*, ubi ex professo et diffuso sermone de his argumentis egi. Hic dico solum quod choreae ordinarie non sunt illicitae *per se;* sed possunt esse illicitae *per accidens,* nempe 1° ex intentione prava: 2° ex gravi periculo peccandi: 3° ex scandalo (ut puta, si aliqua mulier ubera nuda praeseferret, dum talis non esset mos et aliae decenter vestitae forent).

§ V.

De cogitationibus turpibus aut periculosis.

811. *Quaenam circa* ***cogitationes*** *istas est distinctio principalis?* Videndum an turpis cogitatio coniungatur cum desiderio aut gaudio aut complacentia ipsius rei turpis; an vero sola cogitationis voluntas locum habeat, ita scilicet ut homo voluntarie quidem in mente retineat imaginationem rei lubricae (non secus ac illam oculis inspiceret); sed de re mala, tamquam a se perpetrata vel perpetranda, neque desiderium, neque gaudium, neque complacentiam habeat. De primo casu (in quo certe est peccatum) iam egi supra (*n. 774 et sqq.*). De secundo sequenti modo ratiocinandum.

812. Si talis cogitatio ex necessitate et fine recto (v. g. causa studii) in mente retineatur, tunc nihil culpae aderit; et solum de obligatione discretionis et cautelae sermo esse poterit.

Si vero ex fine vano aut pravo retineatur, tunc ex maiori vel minori finis pravitate, cogitationis ipsius indecentia, et gradu periculi, culpae quantitas dimetiri debebit. Aliud enim est, v. g. de peccato commisso a Titio cum Bertha cogitare breviter, superficialiter et ex quadam otiositate, sine periculo commotionis et consensus; aliud vero copulam aliasque blanditias imaginari morose, singillatim, cum carnali commotione, cum periculo consensus, maxime vero ex intentione formali delectationem carnalem sentiendi.

In praxi, dicente poenitente se habuisse cogitationes turpes, confessarius illum interrogabit an cognoverit se

male agere et nihilominus cogitationes retinere voluerit? Et quatenus affirmative, an fuerint desideria? Et quatenus negative, an imaginationes valde turpes et morosae fuerint?

813. *Quid si sponsi de futuro aut vidui de copula habenda vel habita delectarentur?* In rigore casus iste diversus est ab illo, in quo quis de fornicatione delectaretur; tunc enim obiectum esset illicitum, et e contra delectatio mere intellectualis copulae habitae vel habendae in matrimonio honesto obiectum honestum respiceret. Sed delectatio ista, si nonnihil vividior et morosior sit, delectationem carnalem praesentem (et quidem cum magno turpis consensus periculo) inducere atque ad illam proxime et vehementer disponere solet. Quatenus autem res ita se haberent, iam de peccato mortali ambigendum non esset. Ita sentiunt Sanchez (*IX.* XLVII *18*), Lessius (*IV.* III *120*), Busembaum apud S. Lig. (*V 25*) aliique valde communiter. Aliqui alii rigidius loquuntur.

CAPUT II.

DE PECCATIS QUAE NON SOLUM CASTITATEM SED ALIAS QUOQUE VIRTUTES OFFENDUNT.

Peccata ista sunt adulterium, stuprum, raptus (quae offendunt iustitiam); incestus (qui laedit pietatem, seu reverentiam propinquis debitam): denique sacrilegium (quod religionem offendit). De singulis aliqua breviter.

ARTICULUS I.

De adulterio.

814. ***Quid est** adulterium, et **quotupliciter** contingere potest?* Adulterium est violatio fidei coniugalis seu (ut aiunt) proprii vel alieni tori, et contingit 1° dum persona soluta cum persona coniugata peccat; 2° dum coniugatus cum coniugata peccat. Hoc secundum (uti patet) est adulterium duplex.

815. *Quid si **maritus consentiat** ut uxor cum alio viro peccet?* Huiusmodi consensus malitiam adulterii

non aufert, neque efficit ut peccatum uxoris ad simplicem fornicationem reducatur; semper enim iniuria Sacramento bonisque coniugii et prolis infertur; idque patet etiam ex prop. 50 damn. ab Inn. XI. Censet tamen Lugo, adulteram in tali casu iniuriam marito praecise non irrogare, quia scienti et volenti non fit iniuria; et proinde adulterium, consentiente marito, ab adulterio, eo invito, specie differre (*De Iust. et Iur. VIII 10*).

816. *Quid de solis* ***desideriis*** *aut* ***tactibus?*** *Quid de* ***pollutione*** *solitaria,* ***sodomia, bestialitate*** *etc. in persona coniugata?* Quamvis adulterium proprie consistat in copula; nihilominus tum desideria, tum etiam tactus, matrimonium offendunt; unde tactus adulterini a tactibus fornicariis specie differunt (Sanchez *IX.* XLVI *17*).

Idem dic de quovis peccato carnali a persona coniugata perpetrato: dum enim matrimonium contraxit, « interdixit sibi usum corporis sui, nisi ad finem matrimonii » (Lugo *De Poen. XVI 387*). Hinc pollutio coniugati a pollutione soluti (Salmant. *VII 100,* Lugo etc.) et sodomia atque bestialitas coniugati a sodomia et bestialitate soluti (S. Lig. *III 469*) specie differunt.

In praxi tamen, quando agitur de simplicibus tactibus sive in proprio corpore sive etiam cum alia persona habitis, malitiam adulterii rudes generatim non percipiunt; unde hoc in puncto interrogationes facile omitti possunt.

Coniugatus, qui aliam foeminam malitiose **alloquitur,** vel **conspicit,** vel **imaginatur,** in rigore, saltem propter periculum eam desiderandi et se polluendi, non solum contra castitatem, sed etiam contra fidem suae uxori datam peccat. Dixi *in rigore;* rudes enim in hoc etiam casu ad hanc specificam differentiam attendere non videntur.

817. *Quid si iuvenis aut puella post sponsalia, cum tertia persona fornicetur?* **Fornicatio post sponsalia** per se speciem non mutat, quia sponsalia obligant ad matrimonium et non ad aliud. Dixi *per se;* si enim res esset de sponsa, et fornicatio induceret grave periculum ne sponsus prolem alienam alere cogeretur, tunc iustitiae laesio locum haberet. Adde periculum ne sponsus tandem aliquando id resciat, et sic matrimonium exitum infelicissimum habiturum sit.

ARTICULUS II.

De stupro aut alia immixtione iniustitiae.

818. ***Quid est*** *stuprum?* In sensu *stricto* theologorum et canonistarum est defloratio *virginis* extra matrimonium (Cf. Baller. *Nota 6 ad n. 423 Vol. 1*). Quatenus autem stuprum sensu latiori accipitur, et speciem distinctam in confessione exprimendam constituit, est quodvis peccatum carnale commissum *cum iniustitia* contra personam, quacum peccatum ipsum perpetratur. D'Annibale (*II 73*).

819. Hoc itaque sensu nihil refert an persona cum qua peccatum committitur sit puella, aut foemina adulta, aut mulier coniugata, aut vidua; aut puer, aut adolescentulus, aut vir maturae aetatis. Exigitur dumtaxat ut iniustitia locum habeat.

820. *Haec iniustitia* ***quot modis*** *contingere potest?* Modi sunt sequentes. 1° Aperta vis. 2° Metus cadens in puellam, aut foeminam, aut puerum, aut virum constantem. 3° Preces ita importunae et diuturnae, ut moralem violentiam constituant 4° Fraus et dolus, nisi tamen persona seducta fraudem et dolum facile percipere debuisset. Iniustitia adest quoque 5° si cum persona amente, ebria, vel dormiente peccatum committatur; unusquisque enim ius habet ne tali ac tanta iniuria sine proprio consensu afficiatur, et censetur interpretative repugnare. Idem dic 6° si quis cum puella innocente (quamvis adulta), quae nesciat de qua re agatur, eius simplicitate abutendo, peccatum committat. Illa enim vendenti aut donanti gemmam pro vitro assimilari potest.

821. ***Stuprum foeminae honestae a stupro mulieris malae famae differtne specie?*** Affirmative, si ex stupro gravia damna timeri debeant. Ratio est quia tunc foemina non solum in pudicitia, sed etiam in honore aliisque bonis, iniuste laeditur. Haec autem damna sunt praecipue 1° si gravida reddatur; 2° si res evulgetur; 3° si virginitatis amissio sequatur. Quamvis ageretur de sola ablatione virginitatis, stuprum miserae puellae (maxime si esset honestioris conditionis) immane damnum afferret; pretiosissimo enim bono illam privaret, eamque quoad nuptias gravissimae difficultati aut saltem infelicitati exponeret.

822. *An mulier a viro non suo vi oppressa possit semen expellere?* Respondet Sanchez (*II.* XXII *17*): « Cer-

« tum reputo, nisi incontinenti semen expulerit, non posse « postea (*quod caeteroquin iam etiam physice impossibile « esset*); incontinenti autem valde probabile est mihi posse »; nempe quoad partem seminis quae adhuc esset in vagina (qua de re vide infra *De copula coniugali, Q. VII*). Ita sentiunt etiam plures apud S. Lig. (*VI 954*) et moderni celebriores, inter quos Génicot (*I 368, N. B.*), etsi contra sentiant Aerthnys (*III 192*) et S. Lig. (*l. c.*). Certe res ista concedi nequiret mulieri quae voluntarie consensisset, sed solum si vi oppressa fuisset (ut dixi), et causa gravis interveniret, v. g. puellae ad salvandum honorem, aut mulieri coniugatae ne a marito tamquam adultera haberetur.

823. *Quandonam non proprie stuprum committeretur, sed alio modo iniustitia contra personam carnaliter cognitam interveniret?* Casus esset si quis, **morbo gallico** occulte laborans, cum persona de hoc non suspicante fornicationem committeret; perinde enim foret ac si de merce occulto et valde noxio defectu vitiata ageretur. Hinc bene ait Bossius quod qui laborans morbo gallico fornicationem committeret, dupliciter peccaret et teneretur expensas compensare pro curatione alterius partis. Probabiliter tamen excusat meretrices (diplomate carentes), nisi ipsae requisitae, fraudulenter suum morbum tegerent; viri enim ad huiusmodi furfuris foeminas accedentes bene de hoc dubitare deberent.

ARTICULUS III.

De raptu.

824. ***Quid est raptus?*** Est iniusta abductio personae ex loco tuto ad locum non tutum (in quo nempe sub potestate raptoris maneat) ad finem libidinosum. Sic peccatum istud duas malitias continet, nempe 1° luxuriam in intentione; 2° iniustitiam in facto.

N. B. Non agitur hic de raptu quatenus est impedimentum matrimonii; tunc enim finis libidinosus minime exigeretur, sed sufficeret 1° quod matrimonii contrahendi causa raptus compleretur; sufficeret 2° quod mulier esset invita, quidquam foret de aliis. Cf. Genicot (*II n. 307*).

825. *Iniustitia in raptu* ***quotupliciter*** *intervenire potest?* 1° Si puella, seu quaelibet alia persona, sive vi, sive metu, sive mendaciis, sive insidiis, sive dolosis sollicitationibus, sive per eius ignorantiae et simplicitatis abusum, abduceretur (Vide Gury *Vol. I 427, et Vol. II 857*). 2° Si, quamvis ipsa sciens et volens consentiret, abduceretur faciendo vim vel utendo fraude contra eos, qui ius strictum eam custodiendi habent, quales sunt maritus, et (si ipsa esset *minor*) parentes, tutores et curatores; aut alii qui eorundem nomine illam custodirent. 3° Si ipsa quidem consentiret, et se opponerent alii qui ius strictum illam custodiendi non haberent (v. g. fratres), iique dolo circumveniantur, aut vi repellantur, sed ita ut vim vi repellendo moderamen inculpatae tutelae non servaretur, et sic tunc quoque iniustitia interveniret.

826. *Quid si de mero* ***raptu seductionis*** *ageretur, si nempe absque vi et dolo puella, etsi minor, insciis quidem aut etiam contradicentibus parentibus, cum amasio fugeret, sed illis vis non inferretur?* Tunc non iustitia sed sola pietas, nempe reverentia vel obedientia parentibus debita, offenderetur. Porro sensus communis dictat quod inobedientiae filiorum (etsi adhuc minorum), seclusa vi et fraude, iniustitiae stricte dictae reatum minime continent; unde in casu amasius inobedientiae quidem sed non iniustitiae particeps esset. Vide Lugo (*De iust. I n. 7*).

ARTICULUS IV.

De incestu.

827. ***Quid est*** *incestus?* Est peccatum luxuriae inter personas cognatione sibi invicem coniunctas.

Cognatio a consanguinitate, affinitate, adoptione, sponsalibus, et cognatione spirituali, oritur.

828. *Malitia incestus quo iure provenit?* Non solum a iure naturali, sed etiam a iure ecclesiastico; Ecclesia enim, dum vetat matrimonium, copulam illicitam quoque sub gravi et sub eadem ratione speciali interdicit; et ex hoc gravis malitia incestus ad omnes gradus ab Ecclesia prohibitos extenditur. Inspecto autem solo iure naturali, malitia incestus (quatenus ius naturae stricte laedit) ad consanguinitatem tantummodo, atque ad solum

primum gradum (loquendo de linea collaterali) extenditur: unde, obtenta dispensatione ab impedimento in aliis casibus, malitia incestus cessat. Cf. Sanchez (*VII.* v, *8 15*).

829. *Quid practice de malitia incestus in conscientia christifidelium?* Christifideles malitiam incestus, saltem quatenus est gravis, magna ex parte (si nempe primum et forte secundum gradum excipias) ignorare solent; et proinde saepe illam non contrahunt.

830. *Inter varios incestus potestne adesse* ***differentia specifica?*** Affirmative; incestus enim in primo gradu, iuxta sensum communem, specie differt ab aliis, et incestus in linea recta (v. g. inter patrem et filiam) specie differre censetur ab incestu in linea collaterali (v. g. inter fratrem et sororem). Cf. Sporer (*Vol. III.* IV. III *n. 610*), et Lugo (*De Poen. XVI 312*). Attamen aliqui theologi contra sentiunt, qui practice audiendi non videntur. Cf. Gury (*II 486*). Probabilissime autem inter alios gradus nulla differentia specifica intervenit. Cf. S. Lig. (*De Poen. 469*).

831. In praxi itaque, dicente poenitente se peccasse cum persona propinquitate sibi coniuncta, confessarius illum interrogabit, an haec propinquitas sit lata vel stricta. Si dicat, esse latam; tunc non oportebit ulteriores interrogationes facere. Si vero dicat esse strictam, tunc prudenter interrogandus erit ad cognoscendum an peccatum inter patrem et filiam; vel inter fratrem et sororem; vel levirum et fratriam (*cognato et cognata*); vel socerum et nurum; vel privignum et novercam (*figliastro et matrigna*) acciderit.

832. *Malitia incestus adestne solum in copula naturali?* Negative. Adest etiam (ut supra innuebam) in sodomia et tactibus obscoenis, si cum personis propinquitate coniunctis peragantur. S. Lig. (*III 467*). Hinc de illis quoque (si casus ita ferat) interrogationes fieri debebunt.

ARTICULUS V.

De sacrilegio et de violatione voti simplicis castitatis.

833. *Quandonam accidit* **sacrilegium** *in genere luxuriae?* Accidit quando actibus obscoenis sacra violantur. Contingere potest 1º circa personam sacram; 2º circa locum sacrum; 3º circa rem sacram.

I. *Circa personam sacram;* si nempe quis habens vel cum habente votum *solemne* castitatis, contra castitatem ipsam peccet; qua de re vide supra dicta (*n. 411*).

II. *Circa locum sacrum;* ut puta, si quis in Ecclesia se polluat voluntarie (quamvis occulte), aut aliam personam turpiter taugat, aut sermones graviter obscoenos proferat.

Tactus tamen, sermones et aspectus leviter impudici (quamvis ex interna malitia graves essent) et cogitationes obscoenae locum sacrum graviter non laedunt, et sic sacrilegia gravia non efformant. Gury (*n. 424*).

Peccata turpia, quae sive in sacristia, sive in ecclesiae turri (*campanile*) vel atrio committantur, sacrilegia non sunt.

III. *Circa rem sacram.* Sacrilegium contra rem sacram committeretur, v. g. si quis statim post communionem, nec adhuc consumptis speciebus sacramentalibus, carnaliter peccaret; aut si sacerdos sive in alicuius sacramenti (v. g. poenitentiae) administratione christifidelem ad turpia sollicitaret; sive indutus ad Missam, vel Eucharistiam gestans se voluntarie pollueret; sive demum sacras functiones turpibus sermonibus aut gestibus obscoenis foedaret. Vide S. Lig. (*n. 463*).

Violatio cognationis spiritualis, quamvis (ut supra dicebam) ad incestum reducatur, tamen sacrilegii quoque rationem habet (interveniente irreverentia contra sacramentum); unde D. Th. (*2. 2 q. 154 a 10*) dixit: « Si aliquis « abutatur persona coniuncta sibi secundum spiritualem « cognationem, committit sacrilegium ad modum incestus ». Idque verum est etsi solis tactibus id accideret. S. Lig. (*III 467*).

834. *Quid de peccato consistente in* ***violatione voti simplicis castitatis?*** Ab aliis peccati contra castitatem (eo quod religio quoque offenderetur) specie differret; sed sacrilegium minime esset. Vide dicta *n. 414*, ex quibus inferes quod qui cum moniali peccasset, et diceret: — peccavi cum foemina votum castitatis habente, — confessioni non satisfaceret.

CAPUT III.

DE LICITIS ET ILLICITIS INTER CONIUGES.

In hoc capite 1° De temperantia in usu coniugii; 2° de sodomia; 3° de onanismo; 4° de delectationibus venereis; 5° de tactibus, osculis, amplexibus, nuditatibus, aspectibus, et sermonibus; 6° de copula (quatenus haec omnia propter statum coniugalem speciales exigunt reflexiones) agam.

ARTICULUS I.

De temperantia in usu coniugii.

835. *Quid de* ***temperantia in genere?*** Temperantia exigit ut homo in rebus delectabilibus (speciatim quoad cibum, potum et res venereas) moderationem servet, caveat ab excessibus, et passiones suas (quatenus ad excessus ipsos tendant) refraenet. « Officium temperantiae est (scri-« psit Lessius *IV 17*) moderate se habere in delectabilibus, » non solum usu et actu externo, sed etiam affectibus in-« ternis; nimirum interius appetendo quantum, quale, ubi, « quando, et quo modo oportet, et similiter exterius usur-« pando.... Idem docet Augustinus: *Munus eius* (tempe-« rantiae) *est in coercendis sedandisque cupiditatibus, « quibus inhiamus in ea, quae nos avertunt a legibus « Dei* ». Et prius (*n. 4*) dixerat: « Temperantia primario « versatur in voluptatibus gustus et tactus moderandis; « hae enim et vehementissimae sunt, et a ratione longis-« sime abducunt; sunt enim nobis cum bestiis commu-« nes;.... unde etiam maxime turpitudinem et dedecus con-« iunctum habent, cum similes brutis faciant; quare maxime

« necessaria fuit virtus, quae has fraenaret, et secundum « rationis praescriptum (quae humanarum actionum est « mensura) ut homine sint dignae, moderaretur ».

836. *Quid de **temperantia in usu coniugii?*** Excessus in rebus venereis, non accidunt solum in fornicationibus, adulteriis, aut pollutionibus solitariis; sed in usu coniugii quoque plus vel minus intervenire possunt; unde oportet et etiam coniugati non a voluptate sed a recta ratione regulam sumant, et sic temperantiam servent. Hinc Tobiae (*Cap. IV n. 17*) legitur: « Qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suae « libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est « intellectus; habet potestatem daemonium super eos ».

837. *Recta ratio circa usum venereorum in coniugio quid dictat?* Dictat sequentia.

I. Usus venereorum in coniugio licet ad procreandam prolem; unde Tobiae (*l. c. 22*) legitur: « Accipies virginem « cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine « ductus ».

II. Licet etiam ad sedandam concupiscentiam, sive (ut aiunt) in remedium concupiscentiae; ne scilicet homo concupiscentiae ardore praereptus fornicandi vel se polluendi periculo expositus remaneat.

Equidem D. Thomas. (*Suppl. XLIX.* v *ad 2*) scripsit: « Si aliquis « per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in coniuge, non est « aliquod peccatum.... Sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est « ibi aliqua superfluitas (alias infirmitas); et secundum hoc est peccatum « veniale ». Iuxta hanc sententiam, quando mulier est gravida aut si esset certe sterilis vel decrepita, debitum posset quidem reddere (ne maritus periculo exponatur), sed non (salva conscientia a peccato etiam veniali) petere. Sed sententia communis (cum S. Lig. *VI 882*) oppositum docet, dummodo coniuges iuxta naturam se gerant et neque ad sodomiam neque ad onanismum divertant. Probatur imprimis ex Apostolo dicente (*I Cor.* VII): « Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat » — « Ite- « rum revertimini in idipsum (*scilicet usum matrimonii*), ne tentet vos Sa- « tanas propter incontinentiam vestram » — « Si non se continent, nubant ». Probatur etiam ex Catechismo Romano dicente: « Qui sibi imbecillitatis « suae conscius est, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad « vitanda libidinis peccata utatur ». Probatur insuper quia Ecclesia benedicit matrimonium etiam senum decrepitorum; et novissime de foemina certissime sterili S. C. S. O. sequens decretum emisit: « Num mulier, « per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta, ad matrimonium « ineundum permitti valeat ac liceat, necne? Re mature diuque perpensa, « matrimonium mulieris de quo in casu, non esse impediendum » *Die 3*

Febr. 1887. Imo S. Chrysostomus censuit, finem hunc remedii concupiscentiae esse praecipuum; scripsit enim (*De Virg. 19*): « Cum liberorum « procreandorum causa proditum est matrimonium, tunc *multo magis* ad « naturae ardorem restinguendum. Atque id Paulus testatur dicens: *Sed « propter fornicationem quisque uxorem habeat,* non propter liberorum « procreationem. Namque ibi convenire iubet, non ut multorum filiorum « parentes sint; sed cur? *Ne vos tentet*, inquit, *Satanas.*

III. Usus venereorum in coniugio licet ad satisfaciendum obligationi erga alterum coniugem debitum petentem.

IV. Licet quoque ad amorem coniugalem conciliandum, et fovendum. Gury (*II 907*).

838. ***Quandonam*** *itaque in usu coniugii contra rectam rationem, atque adeo* ***contra temperantiam, procederetur?*** Hoc contingeret in sequentibus casibus.

I. Si neque ad procreandam prolem, neque ad sedandam concupiscentiam, neque ad reddendum debitum, neque ad fovendum amorem coniugalem, usus venereorum deserviret. Exemplum habes si ex una parte uxor esset vetula ad generationem inepta quae debitum non peteret, sed potius rem coniugalem abominaretur; et ex alia maritus, senex ipse quoque, in nullo incontinentiae periculo degeret, carnisque stimulos non sentiret, unde non iam de sedanda, sed de excitanda concupiscentia (et quidem iam nimis naturae vim inferendo) res esset.

II. Si usus venereorum deservire posset quidem ad dictos bonos effectus; sed coniux illos a sua intentione explicite excluderet solamque delectationem intenderet.

III. Si excessive procederet. Exemplum habes 1° Si, seclusa necessitate specialissima, vir pharmacis aut vino aut aliis calidis mediis uteretur eo praecise fine ut saepius et vividius se ad venerem excitaret. 2° Si, mere ad producendam magis in longum delectationem, ante copulam tactibus indulgeret, et studiosissimis modis procuraret ut motus venerei, antequam semen a lumbis excidat, diu protraherentur. 3° Si nimis frequenter copulam haberet.

IV. Si aliquae circumstantiae particulares matrimonii usum illicitum redderent; v. g. propter infirmitatem, scandalum etc.

839. *Quid de utentibus coniugio* ***ex sola voluptate?*** Innocentius XII damnavit sequentem propositionem: — Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum penitus caret

culpa et defectu veniali —. Haec propositio merito damnata fuit ob suam generalitatem ; qui enim sola voluptate (maxime in re adeo delectabili) ducitur, temperantiae limites transgredi et contra rectam rationem (ut modo dicebam) facile procedere potest. Si vero ageret quidem ob delectationem, sed simul temperantiae limites servaret, nihilque faceret quod rectae rationi opponeretur ; tunc nec formaliter nec materialiter peccare videretur. Delectatio enim, quae provenit a re undequaque bona, non est mala sed bona ; unde Aristotiles dixit: (*X Ethicorum* VIII) : « Talis « est delectatio, quale opus de quo est ». Neque oportet ut homo actualiter cogitet de motivis, quae reddunt actionem rationabilem et bonam ; sed sufficit ut tamquam talem illam recognoscat, et proinde perspiciat quod delectatio, quam capere vult, est innocens et licita, prout in ludo aliisque honestis oblectamentis ; unde scripsit S. Lig. (*V De Act. hum. n. XLIV in fin.*) : « Quamvis aliquis accedens ad « mensam non cogitet de conservatione vitae, *sed solum « de cibi delectatione*, non propterea peccat ». Rationem reddit, quia, si quis deberet cogitare de dictis motivis ut licite ageret, hoc esset importabile pondus et res sexcentis implexa scrupulis. Haec doctrina cum sensu communi concordat.

Aliud esset si quis praedicta motiva explicite excluderet atque ad modum brutorum procederet.

A fortiori autem quis potest delectationem in coniugii opere intendere, eoque solo motivo (sensu nunc explic to) ad illud diverteret, si illam delectationem capiendi, speciali aliqua de causa, necessitatem quamdam haberet, v. g. propter infortunium, vel magnum laborem toleratum, vel tristitiam, afflictionem etc. Vide Ballerini (*II 908 not. 6 ad I n. 28*).

840. *Si coniux motiva rationabilia excludat, et ob solam voluptatem rei coniugali incumbat*, ***peccatne graviter, an vero leviter***? Respondet Gury (*II 908*) : « Illici- « tus est coniugii usus, si fiat ob solam voluptatem, idest « alios fines expresse excludendo... Per se tamen esset « tantum veniale peccatum, quemadmodum veniale est ci- « bum ob solam delectationem sumere ». Nota quod dicit

per se; dummodo scilicet ex parte actus temperantia servetur, atque ex nullo capite defectus interveniant. Si tamen defectus intervenirent quidem, sed essent leves; tunc quoque peccatum grave non evaderet.

Culpa itaque erit mortalis solum quando a parte sive actus sive alterius intentionis inordinatio gravis superadditur. Casus esset 1° Si vir ex sola voluptate accedens ad suam, ita animo comparatus esset actualiter, ut, si ipsa in promptu non esset, ad aliam accederet (dixi *actualiter;* non enim sufficeret si animo ita comparatus esset solum interpretative, ut bene notat Sanchez *IX*, xi *3*). 2° Si ad sodomiam, onanismum, pollutiones aliasve graves inordinationes procederet, prout ex infra dicendis melius patebit.

ARTICULUS II.

De sodomia inter coniuges.

841. *Sodomia quandonam accidit?* Quando vir vas praeposterum uxoris penetrat, et naturalem copulam praetermittit; sive intra vas ipsum semen effundat, sive non. Hac in re quoad virum active agentem, et quoad uxorem consentientem, nulla adesse potest controversia: de crimine enim horrendo contra naturam agitur.

842. *Sed quid de uxore non equidem consentiente, sed* ***ex metu passive se habente?*** Non potest passive se habere; sed tenetur 1° facere conatus, saltem per corporis agitationem, ut huiusmodi congressum impediat; idque non obstante metu contristandi maritum aut provocandi sive discordiam sive alia mala futura; solus enim metus gravissimi mali in flagranti impendentis passivitatem excusare posset, prout supra (agens de virgine violata *n. 725*) dixi. Tenetur 2° non consentire carnali delectationi in se ipsa tunc suborienti; nisi forte (ni fallor), se agitando, id faceret ut virum ad naturalem copulam induceret; tunc enim de conatu ad copulam ageretur, in quo delectatio carnalis licita esset.

ARTICULUS III.

De onanismo inter coniuges.

843. *Onanismus* ***quotupliciter*** *accidit?* Duobus modis: 1° Quando vir penetrat quidem vas naturale, sed statim ac seminis effusionem proximam esse advertit, se retrahit, **ut** extra vas semen effundat et sic generationem impediat. 2° Quando vir quodam instrumento seu involucro (it. *gondolo.* gall. *preservatif*), utitur, quo semen non intra matricem sed intra illud remanet. Hic secundus modus frequentissimus in civitatibus (speciatim quoad divites), ruri (saltem in nostris locis) parum notus videtur.

N. B. Generatio impeditur nedum per onanismum, sed etiam auferendo semen aut illud sterile reddendo, et sic procurando sterilitatem, ut mox infra explicabitur.

844. *Loquendo de primo modo, iam notissimum est quod vir peccat gravissime. Sed* ***quid de uxore?*** *Potestne ipsa passive se habere?* Uxor debet 1° huic viri inordinationi non consentire, adeo ut parata sit illam efficaciter impedire si posset. Vide resp. S. Poenitentiariae (apud Gury *II 927*). Si tamen quamdam naturalem experiretur complacentiam non de peccato sed de effectibus (quia nempe sic gravida non evadet multisque molestiis liberabitur), non peccaret, dummodo propter Dei timorem parata esset onanismum, etiam hic et nunc, si posset, impedire, ut modo dicebam. Vide eundem Gury (*n. 923. not. 1, et Cas. Vol. II 1115*).

Debet 2° admonere maritum ut actum perficiat. Ad hanc autem admonitionem tenetur magis vel minus iuxta spem fructus, et quatenus prudentia permittat; prudentia enim necessaria est, si maritus in bona fide versetur, ne a peccato materiali in peccatum formale absque ulla spe fructus coniiciatur; unde S. Poenitentiaria die *12 Novembris 1816* dixit: « Moneat orator huiusmodi uxorem, ut « non cesset *prudenter* commonere virum suum, ut ab « hac turpitudine desistat ». Attamen tunc quoque (ne plene acquiescendo consentire incipiat, atque ut viro quam-

dam remoram praebeat) repugnantiam aliquam patefacere perpetuo tenebitur. Non tamen oportet ut singulis vicibus praecise hanc repugnantiam ostendat, sed sufficit si vir habitualiter cognoscat suam agendi rationem uxori displicere. (Gury *l. c. 1117*). A fortiori cavere debebit ne ipsa nimiis querimoniis circa partus dolores, circa prolem numerosiorem etc., marito ad sic agendum impulsum praebeat. Nihil autem dico de illis uxoribus, quae aut viros suos ad onanismum directe provocant, aut (virilis seminationis proximitatem advertendo) se retrahunt.

845. Supponendo autem quod uxor onanismum non quaerat, sed ita detestetur, ut meliori modo possibili illum impedire procuret; tunc, quum actus mariti in initio sit licitus, et quum ipsa a parte sua nihil mali faciat, et sin minus in copula saltem in conatu ad copulam coniugalem versetur; iam actui ipsi (multo magis quia, non obstante malitia viri, foecundatio accidere potest, prout subinde accidit reapse) et delectationi carnali exinde consurgenti (Gury *l. c.*) non est cur consentire nequeat. Solum ex charitate viri peccatum impedire deberet. Quum tamen charitas non obliget cum gravi incommodo, et quum, sive a denegatione sive ab abstinentia a petitione debiti, periculum incontinentiae, discordiarum atque aliorum satis gravium malorum, in praxi vix seiungi possit; ideo uxores, quae a parte sua recte se gerunt, ut supra dixi, hoc in puncto ordinarie tranquillae remanere possunt.

Equidem S. Poenitentiaria in pluribus responsis locuta fuit de malis gravissimis (scil. si *vir instet minando verbera aut mortem aut alia gravissima mala*): in aliis responsis mitius locuta fuit; et theologi, duce S. Ligorio, censuerunt sufficere incommoda quae saepissime et fere semper interveniunt. Vide supra *n. 307*, ubi responsum eiusdem S. Poenitentiariae nec non verba S. Ligorii et Gury retuli. Hic addo Génicot qui (*Vol. II n. 550*) scripsit: « Neque ad debitum reddendum requiritur causa « gravis,.... vel si vis semper aderit talis causa, cum sit magna molestia « et periculum uxori regulariter reiicere mariti postulationem ».

Haec omnia valent pro casu in quo onanismus primo modo exerceatur.

846. *Sed quid de secundo modo, si nempe* ***ope involucri*** *praedicti perpetretur?* Tunc (meo sensu) uxor, neque nefandum instrumentum marito praebere neque debitum reddere neque delectationi carnali consentire, neque

passive se habere potest; sed, saltem se agitando manibusque utendo, huiusmodi congressui resistere debet. Ratio est quia hic agitur de actu iam ab initio totaliter illicito; cui proinde uxor, ad modum virginis violatae, resistere tenetur. Si tamen, dum ipsum nefandum instrumentum auferre nititur, ad copulam legitimam conatum facere intenderet, tunc delectationi carnali consentire posset.

N. B. Génicot (*n. 550*) dicit: « Theorice uxor debitum ne reddere « nec petere potest, quando vir involucro utitur: quia tunc ab initio actus « illicitus est », sed subdit: « Practice neque de tali turpitudine interro« gandae sunt uxores, neque discrimen hoc sponte aperire solent ». At vero quid si de huiusce facinoris existentia in casu, omnino praesumendum esset, et mulier de onanismo se accusaret? Possetne tunc confessarius loqui sicut loqueretur si maritus simpliciter se retraheret; et proinde dicere quod ipsa ordinarie potest reddere et petere? Hoc mihi verum non videtur.

847. *Quid de prudentia confessarii circa poenitentem de crimine onanismi interrogandum et corrigendum?* De re ista habemus duo responsa S. Poenitentiariae *18 Martii 1866*.

I. « Quando adest *fundata suspicio,* poenitentem qui de onanismo « omnino silet, huic crimini esse addictum, num confessario liceat *a pru« denti et discreta* interrogatione abstinere, eo quod praevideat plures a « bona fide exturbandos multosque sacramenta deserturos esse? An non « potius *teneatur confessarius prudenter et discrete interrogare?*

II. « An confessarius, qui sive ex spontanea confessione, sive ex pru« denti interrogatione cognoscit poenitentem esse onanistam, *teneatur* illum « de huius peccati gravitate, aeque ac de aliarum mortalium *monere*, eum« que, uti ait Rituale Romanum, paterna charitate reprehendere, eique ab« solutionem tunc solum impertiri, cum sufficientibus signis constet, eundem « dolere de praeterito et habere propositum non amplius onanistice agendi? »

« R. *Attento.... vitium infandum, de quo in casu, late invaluisse...*

« *Ad I. regulariter negative ad primam partem; affirmative ad « secundam* ».

« *Ad II. Affirmative, iuxta doctrinas probatorum auctorum* ».

Huic responso ad II. consonat aliud responsum eiusdem S. Poeniten« tiariae *14 Dec. 1874* sequentis tenoris.

« An suo muneri satisfaciant illi confessarii, qui cum poenitente « onanismi peccatum accusante altum silentium servant, et finita confes« sione peccatorum, illum verbis generalibus ad contritionem excitant, il« lique asserenti se detestari omne peccatum lethale, sanctam absolutionem « impertiuntur? R. *Negative* ».

Sed notandum quod S. Poenitentiaria ita respondit ad indicandum quod servari debent regulae generales, sed eo sensu ut servari debeant ordinarie, non vero quatenus propter particulares circumstantias (quando scilicet satis pateret unicum fructum admonitionis fore perditionem animarum) exceptionibus subiici non possint et debeant.

848. Et hoc in puncto pro praxi sedulo advertendum, quod interdum poenitentes credunt excusari a peccato mortali, et tunc etiam prudentia exigere potest ut de mortali non admoneantur. Génicot (*Vol. II n. 551*) scri-

psit: Quandoque occurrunt poenitentes qui monenti con-
« fessario iterum iterumque respondent se non posse in
« animum suum inducere mortalem onanismi reatum, prae-
« sertim quando gravissimas causas habent abstinendi a
« copula, puta quia medicus declaravit vel experientia
« ostendit novum partum fore valde periculosum uxori
« iam liberis onustae: ipsi autem, ad venerea valde pro-
« pensi, actibus imperfectis (*scil. blanditiis et tactibus sine*
« *pollutione*) contenti esse moraliter nequeant. Cum huius-
« modi hominibus, praesertim si ex reliqua vita satis boni
« christiani esse dignoscuntur, prudenti dissimulatione uti
« posse confessarium opinamur. Sicut nequit onanismum
« tunc positive permittere, ita ab eodem sub poena dene-
« gandae absolutionis huic homini interdicendo abstinere
« posse videtur ».

Quomodo etiam mulier possit (non obstante onanismo mariti) se tactibus partem suam complere post copulam, videbimus infra.

849. *Onanismus cum copulae interruptione, quae* ***non malitiose*** *ad impediendam generationem sed alia de causa contingat, debetne confundi?* Negative. Sed de hoc sermo redibit infra.

ARTICULUS IV.

De delectationibus venereis inter coniuges extra actum coniugalem.

850. **Delectatio venerea,** *quae inter solutos est grave peccatum (ut omnes norunt) si voluntaria sit, estne graviter peccaminosa etiam inter coniuges?* Negative. Ratio est quia ipsi, sive propter cogitationem copulae habitae vel habendae, sive propter adeo magnam consuetudinem, propinquitatem et confidentiam, sive propter facilitatem procedendi ad verba tenera, blanditias, tactus etc., huiusmodi delectationibus sunt nimis expositi: unde, si deberent sub gravi cavere ne iisdem consentirent, tunc matrimonium in laqueum damnationis converteretur; et proinde talis lex subsistere non potest. Hinc peccatum (saltem mortale) quoad

has delectationes restringi debet ad casum, in quo res usque ad pollutionem perveniat, et haec sit vel directe procurata vel sine causa sufficienti permissa (gravi enim intercedente causa, sicut in solutis, a fortiori in coniugibus, pollutio non equidem intendi sed permitti potest).

Aliqui (Cf. S. Lig. *n. 937*) damnant coniuges de mortali si voluptuosa titillatio subsequatur. Equidem tunc pollutio valde facilius continget, et difficilius circumstantiae poterunt esse tales ut excusationi locus supersit. Sed, supponendo quod pollutio tunc quoque (prout interdum accidit) subsequi non soleat, theologi primi subsellii censent, rem huiusmodi differentiam, quae gravem culpam constituat, non constituere. Sanchez (*XLIX 4*) scripsit: « Quamvis ex « ea delectatione consurgeret membri pudendi commotio « et alteratio, absque pollutionis periculo, non esset culpa « lethalis consensus in illam ». Idem docent Sporer (*n. 505*), Gury (*II 919. 3*) aliique.

Monent autem, id esse verum quamvis alter coniux esset absens, vel utcumque copula coniugalis impedita foret.

Haec tamen intellige nisi qui sic delectatur voto castitatis ligaretur, aut propter dubium de valore matrimonii eiusdem iuribus uti non posset. Cf. Sporer (*l. c.*).

851. *Sed quid de coniugibus, qui facillime et ex quavis levissima causa polluuntur? Quid e contra de illis foeminis quae delectationem quidem sentiunt, sed nunquam polluuntur?*

R. ad I. Quando coniuges polluuntur propter causas, quae ordinarie, seu quoad alios communiter, veram pollutionem producendi vim non habent, de gravi culpa incusari non possunt; viget enim eadem ratio, quod scilicet, si de peccato mortali incusari deberent toties quoties in aliquam delectationem veneream consentiunt (quae in illis, iuxta hypothesim, cum periculo pollutionis semper coniungeretur), tunc matrimonium in laqueum damnationis pro iis verteretur. Satis itaque est si pro iisdem peccatum mortale coarctetur ad casus, in quibus ex una parte propter rei gravitatem et morositatem ex communiter contingentibus pollutio ipsa sequi solet; et ex alia non interveniat causa sufficiens, ut *n. praec.* innui et infra melius explicabitur.

R. ad II. Verissimum est quod plures foeminae ne in ipso quidem coitu pollutionem (seu spermatis effusionem) percipiunt, etsi completam et valde voluptuosam libidinis expletionem (quam ipsae *sfogo* appellare solent) in seipsis experiantur. Tunc autem haec ipsa expletio vel est pollutio, vel saltem pro pollutione habetur. Scripsit S. Lig. (*VI 1075*): « Semper prae« sumi seminationem mulieris, quando ipsa.... magnam senserit voluptatem, « etsi seminationem non adverterit ».

ARTICULUS V.

De tactibus, osculis, amplexibus, aspectibus, et sermonibus inter coniuges.

852. *Quaenam est hoc in puncto distinctio practice principalis?* Distinguendum est inter tactus praeparatorios et non praeparatorios ad copulam.

853. *Quid itaque de tactibus* ***praeparatoriis*** *ad copulam?* Casus accidit quando tactus fiunt ex intentione copulae hic et nunc exequendae (scilicet ad naturam excitandam), atque adeo tali loco et tempore, in quo coniuges hic et nunc congredi possint. Hi tactus liciti sunt (quibus enim licet finis, media quoque licent); idque verum est quamvis forent omnino impudici (discretione tamen servata), imo et quamvis pollutio praeter intentionem aliquando copulam praeveniret. S. Lig. (*n. 934*).

Si tamen etiam sine illis copula commodissime perfici posset, et solum ad maiorem et diuturniorem delectationem sentiendam peragarentur, tunc (iuxta dicta *n. 839*) veniali culpa non carerent.

Uxor praesumere debebit quod vir ex intentione copulae tactus faciat vel exigat, si sic excitatus ordinarie debito suo satisfaciat; secus vero si semper aut fere semper tactus usque ad pollutionem produceret, atque ad copulam non deveniret, etsi (N. B.) facile illam perficere posset; quo casu uxor deberet tactus ipsos respuere, vel saltem ante pollutionem alios conatus positive adhibere, ut vir ad copulam deveniat. Vide *Art. seq. Q. V.*

N.B. Tactus copulam ipsam concomitantes, iuxta expositam distinctionem, modo liciti et modo venialiter illiciti sunt.

854. *Quid si intentio quidem copulam respiceret, sed ex senectute, frigiditate, vel debilitate vires deficerent? Licerentne tactus tunc quoque, non obstante periculo pollutionis?* R. Subsistente intentione copulae, et donec maneat aliqua spes perficiendi illam aliqua vice, tactus praedicti adhuc licere videntur. Sed de hoc sermo redibit infra (*l. c.*).

855. *Quid de tactibus ad copulam* ***minime praeparatoriis?*** Casus iste facile accidit in coniugatis omnibus; sed praecipue quando ipsi, sive ad evitandam generationem

prolis, sive propter morbum, sive propter absolutam impotentiam superventam, copulam nunquam exercent. Pro resolutione autem, videndum an tactus sint directi ad procurandam pollutionem praecise; an vero secus. In primo casu de re intrinsece mala et de manifesto peccato mortali ageretur. In secundo autem ordinarie decisio pendet a periculo pollutionis; et theologi communius sequentia docent.

I. Si nedum non intendatur pollutio, sed etiam *pollutionis periculum in utroque coniuge absit* (prout contingere potest si tactus essent fugaces et non morosi, aut si de solis osculis vel blanditiis ageretur, aut si coniuges frigidi valde aut senes forent), tunc peccatum mortale nunquam aderit; idque quamvis tactus ipsi vere turpes essent atque ad sentiendum veneream delectationem peragerentur. Ratio est ut supra (*n. 850*); et sic docet etiam S. Lig., qui (*n. 933*) scripsit: « An sint mortales tactus « et aspectus turpes inter coniuges propter solam voluptatem sine ordine ad copulam, si non adsit periculum « pollutionis?..... Negat sententia communis et verior..... « Et hoc etiamsi copula tunc ipsis esset vetita ob morbum, vel esset impossibilis ob impotentiam quae super« venisset ». Vide etiam infra *n. 870*.

Aliqui excipiunt osculum in verendis, et clamant ad *indecentiam horrendam, nefandam, turpissimam*, etc. Sed, ut ait Baller. (*II 919*), ubinam erit reperire decentiam in negotiis huiusce generis? Vide Sporer (*n. 498*) et apud ipsum Sanchez, Filliuccium aliosque magni nominis theologos, qui osculum istud aut levem lambitum a regula generali excipi non debere iudicant (1).

Alii (Cf. Sporer *503*) excipiunt etiam casum coniugis se ipsum tangentis; sed Sanchez, semper in hypothesi quod absit periculum pollutionis, aperte dixit (*IX.* XLIV *15*):

(1) Notandum quod uxores quando in confessione dicunt, virum voluisse osculum in verendis, prae nimio rubore occultare solent quod ipsae membrum virile propriis labiis usque ad pollutionem demulserunt: itemque permiserunt ut vir quid simile faceret, nempe ut ille suis labiis aut lingua eas in verendis pari morositate eodemque tempore (inversim sic se habendo) tangeret. Haec occultando, cum conscientia remorsu iactata remanent; unde confessarius prudenter eas interrogare poterit: Agiturne de solo osculo, an vero de re peiori? Si mulier dicat quod agitur de re peiori; tunc con-

« Probabilius mihi est, solum esse culpam venialem ». Fatendum tamen quod huiusmodi hypothesis (saltem in personis florenti aetate adhuc pollentibus) est potius imaginaria quam realis.

II. Si autem tactus ad copulam non praeparatorii *cum periculo pollutionis coniungantur;* tunc (ut supra innui) sunt mortales, sed non semper. Et hac in re valere poterunt regulae sequentes.

856. **Reg. I.** Malitiâ (saltem gravi) carent tactus, etiam impudici, si coniuges, quamvis ab initio copulam non intendant, tamen sint dispositi ad illam exequendam, casu quo periculum pollutionis reapse immineat; atque adeo sint in loco et tempore apto etc. Sanchez (*IX.* XLV *36*).

857. **Reg. II.** A gravi reatu immunes videntur tactus etiam casu quo coniuges essent quidem firmi in excludenda copula, sed pollutionis *periculum foret leve seu remotum;* neque obstaret si (semper in hac hypothesi) tactus essent prorsus impudici et morosi; saltem si tunc causa gravis omnino urgeret. Intellige tamen dummodo non adsit consensus in pollutionem (per accidens evenientem); quae, si cohiberi nequeat, saltem displicere debet. Diana (*II.* VI *207*) scripsit: « Quidam inchoabat copulam cum uxore, et postea « ob morbi periculum ex eius consensu se retrahebat; « verum ex hoc *aliquando* sequebatur pollutio. Quaesitum « a me fuit, an talis tactus esset licitus? Respondi: affir« mative ». Et Sporer (*n. 500*) dixit: « Titia uxor iuve« nis.... maritum habet iam iam septuagenarium.... omnino « impotentem.... Maritus amans, quia aliter non potest, « rem tactibus agit. Titia patitur, et inde polluitur, semel, « bis, ter: anxia rogat opem: hinc Deum et peccatum ti« met; illinc maritum amat.... Quaeritur an nihil vel quid

fessarius subdat: Agiturne de facto reciproco? Nec maior explicatio peti poterit.

Caeterum, nisi poenitens interrogandi occasionem dederit, non bene se gereret confessarius, si de re ista interrogaret. Attamen scribit Lehmkuhl (*II 837*): « Si deprehendatur poenitens, qui non possit per se expri« mere foedissimas istas res, sed neque conscientiae pacem habeat, nisi « dixerit; confessarii erit (si moraliter certus sit, rem ipsam commissam « esse) quam castissime possit, interrogare v. g. mulierem, num *ore* « *abusa sit* ».

« remedii supersit? Respondeo: Cum illi tactus videantur « practicari ordinarie sine pollutione, tametsi haec *quan-* « *doque* sequatur praeter directam utriusque intentionem; « cum deinde appareant fieri non ex mera libidine, sed ad « testandum fovendumque amorem coniugalem, qui caete- « roquin facile frigescit in tam impari coniugio, ideo non « videri delinquere mortaliter illis tactibus ». Idem sentit « Ballerini (*II 919 not. 6*).

Dices: Quomodo scire poterit coniux, periculum pollutionis esse leve etiam e parte alterius cuniugis? Resp. Si ex experientia eiusve dicto id non sciat, iudicium de re ista efformabit ex communiter contingentibus. Notandum quod, si agatur solum de osculis, amplexibus et blanditiis in partibus non prorsus impudicis, haec personis coniugatis valde minorem impressionem facere solent, nisi nimio libidinis ardore aestuant; unde scripsit Sanchez (*IV.* XLV *37*): « Ubi non nimius libidinis ardor incitat eos, sed vo- « luntas mutui amoris fovendi, non influunt notabiliter in « coniugatis ad pollutionem; quamvis in omnino solutis, « quibus copula est interdicta, influerent; haec enim est « prava nostrae naturae corruptio, ut semper in vetita « nitamur ».

858. **Regula III.** Supposito periculo gravi pollutionis, certe (seclusa quavis voluntate copulae) vetantur sub gravi illi tactus qui pollutionis ipsius procurationi aequivalent. Exemplum dat S. Lig. (*VI 934*) si vir digitum morose admoveat intra vas foemineum; et Sanchez (*IX.* XLV *34*) si foemina virilia attrectet moveatque etc. Unde scripsit Caietanus (v. *Matrimonium in fin.*) perinde esse si tactus fiant ex intentione aut quasi intentione pollutionis, quod explicat inquiens: « Dixi *aut quasi*, propter vacantes hu- « iusmodi tactibus non cogitando si eveniat pollutio vel « non eveniat: essent autem contenti ut eveniret: dant « siquidem operam actibus illicitis, ex quibus nata est se- « qui pollutio; et ideo tamquam intenta reputatur illis sic » male affectis ».

859. **Regula IV.** Si autem agatur de illis tactibus, qui ex natura propria non sint adeo proxima dispositio ad

pollutionem, decisio pendet ab existentia vel non existentia causae proportionatae.

In praxi magna distinctio fieri debet inter tactus pudicos vel minus pudicos (prout sunt oscula, amplexus, tactus uberum, similesque blanditiae); et tactus prorsus impudicos (scilicet in verendis, etsi non ut supra morosos).

Primi, non obstante periculo pollutionis, liciti sunt tam in reddente quam in petente; sed S. Lig. (*l. c.*) exigit causam gravem et extraordinariam, v. g. ut coniux avertat suspicionem ab altero, quod ipse sit erga aliam personam propensus; alii autem (apud ipsum S. Lig.) consuetam causam ostendendi mutuum amorem coniugalem sufficere censent; quod mihi probabilissimum est (dummodo quaedam discretio servetur); haec enim coniugibus interdicere (et quidem sub gravi) quid nimis durum et executionis moraliter impossibilis mihi videtur; conscientiae autem nimiis angustiis expositi remanerent, et status coniugalis nimis frequenter in laqueum damnationis verteretur. Saltem prudentia exigeret ut coniuges in bona fide relinquerentur. Imo prudentia facile exigit etiam, ut circa ipsam obligationem adhibendi conatus ne pollutio accidat, et contra illam concipiendi abominationem, sermo non fiat. (Lehmkuhl *II 836*).

860. Loquendo autem de tactibus secundi generis (scilicet omnino impudicis, etsi non morosis) distinguere oportet inter petentem et reddentem. In petente tamquam graviter illiciti haberi debent; quum enim non ad amorem ostendendum, sed solum ad libidinem deserviant, in ipso causa honesta vix supponi potest. In reddente autem possunt esse liciti, si, recusando, coniugem sibi infensum reddendi periculo exponeretur. Ita docet Sanchez (*l. c. 34. 36*) et hanc doctrinam etiam S. Lig. (*l. c.*) probabilem esse censet.

861. Quoad solos **aspectus** et **sermones**, Sanchez (*l. c. 40. 41*) cohaerenter supradictis docet, illos non esse mortales ob solas commotiones venereas; bene vero si adesset grave periculum pollutionis, deficiente causa iusta (quae tamen facile intervenire posset in reddente).

ARTICULUS VI.

De copula coniugali.

Hic agendum est de copula, non quatenus est debita (qua de re in Cap. seq.), sed quatenus ex aliqua circumstantia potest illicita seu vitiata evadere.

862. Quaer. I. *Quid si vir coeat modo praepostero, non tamen sodomitice sed ad instar pecudum?* (1) *Quid si vir sit succubus et uxor incuba? Quid si coniuges sive a latere, sive stando, sive sedendo coeant?* Omnes hi modi sunt innaturales, ut per se patet, sed non graviter; servatur enim debitum vas, et foecundatio (quamvis forte minus faciliter) sequi potest; semen quippe non per descensum, sed per attractionem ad uterum et ovaria vadit. Capellmann (*D. IV 3*). Culpa igitur est venialis. Imo nulla prorsus aderit culpa, si necessitas aut causa rationabilis ita suadeat.

Causae excusantes essent, v. g. pinguedo, curvitas, periculum abortus, scandalum (Cf. *n. 884*), mulieris incommodum, aegritudo, aut si vir a coeundo esset alienus, aut si uxor ipsa copulam sic magis appeteret (porro situs a foemina magis appetitus aptior iudicatur, ut ait Croix *VI.* III *332*). Theologi autem excusant semper a quavis culpa uxorem reddentem debitum viro praedictis modis illud exigentem: secus enim aut ipsa periculo incontinentiae exponeretur, aut vir ei minus benevolus evaderet (intellige si aliquae preces non iuvarent). Neque obstat si (prout in huiusmodi coeundi modis facile accidit) pars seminis praeter intentionem extra effundatur. (Sanchez *IX.* VI *5*). Unde de re ista nulla inquisitio necessaria est; maxime quia ex recentioribus physiologiae theoriis habemus, quod ad foeminae foecundationem minima seminis pars sufficere potest, ut testatur Capellmann (*l. c.*).

---

(1) Poenitentes una eademque phrasi uti solent ad indicandum hunc concumbendi modum et sodomiam; et dicunt: *rem habui a retro.* Ut confessarius intelligat qua de re agatur, interrogare poterit an illo modo prolis conceptio possibilis sit.

863. Sed quid si coniuges ita se gererent praecise ut foecundationem impedirent? Distinguendum est. Si intendant illam impedire omnino, tunc (non ex opere sed ex intentione) graviter peccant; secus vero si illam minus facilem dumtaxat reddere intendant.

Punctum istud est valde considerandum, et firmatur auctoritate Sanchezii, qui scripsit (*l. c. n. 6*): « Quamvis « autem variato situ convenirent coniuges, ne ita certa sit « proles, crederem eos non esse lethalis culpae reos. Quia « non tenentur certiorem modum ad prolem concipiendam « eligere, sicut minime tenentur uti mediis aliquibus faci- « liori conceptioni deservientibus,..... nec carendi prole « desiderium est mortale. Quod si animus esset omnino « impedire foetum, licet concumbendo his modis minime « impediatur, esset peccatum mortale contra naturam. Quia, « cum actus internus et externus sint eiusdem malitiae. « sicut impedire generationem est mortale contra naturam « illius actus, quam natura ad prolis conceptionem retulit: « ita velle impedire erit ».

864. In praxi autem confessarius consulere poterit conscientiae poenitentis (si credat peccare mortaliter, prout reapse, durante tali errore, sic peccaret) declarando, quod his quoque modis proles concipi potest, unde peccatum, (si post hanc notitiam adhuc sequatur) non erit mortale sed veniale.

865. Quaer. II. *Quid si vir penetret quidem vas, sed parum, et in principio vasis ipsius totum semen effundat?* Praemittendum quod actus iste reddit quidem foecundationem minus facilem, sed illam adhuc possibilem relinquit.

Semen masculi infinitis corpusculis microscopicis et semoventibus (it. *spermatozoi*) constat, quae foeminea organa facile pervadunt; unde scripsit Lecomte (*De l'ovulation II.* III. II): « Ad ora genitalium foemellae « mortuae aliquid seminis depositum est, et mox semen istud omnia geni- « talia interna invasisse inventum est »; et prius dixerat: « Certo certius « plures foeminae, prorsus illaesa membrana hymene (*quae vaginam quasi « claudit*), gravidae factae sunt ». In dictionariis autem medicis passim legitur, aliquam seminis partem circa os foeminei vasis depositam sufficere, ut foemina foecundari possit; ut videre est apud Ballerini (*II 855 a*).

His praemissis, quaestioni propositae sic respondeo. Si vir legitimam habeat causam sic se gerendi, eo quod, v. g. foemina, sive quia sit recens a partu sive quia sit

infirma in verendis, coitum perfectum non patiatur, tunc nullo modo peccat; si autem ita se gerat quia modum generationi aptiorem evitare vult, tunc venialiter peccat; si demum (et hic est casus practicus) se hoc modo generationem impedire totaliter intendat, tunc ex hac malitia mortaliter delinquit. Vide mox supra dicta (*n. 863*).

866. Dices: Si vir absoluta et perpetua laboraret impotentia vas penetrandi, matrimonium esset invalidum. Quomodo itaque accessus ad foeminam sine vasis penetratione, tamquam actus coniugalis et licitus haberi poterit? R. Aliud est de impotentia antecedente et aliud de consequente matrimonium; et bene contingere potest quod una eademque impotentia iure naturae obstet validitati matrimonii adhuc contrahendi, et non obstet liceitati actuum coniugalium matrimonii iam valide et legitime contracti. Exemplum habemus in eunucho, qui invalide contrahit matrimonium; sed (si factus fuerit eunuchus matrimonio iam contracto) licite eo utitur, dummodo aliquo modo (etsi valde imperfecto) congredi possit. Vide infra (*n. 869*).

867. Quaer. III. *Quid si uxor actu copulae non quidem se retrahat; sed ita se cohibeat ut, viro seminante, ipsa nullo modo seminet?*

Praemittendum quod in foemina non datur vera seminatio. Semen foeminae est ovum, et quamvis ipsa minime commoveatur, si ovum maturum et reseratum habeat, foecundationi bene apta esse potest. Patet ex innumeris exemplis foeminarum, quae sine ullo voluptatis et commotionis sensu (imo et in balneo, in quo prius vir se polluerat) gravidae remanserunt. Capellmann (*D.* IV *2*) dicit quod hodie de hoc certe constat.

Attamen foeminae commotio et consequentis humoris emissio non parum foecundationi deservit, illamque (sive ovum reserando, sive semini virili viam aperiendo, sive illud diutius activum servando) magis facilem reddit. (Cf. Lecomte *l. III.* v et *l. II*, et Capellmann *l. c.*).

Ex his principiis deducendum est 1° quod in exposita agendi ratione malitia substantialis a parte actus non invenitur. 2° Malitia tamen adesse potest a parte intentionis; si nempe uxor ita se gerat, ut generationem minus facilem reddat (quo casu, nisi causa rationabilis subsisteret, peccatum veniale non deesset); vel, prout practice contingit, ut illam omnino impediat (quo casu culpa mortalis erit). Cf. supra dicta (*n. 865*). Culpa quoque intervenire posset, si de re huiusmodi maritus (prout iam

ordinarie contingeret) contentus non esset. Cf. Sporer (*n. 491*), Croix (*VI.* III *334. 351*), et S. Lig. (*918 in fin.*).

868. Quaer. IV. *Hodie, ad curandas gravissimas uteri infirmitates, uterus ipse cum utroque ovario amputari solet, qua operatione facta, foemina certo certius foecundationi prorsus inepta remanet. Quid itaque si uxor illam subiisset? Copula coniugalis licebitne tunc quoque?* Affirmative. Patet 1° Quia S. C. S. O. (*3 Febr. 1887*) decrevit matrimonium in hoc casu non esse impediendum. Patet 2° Quia ex una parte copula possibilis remanet sicut antea; et ex alia, si non obtinetur finis matrimonii qui dici solet primarius (scilicet generatio prolis), obtinetur alter finis, qui dici solet secundarius (scilicet sedatio concupiscentiae et remedium spirituale ad evitandas fornicationes vel alia peccata carnalia); qui finis utique honestus et bonus est. Recole mox supra dicta (*n. 865*); maxime vero vide infra in tractatu *De matrimonio* (ubi de imped. impotentiae).

869. Quaer. V. *Quid de illis senibus aliisque ita impotentibus, ut coire sed non seminare, aut nequidem coire valeant?*

R. I. Si vir coire valeat, licitus est ei usus matrimonii etsi seminare nequeat.

Scripsit Sanchez (*VII.* CII *7*): « Senibus decrepitis iam ad generationem impotentibus, a nullo negari usum coniugii si coire valeant ; probaturque quia obtinetur finis matrimonii secundarius, nempe ardorem concupiscentiae sedare. Non ergo obstat defectus veri seminis ad generandum apti.... Et ita tenet Toletus loquens de facto eunucho post matrimonium. Idem tenet Caietanus loquens de senibus, qui valide contraxere in senectute, nec iam possunt semen emittere. Unde tunc uterque poterit petere, et alter reddere tenebitur ».

R. II. Si vir ne quidem coire valeat, tunc quoque conatus ad coeundum facere poterit, donec spes aliqua id obtinendi (sin minus hic et nunc, saltem aliquando; et, sin minus perfecte, saltem imperfecte) ei supersit; quamvis forte, praeter intentionem et secus ac vellet, semen extra vas effunderet.

Hinc scripsit Sanchez (*IX.* XVII *20. 21*) : « Caietanus refert accidisse cuidam ut per multos annos intra vas effundere semen minime potuerit, ac sex annis transactis potuisse, et interim (ait) conando minime deliquisse. Deducitur quid dicendum sit de senibus, quibus vires potestasque seminandi intra vas deficiunt.... Si subsit aliqua spes intra semi-

« nandi, aut aliquando, licet vix, intra seminent, licebit copula uti cum « eo periculo (fundendi semen extra vas). Et quamvis, ubi non constat im- « potentiam esse perpetuam, sibi vir persuadeat fore ut illa vice qua con- « greditur non possit intra vas seminare, potest, deposita conscientia, « accedere ad uxorem; tum quia certus esse nequit, fieri enim poterit ut, « prae voluptate coitus, membrum vires assumat, erigaturque atque ita « possit vas penetrare, et ita effundere; tum quia.... frequenter sibi id « persuadebit, gravissimisque urgebitur scrupulis, ac in magnas angustias « redigetur, si tunc sibi congredi nefas sit ». Adde quod sufficit ut circa os vasis muliebris semen effundatur, etsi non accidat notabilis penetratio, ut patet ex dictis (*n. 865*). Si autem de re undequaque prorsus desperata ageretur, tunc quid dicendum sit de tactibus, declaravi supra (*n. 855 et seqq.*).

870. Quaer. VI. *Quid de interruptione copulae? Quid scilicet si vir, antequam semen intra vas effundat, se retrahat?* R. Si pollutio non interveniret, si videlicet neque vir neque uxor polluerentur, tunc (nisi forte uxor de hoc valde invita esset) peccatum mortale non adesset.

Scripsit S. Lig. (*VI 918*): « Si coniuges ambo in hoc consentiant, « nec adsit periculum seminandi extra vas, id per se loquendo non est « mortale; illa enim penetratio vasis foeminei tunc reputatur instar tactus « verendorum, qui inter coniuges permittitur, vel saltem non est mortalis, « secluso periculo pollutionis ». Et subdit Sanchez (*IX.* XIX *3*): « Nec « credo effici mortale, quamvis nullus alius finis adesset, quam impediendi « generationem; quia eam impedire semine emisso manifesta culpa mor- « talis est contra naturam...; at ubi seminis iactura non fit, nulla est « ratio lethalis culpae; non enim tenentur coniuges prolis generationi « vacare, et sicut ad illam impediendam possunt communi placito a copula « abstinere, ita ab incoepta, neutrius semine emisso, resilire.... Imo, si « causa iusta esset, v. g. ne seminatio noceat saluti, vel coniuges sint « pauperes et prole abundent, quam non sint alendo, et habeant similem « copulam absque seminationis periculo, qua concupiscentiam sedent, nullam « invenio culpam ». Quod tamen copula huiusmodi ex una parte deserviat ad concupiscentiam sedandam (et non potius ad illam augendam), et ex alia a periculo pollutionis (et quidem in utroque coniuge) sit immunis, difficile erit; possibile tamen est, et in praxi aliquando (speciatim in debilibus, senibus, et frigidis) casus iste accidit reapse.

871. Si autem pollutio locum haberet; tunc videndum qua intentione vir se retrahat et copulam interrumpat. Si id faceret ad impediendam generationem, tunc certe gravissime contra naturam delinqueret. Casum habes 1° si vir ad effundendum semen extra, et sic ad onanismum perpetrandum, se retrahat; 2° si vir congrediatur cum uxore ad eam polluendam, et postea se retrahat, et nec intra nec extra semen effundat; 3° si vir congrediatur cum uxore sine mala intentione, sed ab ipsa iam polluta aut proxime polluenda rogatus ut discedat, ne gravida evadat, consentiat,

quamvis pariter nec intra nec extra semen effundat. Porro procurare pollutionem simulque adhibere malitiam ut ad generationem deservire non possit, gravissimum semper contra naturam flagitium est. Nec valent rationes numerosioris prolis, periculosae graviditatis etc. Cf. responsum Sacrae Poenitentiariae (*13 Nov. 1901* apud *Monit. XIII pag. 495*).

872. Sed quid si, uxore iam polluta aut proxime polluenda, vir se retraheret, non ad impediendam generationem sed alia de causa minime malitiosa, sive ipse quoque (praeter intentionem) polluatur sive non? Hoc non esse quid intrinsece et absolute malum dicit Si Lig. (*VI 918*) et in confesso est apud omnes. Si autem petas quantum gravis debeat esse causa, ut factum istud cohonestetur, Sanchez (*IX.* XIX *6*) dicit exigi causam gravissimam et urgentissimam, cuiusmodi esset grave periculum scandali vel mortis (supervenientibus, v. g. aliquibus personis vel belluis ferocibus); et addit quod, praeviso casu, copulam incipere nefas esset. Etiam S. Lig. casus istos urgentissimos tantummodo indicat. At vero haec doctrina mihi nimis rigida videtur. Capellmann dicit: « Si post foeminae semi- « nationem vir spasmo corripiatur, v. g. in crure vel in « pede, nunquid etiam tunc nihilominus ad copulam con- « tinuandam cogetur? » Quid si, uxore iam polluta, vir iam a longo tempore incassum laborasset et iam vires sibi deficere sentiret; adhuc tamen speraret, sed heu cum quanto incommodo? Quid si uxor ipsa diceret se virum amplius sustinere non posse? Quid si non equidem periculum mortis, sed magnum dolorem sentiret et rogaret virum ut discederet? Nonne in senibus, frigidis, debilibus etc. frequenter accidere potest ut foemina quidem cito polluatur, vir autem rem ad exitum perducere nequeat? Sanchez nulla distinctione facta dicit absolute, tunc copulam incipi non posse. Sed doctrina ista quomodo componitur cum alia supra exposita (*n. 869 R. II*) quae a Sanchezio ipso traditur?

873. Quaer. VII. *Quid de uxore, quae statim* ***post copulam assurgat,*** *vel mingat, aut aliud faciat, unde semen receptum deperdat?* In primis duobus casibus nihil

mali esse potest (nisi forte a parte intentionis); aliud esset de tertio casu adhibendo intrinsecus lotiones etc.

Res ista sequenti modo declaratur. Scribit Capellmann: « Semen quod iam in vas foemineum penetravit, non tam « facile effluit. Parietes vaginae post retractionem viri « continuo hermetice componuntur, ideoque, propter capil« larem parietum tangentium vim sugendi, fieri non potest, « ut semen effluat. Sed esto semen partim effluat, tamen « semper satis multum seminis remanet. Cuius rei apertum « documentum est, quod etiam stantibus inter copulam « coniugibus foecundatio bene fieri potest.

« Id vero per se patet, lotionem vel evacuationem se« minis per iniectiones (v. g. ope spongiae) in vaginam « statim post copulam factas, vere onanismum iudicandum « esse ».

Loquendo itaque a parte rei, grave et efficax attentatum contra foecundationem adest solum in hoc postremo casu lotionum et recollectionum internarum; maxime vero si post copulam iniiceretur in vaginam aliquod acidum (v. g. *l'acido simico* vel *l'acido borico* vel *il bisolfato di chinina*); acida enim semen (*gli spermatozoi*) occidunt. Loquendo autem a parte intentionis delictum subsisteret etiam in aliis actibus (semper ac ad totaliter impediendam foecundationem directi essent); quamvis enim forent inefficaces in se, tamen essent graviter pravi ex malitia. Sed in tali casu confessarius conscientiae poenitentis consulere poterit iuxta dicta (*n. 864*). Vide Tamburini (*Dec. VII.* III *§ 5 n. 14*).

874. Quaer. VIII. *Quid de* ***copula incoepta sodomitice*** *(attamen sine penetratione vasis praeposteri) et consummata in vase naturali?* Plurimi theologi actum huiusmodi de peccato mortali damnant: affectum enim sodomiticum hic vident. Sed non desunt alii (et quidem primi subsellii) quibus peccatum veniale dumtaxat adesse visum fuit; quia (aiunt) hic agitur de actu praeparatorio ad copulam, qui tamen ex quadam velleitate sodomitica aliquo modo foedatur. Vide auctores apud S. Lig. (*n. 916*) et Diana (*II.* VI *187. 188*).

875. *Sed quid si vasis praeposteri penetratio adsit quidem sed sine pollutione et cum voluntate actum con-*

summandi in vase naturali? Theologi multo plures actum istum de mortali damnant; sed aliqui tunc quoque aliter sentiunt; quia (aiunt) in substantia vas legitimum servatur, quatenus non in praepostero, sed in naturali semen effunditur; et aliunde nihil impedit quominus tactus iste, ad instar tactuum membri virilis cum manibus uxoris, ad copulam coniugalem referatur, nimirum ut vir ea delectatione excitetur aptiorque ad copulam efficiatur: et, esto ad solam voluptatem dirigeretur, esset culpa venialis, quales sunt caeteri tactus directi ad voluptatem. Vide auctores apud Sanchez (*XVII*) et S. Lig. (*l. c.*).

876. Quaer. IX. *Quid de **copula incoepta in ore**, et consummata in vase naturali?* Theologi facilius (multis tamen adhuc contradicentibus) hunc actum excusant; in illo enim malitia sodomitica minime adest. Vide auctores apud Diana (*l. c. 188*), Palao (*XXVIII.* III *p. 4 § 2 n. 6*) et S. Lig. (*n. 935*). Inter recentiores rem istam excusat Ballerini (*Op. th. Vol. VI n. 617*) qui citat etiam Sanchez; sed cavendum ne adsit proximum periculum pollutionis antequam actus in vase naturali perficiatur; quod tamen, si obiter ita fieret, ordinarie non interveniret.

877. Quaer. X. *Quid de uxore, quae **a parte sua in copula actum non compleverit**, et proinde valde irritata manserit? Poteritne partem suam active perficere postea?* Hic casus est valde praticus.

Ad illius resolutionem, praemittendum quod si foemina, durante congressu cum viro, consulto se cohiberet, ut solum postea rem perficeret, a quavis culpa expers non esset; illius enim spermatis emissio id quoque a natura habet ut viri actui deserviat, ut physiologi notant. Imo malitia affective onanistica (prout practice accidit) intervenire solet; unde ratione huius intentionis peccatum mortale adesset.

Caeterum, sive ex consulto sive per accidens evenerit quod uxor, durante congressu, rem non perfecerit, potest sine dubio illam perficere postea, dummodo statim id faciat, et actus coniugalis adhuc moraliter perseveret.

Equidem Debreyne (apud Scavini *III 823*), eo quod hodie opinio de necessitate spermatis foeminei ad foecundationem amiserit omnem probabi-

litatem, censet actum huiusmodi quovis legitimo fine destitui, atque adeo (tamquam meram pollutionem solitariam) esse prorsus illicitum. Sed haec consequentia non bene deducitur; quamvis enim foeminei spermatis emissio ad foecundationem non sit necessaria, tamen utilis est. Scripsit Capellmann (*Med. pastor. De matr. r. II*): « Irritatio organorum generationis.... in « ipsa voluptatis completae exsolutione apud mulierem.... producit secre- « tionem aliquam (*quae vulgo sed falso dicitur semen*). Haec foecundatio- « nem adiuvat, eo quod ad protrahendam seminis (virilis) vim vitalem « conferat; praeterea forte etiam, eo quod effluendo efficit, ut os uteri a « glutine illo quod ei inhaerere solet, liberetur, ac facilius semen admittat. « Insuper illa partium irritatio multum sine ulla dubitatione influit, ut « semen certius et citius cum ovulo coniungatur ». Mulier itaque, quae ut supra se gerat, verissime nihil aliud facit, quam conferre partem suam naturaliter utilem, et sic complere actum coniugalem adhuc moraliter perseverantem; unde hac in re nihil illiciti esse potest; non enim (ait Sanchez *IX*. XVII *9*) necesse est utrumque coniugem seminare simul (Equidem aliud esset de viro, qui certe, recedente uxore ante illius seminationem, postea extra vas seminare licite non posset: sed ratio est clara; quia scilicet talis pollutio ad actum coniugalem nihil deserviret, illumque nullo modo complere posset). Adde quod casus iste quoad mulieres est nimis frequens; unde, si hoc esset eis illicitum, matrimonium nimis facile in laqueum damnationis converteretur. Ita sentit etiam S. Lig. (*VI 919*), cuius doctrina (ut omnes norunt) tuta conscientia sequi potest.

878. *Quid si vir ex senectute, debilitate, vel eo quod eunuchus evasisset etc., semen intra vas effundere non potuisset? Quid si uxor esset sine utero et sine ovariis? Liceretne tunc etiam uxori ipsi complere actum a parte sua statim post viri discessum?* De re ista nihil inveni apud auctores; sed dicendum videtur quod, si in istis quoque casibus licitus est actus coniugalis (iuxta dicta *n. 868. 869*), inverisimile videtur quod illum complere (absque ulla veri seminis perditione) illicitum esse debeat. Adde quod circa senes et debiles difficile erit scire nihil omnino virilis seminis circa muliebria effusum fuisse.

879. *Quid si vir fuisset* ***onanista?***

Si talis fuisset ope nefandissimi instrumenti indicati supra (*n. 843*), tunc actus coniugalis ne ab initio quidem subsisteret, et uxor nedum a complendo sed etiam ab incipiendo abstinere deberet, ut dixi (*n. 846*).

Si autem onanismus modo ordinario contigisset; tunc etiam Potestas (*n. 4311*) absolute docet quod uxor posset quidem actum perficere a parte sua durante congressu, sed non postea; quo casu (ait) mortaliter peccaret. At vero id mihi clarum non est; si enim dicamus onanismum viri non obstare liceitati actus a parte foeminae etiam usque

ad pollutionem tunc contingentem, non percipio cur debeat obstare si pollutio ipsa paulo post accidat; multo magis quia illâ sic vehementissime irritatâ moraliter impossibile ei erit ab actu complendo abstinere. Adde quod illa etiam difficile scire poterit nihil seminis effusum fuisse.

Hac de re scripsit Capellmann (*l. c.* § *1*): « Multum abest ut certum « sit viro onanistae turpem actionem semper prodesse. Nam aliquoties « praeter vel contra ipsius voluntatem effusio seminis in vas vel tota vel « partim locum habebit. Debreyne narrat de duobus matrimoniis, in quo- « rum altero ex octo liberis septem, in altero omnes contra expectationem « (*par surprise*) procreabantur, quamvis copula cum voluntate onanistica « fieret ».

Uxor itaque, actum complendo, faceret quidquid posset a parte sua ut foecundatio locum haberet.

Doctrinam istam probat etiam Génicot (*Vol. II 546*).

880. Quaer. XI. *Quid si foemina non post sed* ***ante copulam se pollueret?*** Potest certe se disponere; unde scripsit S. Lig. (*VI 919*). « Omnes concedunt uxoribus, « quae frigidioris sunt naturae, posse tactibus se excitare « ante copulam, ut seminent in congressu maritali statim « habendo »; idque verum est « tametsi pollutio per acci- « dens copulam praeveniat », ut, cum ipso S. Ligorio (*n. 934*), notabam supra (*n. 853*).

Hic notandum quod magna differentia est inter periculum pollutionis in marito et in uxore. Maritus illa secutâ, ad copulam ineptus redderetur, et proinde (quia secus ageretur de pollutione remanente sine actu coniugali) illam impedire, et, si casu accideret, a praebendo eidem consensu abstinere, sub gravi teneretur. Sed, quoad uxorem (quae in substantia ad actum coniugalem perficiendum adhuc apta remaneret), haec obligatio gravis videri posset quod non subsistat. Dico *gravis*: quod enim ipsa quoque aliquam displicentiam de tali casu habere, et a fortiori ab illo procurando (propter defectus *n. praec.* indicatos, atque etiam quia ad copulam continuandam et complendam tunc minus inclinata remaneret) non est dubitandum. Caeterum malitia pollutionis solitariae nunquam adesset, quia in actu coniugali (qui vere perficeretur) contingeret.

Quod autem hic dicitur de uxore ante copulam se polluente, dicendum est etiam de casu non minus sed forte magis practico, in quo maritus sic, non iam semetipsum, sed illam, ex intentione se excitandi et copulam exequendi, indirecte (quamvis fere semper) pollueret.

881. Quaer. XII. *Plurimis medicorum testimoniis et experientiis constat, mulieres de facili gravidas reddi posse circa tempus menstruationis, nempe illa durante et aliquibus diebus ante et post; minus facile autem (si menstruationem regularem habeant, quod caeteroquin in foeminis coniugatis raro accidit) alio tempore, ut demon-*

strat Lecomte (De l'ovulation, l. II). Quid itaque de coniugibus, qui ***in illis tantummodo intervallis, in quibus foecundatio minus facile accidere potest,*** *matrimonio uterentur, ut prolem evitent?* R. Si nullam habeant causam evitandi prolem, si nempe matrimonii delectationes velint illiusque incommoda nolint, et sine ulla ratione primarium coniugii finem excludant, tunc aliquo modo peccant procul dubio. Si autem ex una parte iustam habeant causam cavendi ne foecundatio accidat (eo quod, v. g. prolem nimis numerosam habeant, vel uxor in partu periculum mortis subitura sit); et ex alia usus matrimonii tempore foecundationi minus apto sit illis ad vitandam incontinentiam expediens; tunc in praedicta agendi ratione nihil mali reperitur. Coniuges enim, si iustam rationabilemque habeant causam prolem evitandi, illam procreare atque uti matrimonio quando foecundatio magis facilis est, non tenentur; et aliunde si, quando prolis procreatio difficilis aut etiam impossibilis est, matrimonio (nihil contra naturam faciendo) ex solo fine vitandi incontinentiam utantur, minime peccant; ut patet exemplo illorum qui iusta de causa celebrationem aut usum matrimonii ad eam aetatem differunt, in qua iam impossibile est ut prolem suscipiant. Ita docet Ball. (*n. 923 4° a*). Sed hodie iam hac de re non est dubitandum; habemus enim responsum S. Poenitentiariae (*16 Iun. 1880*) sequentis tenoris: « Coniuges praedicto modo « matrimonio utentes inquietandos non esse, posseque con- « fessarium sententiam de qua agitur illis coniugibus (caute « tamen) insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi « crimine abducere frustra tentaverit ». Advertendum quod factum istud multis foeminis coniugatis notum est.

882. Quaer. XIII. *Quid de coniugibus qui, dum copulam habent,* ***aliam personam imaginantur?*** R. In praxi cogitationes istae desiderium vel delectationem morosam copulae cum eadem persona (quasi haec loco coniugis esset) includere solent; maxime quando persona ipsa ante matrimonium amata fuit aut hic et nunc speciali amore diligitur. Et quatenus ita sit, iam de gravissimo affectivi adulterii peccato res esset.

Caeterum, rigorose loquendo, non repugnat dari casum, in quo, v. g. vir aliam foeminam imaginetur, solum desiderando ut propria uxor esset pulchra sicut illa, non secus ac persona imaginata foret statua vel imago vel obiectum prorsus ideale; idque unice quia talis imaginatio deserviret ut commoveretur atque ad copulam disponeretur. Porro in tali casu (qui tamen certe parum practicus erit) delictum non adesset. Hinc theologi dicunt quidem esse culpam actu copulae aliam personam imaginari, sed passim addunt limitationem *si persona illa sit carnaliter dilecta*. Cf. Sporer (*n. 505*), Sanchez (*IX.* XVII *6*), Croix (*329-331*) et S. Lig. (*VI 914*).

883. Quaer. XIV. *An coniux* ***cum gravi sanitatis aut vitae periculo*** *coniugii operi vacare possit?* Negative *per se*, silicet seclusa iusta causa.

Scripsit Sanchez (*IX.* XXIV *8*) : « Existimo culpam hanc esse mortalem, « nisi vel inadvertentia damni tanti vel iusta alia causa excuset, ut in-« continentiae periculum... Sicut culpae lethalis reus esset utens cibis « ratione excessus et eorum qualitatis notabiliter sibi nocentibus, nisi « damni inadvertentia excusaret ». Culpa quoque interveniret (intellige semper seclusa iusta causa, ut dixi) si non de propria sed de coniugis sanitate ageretur.

Ad iudicandum autem an iusta causa excuset, considerandae sunt circumstantiae; quae ad grave incontinentiae periculum (aliter non facile evitabile) fere reducuntur; damnum enim spirituale corporali facile praeponderat. Periculum huiusmodi spirituale et vere praeponderans ordinarie censetur adesse in morbis chronicis et diuturnis (etsi tunc quoque facile frequentia erit moderanda); non vero in morbis acutis et brevibus; quo casu, ne morbus sive proprius sive coniugis valde aggravetur, et maxime ne grave periculum mortis provocetur, non solum illicita erit debiti petitio, sed etiam redditio. Si enim talis infirmus sano petenti redderet debitum, sine ulla obligatione et sine causa proportionata salutem et vitam propriam prodigeret (neque intentio sic agendi motivo virtutis tunc sufficeret); et si sanus tali infirmo illud redderet, stultae, irrationabili, ac noxiae petitioni annueret, et quasi perinde esset ac si gladium domino suo daret, qui illum ad se necandum peteret. Idem dic si morbus adhuc non adesset vel levis foret, sed

abstinentia a copula pro aliquo tempore exigeretur, quatenus secus futurum esset ut exurgeret (prout si uxor esset recens a partu), vel ex levi gravis atque diuturnus et fortasse lethalis evasurus foret (prout contingere potest si uxor in partibus genitalibus infirma esse inciperet). Cf. Sanchez (*IX*. xxiv *8-23*).

884. Quaer. XV. *Quomodo coniugale commercium ex* ***scandalo*** *vitiari possit?* Ex hoc capite graviter vitiatur, si copula aut tactus libidinosi exerceantur audientibus aut videntibus aliis, qui (inspectis eorum statu atque aetate, modo incauto quo copula habetur, qualitate tactuum etc.) graviter scandalizari possint; neque vera necessitas excuset. Cf. Sanchez (*XV l. 2*).

Casus I. Excusantur coniuges, si ex necessitate ineluctabili filias aut filios etiam adultos in proprio cubiculo retineant; sed tunc ad magnam cautelam (speciatim habendo certitudinem quod filii tunc vere dormiant) certe tenentur.

Casus II. Quid si coniuges non solum in proprio cubiculo, sed in proprio lecto, filios retinerent? S. Lig. (*Prax. 221*) hoc permittit usque ad sextum annum; sed in multis casibus miseria est talis et tanta ut etiam post talem aetatem filios secum retinere cogantur. Tunc omnem lapidem movere debent, ut ope eleemosynarum lectulos filiis procurare possint. Pro interim autem die potius quam nocte (aut saltem cautissime) matrimonio utantur: masculos ad latus patris, et foeminas ad latus matris retineant, aut, si omnes sint eiusdem sexus, ad pedes.

Casus III. Quid si mulier extranea nocte remaneat in aliqua domo, ubi nonnisi in lecto coniugum dormire possit? Tunc maritus alibi dormire debebit. Si hoc fieri nequiret; saltem necesse esset 1° ut illa mulier ad latus uxoris remaneat; 2° ut coniuges illa nocte matrimonio non utantur, modestiamque servent.

885. Quaer. XVI. *An usus coniugii graviter illicitus sit, si ex ipso actu coniugali* ***abortus*** *sequatur?*

Casus, in quo usus coniugii ex hoc capite illicitus sit, difficile accidit. Si enim foemina sit robusta neque ad abortiendum facilis, tunc de abortu non erit timendum; si vero sit debilis et abortibus subiecta (quales esse solent

illae foeminae quae cum dolore coitum subeunt), tunc abortus ex innumeris aliis causis, imo et omnino naturaliter, sequi poterit; unde vel non esset cur abortus copulae coniugali tribuatur, vel certe coniuges non tenerentur a copula ipsa abstinere; secus enim ad infinitas alias occasiones evitandas, et forsan sine ullo fructu, eos adstringere deberemus.

Caeterum potest dari casus, in quo praecise ex coitu et non ex aliis causis abortus sequatur; quod contingeret si ex una parte vir valde immoderate atque impetuose copulam haberet, dum uxor est adhuc in primis praegnationis mensibus; et ex alia non apparerent causae diversae quibus abortus iam antea subsecuti verisimiliter attribui possent. Tunc profecto usus coniugii sub gravi valde moderandus esset. Cf. Sanchez (*XX 5* et *XXII 1*), Sporer (*n. 515*), S. Lig. (*n. 924*), et Capellmann (*De matr. 4 d.*).

886. Quaer. XVII. *An usus matrimonii illicitus evadat* ***ex incestu;*** *illi scilicet qui cum persona consanguinea coniugis sui carnaliter peccaverit?* Lex ecclesiastica in hoc casu decernit, coniugem incestuosum debere quidem reddere debitum coniugi innocenti, sed petere non posse; ita ut, si peteret, mortaliter peccaret.

Oportet tamen 1° ut consanguinitas sit in primo vel secundo gradu, et non ultra (S. Lig. *n. 1070*); 2° ut copula incestuosa fuerit utrinque consummata. Subsistente tamen penetratione, copula praesumitur consummata, nisi certe constet de contrario (S. Lig. *n. 1075*); 3° ut per vim aut per metum gravem extorta non fuerit (Gury *n. 815*); 4° ut coniux incestuosus cum plena cognitione non solum *facti* sed etiam *iuris* et *poenae* processerit (S. Ligorius *n. 1072-1074*).

Notanda sunt etiam sequentia.

Praedicta ultima limitatio in praxi est valde attendenda; coniuges enim communissime hanc poenam ignorant, et sic vix unquam illam incurrunt.

Si tamen illam incurrerent, dispensationem ab Episcopo obtinere possent (S. Lig. *n. 1076*).

Quid si coniux incestuosus interim in magno incontinentiae periculo versaretur? S. Lig. (*n. 930*) dicit quod (urgente semper onere dispensationem petendi) lex ecclesiastica in tali discrimine non obligaret. Et Gury (*n. 910*) suggerit remedium (caeteroquin vix practicum), ut scilicet coniugem de proprio periculo moneat, eumque roget ut hac de causa debitum petat.

Si uterque coniux fuisset, ut supra, incestuosus; aut si unus incestum commisisset et alter incestui consensisset; tunc neuter petere neuterque reddere posset. Sanchez (*XXVII 3*).

887. Quaer. XVIII. *Quid si adsit* ***dubium de validitate matrimonii****? Possuntne tunc coniuges matrimonio uti?* R. Si dubium sit leve, sperni potest; illud enim moralem certitudinem non destruit. Si autem sit grave, tunc convenientes inquisitiones ad veritatem detegendam fieri debent. Durantibus inquisitionibus, qui dubitat, ad vitandum periculum fornicationis, a petitione debiti abstinere tenetur. Illud tamen (ad vitandum periculum iniustitiae) reddere debet, si alter coniux de validitate matrimonii non dubitet, et debitum exigat. Idque verum est quamvis dubitans in ipsa etiam matrimonii celebratione dubium habuerit, ut patet ex textu Iuris Canonici apud S. Lig. *n. 903*. Si autem dubitent ambo, tunc, durantibus inquisitionibus, neuter petere neuterque reddere potest; tunc enim ambo, ad vitandum periculum fornicationis, a commercio carnali abstinere debent.

888. *Sed quid si, inquisitionibus factis, dubium perseveret?* Resp. Bonum publicum exigit omnino ut matrimonia tamquam valida habeantur, donec illa esse invalida pro certo non constet; unde in hoc casu, sicut in foro externo ita etiam in foro interno, teneri debet principium quod in dubio standum est pro valore actus. Sive itaque dubium post contractum matrimonium supervenerit, sive in ipsa matrimonii celebratione adfuerit, coniuges, postquam discretas inquisitiones fecerint, nec matrimonium esse certe nullum invenerint, illo (tam reddendo quam petendo) uti possunt. Sententiam istam esse satis probabilem docent etiam S. Lig. (*n. 906*) et Gousset (*n. 885*).

Aliud tamen est quod possint, et aliud quod debeant; quum agatur de re controversa, debitum reddendi stricta obligatio adesse nequit; idque maxime si ambo matrimonium dubia fide contraxissent. Cf. Palao (*I De Cons. I.* II. IV *6*).

889. Si denique inquisitionibus factis certe detegeretur matrimonium esse nullum, tunc evidens est quod, antequam dispensatio obtineatur, putativi coniuges nec petere nec reddere possent (de manifesta enim fornicatione ageretur); et, si unus esset in bona fide copulamque exigeret, alter,

qui de matrimonii nullitate certus est, deberet aut commonefacere partem de ipsa matrimonii nullitate, aut (si id expediens non videretur) sub aliquo praetextu (dicendo, v. g. copulam evasisse sibi noxiam et intolerabilem) a quovis commercio firmiter abstinere.

890. Quaer. XIX. *An usus coniugii* ***ex aliquo alio capite*** *illicitus esse possit?* Resp. Affirmative; ut in casibus sequentibus.

1°) *Ex voto castitatis*, quo casu voto adstrictus reddere quidem debet, sed petere non potest; voto autem non obstrictus potest petere et reddere (Cf. Sanchez *IX.* XII *12*).

2°) *Ex pacto*, v. g. si uxor de consensu viri puerum alienum lactandum accepisset cum pacto non utendi interim matrimonio, ne lac ineptus reddatur.

3°) *Ex cooperatione peccato coniugis*, v. g. si uxor (debitum denegando sine suo gravi incommodo) maritum ab onanismo facile et commode avertere posset; ad hoc enim tunc teneretur.

4°) *Ex iusto dissensu coniugis*, quando nempe alter coniux iusta de causa debitum reddere recusaret, et nihilominus copula omnino exigeretur. Quaenam autem sint huiusmodi causae iustae, patebit ex dicendis *Cap. seq.*

5° *Si (matrimonio celebrato) denunciationes adhuc fieri deberent.* Hoc in casu, si positivum de impedimento dubium subsisteret, matrimonii consummatio certe esset mortalis. Si autem coniuges nullum obstare impedimentum certi essent, tunc controvertitur. Cf. Sanchez (*III.* XI).

891. Quaer. XX. *Quid de* ***foecundatione artificiali?*** *Et in primis, loquendo de sola possibilitate physica, estne possibilis, et quo modo?*

Ab uno iam inde saeculo foecundatio artificialis felici exitu identidem obtenta fuit etiam in mulieribus (prius enim in canibus aliisque animalibus peragebatur); hodie autem, opera praecipue et studiis notissimi medici *Mantegazza*, exitu adhuc securiori frequentius obtinetur. Ut tamen cum fundamento sperari possit, exiguntur sequentia: 1° ut vir semine apto (bonis scilicet multisque *spermatozoi* referto) praeditus, et proinde iuvenis atque sanus sit; 2° ut uxor in utero et ovariis non sit infirma, sed perfecta sanitate

polleat; 3° ut tempus sit opportunum, cuiusmodi circa epocham menstruationis esse solet. Foecundatio artificialis a dicto medico indicatur quando coniuges adhuc iuvenes (quorum matrimonium saltem iam inde ab uno vel altero anno sterile est) prolem desiderant, nec habere possunt, sive quia uxor, propter arctitudinem vaginae vel inflexionem uteri illam occludentis, semen intra uterum recipere nequeat, sive quia vir ita male sit conformatus vel debilis, ut semen intra vaginam prouti oportet iniicere nequeat.

Iuxta casuum autem diversitatem aliquo ex sequentibus quatuor modis a medicis peragi solet.

Primus modus. Medicus in vase foemineo aptat instrumentum, quod, ubi collocatum fuit, longo tempore persistere potest absque incommodo ullo. Uxor autem sic praeparata copulam habet, more consueto, cum viro suo, qui post aliquas horas instrumentum illud extrahere potest.

Secundus modus. Vir copulam habet et more solito intra vaginam deponit semen, quod medicus statim recolligit, et ope syphunculi intra uterum iniicit. Id praestare poterit (etiam sine medici interventu) maritus, si sit bene instructus.

Tertius modus. Vir copulam habet. Appropinquante autem effusione seminis, se retrahit, et semen effundit intra parvum cyatum paratum iuxta instructiones medici, qui ope syphunculi illud in uterum iniicit, nisi maritus ipse bene instructus haec omnia peragat, ut supra.

Quartus modus. Vir, absque copula cum uxore, semen effundit in cyatum; et postea caetera peraguntur ut supra.

892. Hic autem quaeritur: *An foecundatio artificialis, quolibet ex dictis modis peracta, licita sit?* Supponendo quod agatur de personis legitimo matrimonio coniunctis, et quod uxor viri sui (non vero alterius) semen recipiat, cl. Palmieri (*Op. th. tr. X n. 1304*) scripsit: « Quando vir ipse « effundere saltem valet ad os vaginae semen,.... si habita « copula ageretur tantum de ope ferenda naturae, ut se- « men emissum in vas foeminae, ope alicuius instrumenti, « penitus iniiciatur et sic certior evadat foecundatio, id « etsi fieret, auxiliante medico, nihil habere videtur quod « legibus naturae repugnet. Si tandem ipsa coniunctio

« haberi nequit..., an licet viro emissum a se ipso semen, « infundere ope instrumenti in vas foeminae, vel effundere « ad huius labia? Cum heic vera habeatur pollutio et haec « sit mala atque non sint facienda mala ut eveniant bona, « relinquitur id non licere. Sed forte quis negabit hypo- « thesim haberi heic veram pollutionem, quoniam emissio « seminis est ad hoc ordinata ut in vas uxoris ipsum semen « introducatur, ad quam introductionem ius habet vir, qui « artem adhibet, ut id quod natura in coniugio intendit, « nec aliter ipse obtinere potest, assequatur. Sane heic se- « minis eiecti frustratio non haberetur, et fructus legiti- « mus consequeretur ».

Sed postea prodiit Decretum S. C. S. Officii sequentis tenoris.

« *Feria IV die 24 Martii 1897.* In congregatione « generali S. R. et U. I. habita coram E.mis et R.mis Car- « dinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus In- « quisitoribus, proposito dubio: *An adhiberi possit arti- « ficialis mulieris foecundatio?* Omnibus diligentissimo « examine perpensis, praehabitoque DD. Consultorum voto, « iidem E.mi Cardinales respondendum mandarunt: *non « licere.* Feria vero VI die eiusdem mensis et anni in « solita audientia r. p. d. Adsessori S. O. impertita, facta « de suprascriptis accurata relatione SS.mo D. N. Leoni « Pp. XIII, Sanctitas Sua resolutionem E.morum adpro- « bavit et confirmavit ».

893. Huic decreto utique cum omni veneratione obediendum est. Sed quo sensu intelligi debet? Eruntne scilicet illiciti omnes et singuli modi praedicti? Insuper quanam ratione doctrinaliter confirmari poterit? Hac de re quatuor viros doctissimos et operibus typis impressis atque probatissimis celeberrimos per litteras consului; et en eorum vota.

Votum I. « Foecundatio artificialis, sensu vero et stricto sumpta, « ea intelligitur quae, secluso coniugali opere naturali, artificiali industria « obtinetur. Coniugale autem naturale opus consistit in hoc quod, me- « diante copula, vir intra vas debitum (h. e. vaginam) semen emittat. « Semel tali actu posito, caetera ad foecundationem requisita non iam ho- « minis sunt sed naturae. Attamen naturam hac in re arte adiuvare nedum « illicitum sit, imo consultius fiet. Quare

« In primo et altero « modo » nihil puto esset quod foecundationem « artificialem vere dictam redoleat, neque proinde quod in utroque insti- « tuitur, videtur a decreto S. Officii attingi. Nollem tamen *a)* instru- « mentum adhiberi quod semel appositum prohiberet ne vagina immediate

« virile semen susciperet ; — *b)* medicum ope syphunculi semen haustum « primo extra vas ducere, deinde in uterum idem iniecturum.

« Tertium et quartum « modum », a S. Officio prohibitum censea- « mus omnino oportet.

« Talis prohibitionis ratio non in solo communi periculo onanismi « vel pollutionis est reponenda, sed dicendum est duplicem hunc modum « involvere quid intrinsece malum, scilicet voluntariam seminis effusionem « extra vas seu « in terram ». Huiusmodi effusio ipsi fundamentali natu- « rali generationis legi contradicit, neque a fine, qui solum est in mente « et in proposito, cohonestari potest. Finis enim non iustificat media ».

Votum II. « Ex quatuor modis indicatis, *primus* foecundationem « *artificialem* proprie non continet ; in illo enim foecundatio accidit modo « *naturali,* prout scilicet intenditur a natura in usu licito matrimonii. « Et instrumentum adhibetur unice in auxilium naturae ipsius cuius opera « sane praestita fuit. Hunc itaque modum responsio S. Officii non ferit.

« Quoad secundum modum, observari potest quod verbum *recolligit* « alicui ambiguitati occasionem dare potest. Si medicus, habita iam copula « coniugali, a vase foemineo semen iam introductum extraheret, et postea « ope syphunculi illud intra uterum denuo iniiceret, forsan operatio tam- « quam licita decerni nequiret, quia videtur destruere indolem foecunda- « tionis naturalis, eique artificialem substituere. Et hoc sensu forsan se- « sundus modus sub S. Officii reprobatione cadit. Si vero e contra semen « nullatenus extraheretur, sed solum ope eiusdem syphunculi intra vas « muliebre operantis, colligeretur, hauriretur, statimque in uteri profun- « dum coniiceretur, tunc talis modus videretur solum habens rationem « auxilii ad naturae ipsius defectum supplendum. Et hoc sensu saltem non « est clarum quod reprobatio S. Officii ad casum istum extendatur.

« Alii duo modi huic reprobationi certe subiiciuntur ; nempe tertius « quia est verus *onanismus ;* et quartus quia est vera *pollutio.*

« Nec finis, quem sibi proponit maritus introducendi postea semen « in vas uxoris, destrueret illiceitatem obiectivam et contra naturam hu- « iusmodi actionum, quae iam per se quid completum et totale efformarent, « quod ad operam naturalem foecundationis naturaliter ordinatum nec est « nec esse potest ».

Votum III. « Modi secundus, tertius et quartus comprehenduntur in « Decreto S. Officii. Primus autem modus absolute loquendo pendet a di- « versitate executionis : oportet enim ut non iam *substitutio* naturae, sed « simplex naturae ipsius *auxilium* habeatur, et copula maritalis, *imme-* « *diate* locum habendo, cum illa praeparatione *actum unicum* constituat.

Votum IV. « Declaratio S. Officii ad litteram accepta damnat solum « foecundationem *proprie artificialem ;* unde absque dubio tertius et quar- « tus modus reprobantur. E contra tantundem dici nequit de primo modo, « in quo foecundatio naturalissime accidit, quidquid sit de instrumento, « quod solum ad auxilium ferendum naturae adhibetur. Secundus autem « modus cum eadem declaratione S. Officii difficile conciliari poterit ; non « enim percipitur quomodo medicus recolligere valeat semen, ita ut, illud « artificialiter (ope syphunculi) in uterum introducendo, foecundatio dici « non debeat artificialis ».

Habemus etiam interpretationem cl. Eduardi Génicot, qui (*Theol. mor. vol. II n. 545* VI) dicit : « Hac responsione certo reprobatur metho- « dus communiter adhibita, videlicet ut vir incipiat solus effundere semen, « quod vasculo exceptum medicus, ope syphunculi in mulieris organa in- « fundit. Profecto potissima reprobationis ratio est : non obtineri finem

« bonum nisi per medium intrinsece malum, nempe per pollutionem dire-
« cte voluntariam. Non censemus tamen hoc Sacrae Inquisitionis responso
« illicitam declarari praxim multo rariorem quorundam medicorum, qui,
« praehabita copula naturali, virile semen ex ipso foemineo vase hauriunt,
« haustumque in uteri profundum proiiciunt. Haec enim non est proprie
« dicta artificialis foecundatio, et, quamvis facilem ansam abusibus prae-
« beat, intrinseca pollutionis malitia caret : quare eam omnino licere as-
« serunt auctores, qui (ut Eschbach *p. 70 sqq.*) proprie dictam artificialem
« foecundationem semper reprobarunt ».

394. *Quid igitur concludendum?* Oportet considerare declarationem S. Officii non solum materialiter (ad litteram), sed etiam formaliter (ad sensum), attentis scilicet rationibus, quae E.mos Patres ad sic respondendum impulerunt. Quaenam rationes in discussione perpensae fuerint et reapse efficaciter influxerint, propter rigorosissimum ipsius Supremae Congregationis secretum, sciri non potest; unde restat solum ut de re ista coniecturas adhibeamus. Sic autem verisimiliter rationes videntur sequentes.

Firmissima doctrina theologica semper fuit quod pollutio directe intenta sub gravi ita interdicitur, ut in nullo prorsus casu (et quamvis etiam ad vitam salvandam necessaria esset) liceat. Idem dic de onanismo. Sed nunquid facienda erit exceptio pro casu nostro, quia scilicet ex una parte semen non frustraretur sed ad suum finem dirigeretur, et ex alia urgeret necessitas foecundationem obtinendi? Negative, quia inordinationibus, abusibus, et periculis gravissimis tunc quoque aditus aperiretur.

Enimvero 1° Adest periculum ne, dum defectus proveniat a marito fere impotenti vel sene etc., ex una parte ille malitiose decipiatur efficiendo ut credat quod proveniat ab uxore, quodque ideo ad foecundationem artificialem recurrere oporteat, et ex alia parte uxor ipsa sub velamine huiusmodi artificii tegat adulteria ex quibus revera foecundatio efficiatur. 2° Adest periculum ne res eo tandem deveniant ut maritus se polluat toties quoties libidinem experitur, et semen quidem in cyatum effundat cum intentione illud adhibendi pro foecundatione artificiali, sed postea illam perficere negligat. 3° Accidere potest quod medicus (ad obtinendum effectum, maxime vero ad obtinendum praemium promissum) fingat quidem uti semine mariti, sed reapse (nisi forte ad coitum recurrat) aliud semen magis

tutum adhibeat. Quid si maritus a loco dissito aut carcere semen mitteret, cuius proinde mutatio adhuc facilior esset? Nonne in huiusmodi systemate ipsa probatio paternitatis in discrimen poneretur? 4º Foecundatio artificialis nunquam esset ille actus coniugalis, ad quem habet ius maritus et obligationem uxor. 5º Nihil dico de periculo male determinandi epocham in qua res huiusmodi licita esse inciperet.

Quum itaque, attentis his periculis malisque consequentiis, oporteat ut pollutio et onanismus, etiam in re praesenti, remaneant illicita, decretum S. Officii (quod foecundationem artificialem declarant illicitam) confirmatur doctrinaliter pro casibus in quibus copula coniugalis perfecta deficiat, et ope pollutionis vel onanismi ipsa foecundatio artificialis procurari velit, et proinde pro casibus istis certo certius intelligi debet prohibita.

Ad alios autem duos casus (vel saltem ad primum) videtur quod decretum non extendatur; unde nihil addo praetur ea quae a supra laudatis theologis doctissimis dicta fuerunt; et votum facio ut adhuc magis rem considerent Doctores.

CAPUT IV.

DE DEBITO CONIUGALI.

ARTICULUS I.

Agitur in genere de usu matrimonii quoad obligationem.

895. *Quid si coniuges ex mutuo consensu ab usu matrimonii abstinere conveniant?* Tunc abstinendo nullam sibi invicem iniuriam irrogant ut per se patet.

Haec tamen abstinentia, si interdum potest esse virtuosa (prout fuit in B. Virgine et S. Iosepho), potest etiam esse vitiosa; idque accidit speciatim quando coniuges vano motivo abstinentes in grave mortalium peccatorum periculum se coniiciant; unde scripsit Apostolus (*I Cor. 7*): « Et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas « propter incontinentiam vestram ». Hoc autem periculum

vix aberit si coniuges sint iuvenes et in eodem lecto dormiant.

896. *Quid si dictas abstinentiae consensus mutuus non adsit, et **unus petat**?* Tunc alter (seclusa legitima excusatione) debitum reddere tenetur, et inobedientia, si gravitatem praeseferat, a peccato mortali excusari nequit.

897. *Sed quandonam in denegatione debiti coniugalis peccatum **mortale** aderit?*

Imprimis prae oculis haberi debet quod obligatio reddendi debitum non solum ex iustitia, sed etiam ex aliis motivis oriri potest. Oritur ex iustitia quando coniux rationabiliter petit, volens serio uti iure suo, cui, quamvis rogatus, cedere non vult. Oritur autem ex aliis motivis, v. g. quando denegatio peccatis mortalibus coniugem ipsum exponeret, mutuum amorem extingueret, adulterinas consuetudines ruinamque familiae provocaret etc. Cf. Sanchez (*II 10*). Ad decidendum itaque an denegatio debiti matrimonialis gravis sit nec ne, observandae sunt circumstantiae; et pro praxi (supponendo semper quod coniux sine ulla legitima ratione debitum recuset) sequentes regulae videntur statuendae.

Peccatum mortale reponi debet 1° **in magna obstinatione, etsi pro una vice tantum,** dum v. g. vir serio et instanter petit; speciatim si uxor se esse illi post breve tempus satisfacturam non promitteret; maxime vero si vir ipse manifesto pollutionis periculo expositus remaneret. Et hic notandum quod in denegatione debiti (etsi pro unica vice) facilius peccare possunt mortaliter mariti quam uxores; ipsae enim prae verecundia non adeo instanter petere audent. Notandum insuper quod unica denegatio valde iniuriosa et periculosa reddi potest ex verbis adiunctis, ut puta, si uxor dure et contumeliose viro suas petitiones exprobraret. Peccatum mortale reponi debet 2° **In denegationibus notabiliter continuatis**; ita ut vir (quamvis non adeo instanter petiverit) facile animo deiiciatur, et per longum tempus petere non audeat. Reponi debet 3° **In denegatione mixta quidem obedientiis, sed frequenti,** maxime si vir sit iuvenis aut valde ad venerem pronus. Notandum quod difficultates et querimoniae absque iusta

causa in medium adductae, denegationi tandem aliquando aequivalere possent, maxime si res eo usque procederet ut uxor nonnisi coacta debitum redderet.

E contra si uxor raro (v. g. semel aut bis in mense, dum vir frequenter petit) recuset, et vir ipse vel acquiescat vel non valde repugnet; tunc de peccato mortali incusari non debet. Imo contingere potest quod ne venialiter quidem peccet, nempe si aut aliquam se eximendi causam haberet; aut etiam pro sola sua commoditate virum rogaret ut ea vice abstineret, aut de vespere ad mane vel de die ad noctem expectaret, et ille non aegre sed omnino benevole consentiret. Caeterum in praxi huiusmodi mulieres adhortandae sunt, ut propriis viris perfecte et statim obediant. Cf. S. Lig. (*VI 904*), et Sanchez (*IX.* II *11*).

898. *Ut adsit obligatio reddendi debitum, oportetne ut **petitio sit expressa?*** Uxor de regula ordinaria tenetur reddere debitum viro solum quando expresse petit; sed vir debet reddere debitum uxori, quamvis ipsa expresse non petat; a parte enim uxoris petitio tacita sufficit. Graviter ergo peccat maritus quando ex indiciis animadvertit quod uxor copulam vehementer desiderat, et nihilominus debito suo non satisfacit; et in quovis casu gravissime delinquunt illi pessimi viri, qui sive ex avaritia (ut scilicet prolem evitent), sive ex malevolentia, sive ex amore concepto erga alias, ad proprias uxores nunquam aut fere nunquam divertunt, quamvis bene praesumere debeant quod ipsae id valde aegre ferant. S. Lig. (*n. 928*).

899. *Ex obligatione coniugum sibi invicem reddendi debitum, sequiturne aliqua consequentia?* Affirmative, nempe 1° Maritus tenetur cum uxore sua regulariter (scilicet iuxta interpretativam eius voluntatem) **manere in eadem domo et lecto;** nec potest ad longum tempus abesse, seclusa necessitate, si uxor id aegre ferat. Accedente autem consensu uxoris, sive quoad stabilem separationem a toro, sive quoad diuturnam (quamvis non necessariam) absentiam a domo; tunc periculum incontinentiae, necessitas familiae, scandalum aliaeque circumstantiae observari debebunt. S. Lig. (*n. 938*). 2° Maritus tenetur etiam **non reddere se impotentem;** unde illi qui, sive propter con-

suetudinem cum aliis foeminis, sive propter nimias pollutiones, propriis uxoribus satisfacere nequeunt, hac etiam de causa graviter peccant, et reatum specie diversum (supposita advertentia) contrahunt. Contingere potest etiam quod hac ipsa de causa a ieiuniis (etiam praeceptis) abstinere possint ac debeant. Uxores autem propter ieiunia non equidem impotentes, attamen minus aptae evadere possunt; unde, si exinde maritis valde displicerent, utique a ieiuniis (saltem non praeceptis) abstinere deberent. Cf. Sanchez (*IX.* III *2-11*).

Nihil dico de illis qui (rem habendo cum aliis) pestem veneream contrahendi, et sic peius quam ineptos se reddendi periculum subeunt.

900. *Uxor teneturne non solum copulam, sed* ***etiam tactus*** *permittere?* Affirmative, dummodo tamen ex una parte agatur de tactibus non abnormibus sed naturaliter praeparatoriis, et ex alia satis constet quod vir illos ad copulam sincere dirigat.

ARTICULUS II.

Agitur in particulari de causis, quae debiti denegationem legitimam reddunt.

PUNCTUM I.

De causis, quae non solum ad debiti denegationem, sed etiam ad divortium ius dant.

901. *Quotuplex est* ***divortium?*** Duplex: 1° *quoad vinculum*, ita ut coniuges tales esse cessent atque ad novas nuptias transire valeant; 2° solum *quoad torum vel cohabitationem.*

902. *Danturne casus in quibus fieri possit divortium quoad vinculum?* Lex divina evangelica divortium quoad vinculum in duobus casibus tantummodo concedit 1° Si matrimonium sit *ratum dumtaxat et non consummatum*, interveniente (gravissimis de causis) *dispensatione pontificia; vel subsecuta professione religiosa* (quo postremo casu conceditur bimestre ad deliberandum). 2° Si quis, iam *coniugatus in infidelitate, baptismum reciperet,* et coniux infidelis vel nullo modo vel non pacifice cum ipso cohabitare vellet. Sed haec omnia melius declarabuntur infra in tractatu *De matrimonio*.

903. *Quid de divortio solum* ***quoad torum et cohabitationem?*** Pluribus de causis hoc conceditur. Potest esse **perpetuum** vel **temporaneum**; et vel propria auctoritate factum, vel iudicis ecclesiastici auctoritate firmatum aut Episcopi licentia concessum. Causae legitimae exiguntur, et possunt esse sequentes.

904. **Prima causa.** *Mutuus consensus*; sed haec causa sola difficile sufficit; oporteret enim ut nec 1° scandalum; nec 2° periculum incontinentiae; nec 3° damnum prolis, divortio obstarent. Hinc vix aut ne vix quidem mutua iurgia et defectus mutuae tolerantiae constituere poterunt causam sufficientem ut divortium licitum reddatur. Gury (*Cas. cons. II n. 915*).

905. **Secunda causa.** *Adulterium.* Hoc dat ius ad divortium ex concessione divina, dicente Christo Domino (*Matth. V 23*): « Qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa etc. ».

Circa divortium ex causa adulterii, plura alia pro praxi consideranda veniunt.

I. Sufficit adulterium unica vice commissum. Vide Sanchez (*XI. xv 11*).

II. Ecclesia semper intellexit ius istud esse de divortio **etiam perpetuo,** ita ut coniux innocens ad sacros ordines vel utcumque ad votum perpetuae castitatis procedere possit.

III. *Exigiturne iudicis sententia; an vero privata quoque auctoritate integrum erit coniugi innocenti divortium facere?* Praescindendo a legibus dioecesanis, quae alicubi iudicis sententiam semper exigunt, communius Doctores distinguunt inter adulterium notorium et occultum; solum autem pro occulto iudicis sententiam exigunt. At vero Christus Dominus non distinxit inter adulterium notorium et occultum, et certe coniux innocens nullam facit iniuriam adultero si ab eo recedat, quamvis eius adulterium occultum remanserit, dummodo sit certum, atque aliae conditiones mox declarandae verificentur. Iudicis itaque sententia solum per accidens necessaria esse posset, ut puta, si innocens ad sacros ordines vel professionem religiosam procedere vellet, propter periculum ne adulter reclamet et adulterium probari non possit (Sanchez *X.* XI *11-12*), aut si persistentia in divortio scandalum ingereret, v. g. Superiore reconciliationem iubente, eo quod delictum probatum non fuerit. Quod autem, praescindendo a casu isto, ratio scandali exigat ut iudicis sententia expostuletur, in praxi hoc facile non videtur, multo magis quia etiam processus iudicialis publicitas quoddam scandalum inferret, et aliunde difficultates multae obstare solent. Cf. Reiff (*h. t. 91*), Gury (*n. 764*), Scavini (*III 858, not. 8*) et Frassinetti (*n. 609*).

IV. Ut tamen sive in foro interno sive in foro externo ius ad divortium ex adulterio exurgat, plures conditiones (ut supra innuebam) exiguntur; oportet scilicet ut adulterium fuerit:

1°) *Formale et graviter culpabile.* Nullum itaque divortii ius adesset, si uxor per vim oppressa fuisset, vel si ex mero errore (v. g. credendo

rem habere cum viro proprio, aut reputando illum esse mortuum) adulterasset. Sanchez (*l. c. 11. 12. 17*). An ius divortii exurgat ex adulterio perpetrato ex metu gravi vel gravissimo, Doctores non conveniunt, ut videre est apud Sanchez (*l. c. 15. 16*), qui, etsi adhaereat sententiae affirmativae, tamen contrariam quoque probabilem iudicat. Certe casus huiusmodi esset indulgentia dignus, et charitas facile suadere potest, ut coniux iuri suo (si quod habeat) renuntiet, ut recte notant aliqui apud Reiff. (*h. t. n. 64*).

2°) *Non ex coniugis consensu commissum*. Consensus huiusmodi interveniret si maritus uxorem ad prostitutionem, vel utcumque ad adulterium, directe incitaret; vel pro certo sciret uxorem adulterare, et nihilominus sine ulla iusta excusatione taceret, illamque non corrigeret. Non tamen de coniugis consensu et beneplacito adulterium commissum censeretur 1° Si uxor, etsi certe sciret maritum esse adulterum, ex timiditate taceret. 2° Si maritus, non ex intentione inducendi uxorem ad adulteria, sed aliis de causis et indirecte, adulteriis ipsius occasionem praebuisset, v. g. si iniuste illam e domo eiecisset, eamve deseruisset, vel ei necessaria alimenta denegasset. Patet ex Decretal. (*De Divort. C. IV et C. V.*). Idem consequenter dicendum videtur, si uxor, sive quia maritus debitum matrimoniale ei nunquam redderet, sive quia propter illius saevitias ab eo aufugere coacta fuisset, ad adulteria divertisset. Plures tamen in his postremis duobus casibus contra sentiunt. (Cf. Sanchez *l. c. 4-10*).

3°) *Consummatum*. Non itaque sufficiunt oscula, amplexus et tactus, vel copula solum attentata aut supra vestes etc. Ratio est quia poenae non sunt extendendae de casu ad casum (speciatim minoris momenti). Ita docent Doctores passim cum Sanchez (*X.* IV *12*), S. Lig. (*VI 960. 963*) et Acta (*VIII 325 in not.*). Plures tamen apud Sanchez (*l. c. 11*) in hoc quoque casu aliter sentiunt; et certe ex his quoque ius ad divortium temporaneum, atque ad modum correctionis, dari potest. Cf. S. Lig. (*n. 960*).

4°) *Moraliter certum*. In dubio enim nemo iure suo (quod possidet) privari potest. Sufficiunt tamen indicia vehementia, ut puta, si nudus cum nuda in lecto inventus fuisset. Indicia autem, quae ab epistolis amatoriis, amplexibus etc. haberentur, non sufficerent. Sanchez (*l. c.*) et Acta (*VIII 326 in not.*).

5°) *Non condonatum*. Condonatio respicit praeterita, non vero futura, ut per se patet. Sufficit condonatio tacita; si nempe coniux innocens *scienter* et *omnino sponte* signa remissionis vel reconciliationis (per pacificam cohabitationem bonique animi ostensionem, maxime vero per consueta officia matrimonialia) praeberet. In conscientia autem nec sola intentio interna sine signis externis, nec sola signa externa sine intentione interna ad veniam concedendam, atque adeo ad amittendum ius divortii, sufficerent. S. Lig. (*VI 966*) et Sanchez (*X.* XIV), qui notat, non sufficere redditionem debiti, si facta fuisset ex credulitate obligationis, vel ex metu alicuius momenti, prout in uxoribus facile contingit (*n. 15. 16*). Cf. Reiff. (*h. t. n. 75*).

6°) *Non reciprocum*. Si enim ambo adulterium commisissent, tunc neuter divortii ius haberet. Patet ex Decr. (*De Div. C. 5V et V*); unde Ecclesia ius divinum de divortio semper intellexit sub conditione innocentiae ex parte illius qui coniugem repellere vult. Cf. Reiff. (*h. t. 80-83*). Monent passim Doctores nihil referre utrum prius aut plus quis deliquerit; imo nequidem si unus notorie, alter vero occulte adulterium commiserit. Cf. Sanchez (*X.* VI *8. 9*). Sed regula ista cum mica salis intelligi debet; certe enim excipiendus est casus, in quo unus iam sit emendatus, alter vero in delicto perseveret; quum enim delicta iam sint compensata, et coniux emendatus condonationem fecerit quoad praeterita, aequum non est ut

futura quoque semper condonare debeat, speciatim si coniugem admonuerit, maximo vero si tolerantia scandalum ingereret, vel cohabitatio filiorum educationi praeiudicium inferret. (Sanchez *l. c. VII* et Frassinetti *n. 608*). Hoc autem multo magis verum esset, si de divortio temporaneo et solum ad delinquentis emendationem directo ageretur. Caeterum, quamvis regulariter occulte reus nequeat repellere reum notorie, et, si repulerit, debeat illum revocare; non ideo tenebitur se ipsum prodere; sed liberalem condonationem simulare, vel (si res ita ferant) coniuge eiecto, post breve tempus reconciliationem facere debebit. Reiff. (*h. t. 84*).

V. Heic circa divortium ex causa adulterii subiiciuntur nonnullae aliae quaestiones.

906. *An coniux, cui adulterium fuit condonatum, ius habeat ad divortium propter adulterium postea a condonante commissum: an vero saltem tantundem teneatur ei condonare?* Non una est Doctorum sententia. Sanchez (*l. c. VI 7*) ius ad divortium subsistere censet.

907. *Quid si, solum quando iam a multis annis uxor optime se gerit et sanctam vitam ducit, adulterium illius olim commissum a viro detegeretur?* Stando in puncto stricti iuris, tunc quoque divortium, salva iustitia, fieri posset; sed recolendum 1° quod misericordia sub obligatione cadere valet; 2° quod divortium privata auctoritate factum et causa occulta remanente scandalum ingereret; 3° quod interdum summum ius summa iniuria. Cf. Gury (*Cas. cons. II 916 cum nota*).

908. *Quid si, divortio iam secuto, innocens in adulterium incidat? Daturne tunc etiam delictorum compensatio, ita ut ille teneatur coniugem dimissum revocare, et iste ad reconciliationem ius acquirat?* Ius divinum concedit ius ad divortium sub conditione innocentiae a parte unius; unde cessante innocentia, ius etiam ad divortium cessare debet. Ita semper rem istam intellexit Ecclesia, nisi per professionem religiosam aut sacri ordinis susceptionem status irrevocabiliter mutatus fuisset. Patet ex Decretal. (*h. t. C. IV et V*). Hinc Doctores uno ore dicunt quod, facto divortio privata auctoritate, si postea qui innocens erat in adulterium labatur, reconciliatio fieri debet: secus enim coniux eiectus iam iniuste poenam sufferret, et alter incontinentiae, et forsan scandalum praebendi, periculo expositus remaneret. Si autem ex sententia iudicis divortium factum fuisset, multi theologi cum S. Lig. (*VI 967*) docent, nullam amplius reconciliationis obligationem superesse, nisi iudex novâ sententiâ ad illam cogat. At vero Reiffenst. (*h. t. 86-88*) aliique Canonistae passim contra sentiunt; quorum sententiam ego omnino veram censeo; non enim intelligo cur sententia humana ius divinum corrigere possit. Neque valet dicere quod res iam transiit in rem iudicatam; non enim de corrigenda sententia, sed de nova causa instituenda ageretur. Si tamen de bono exitu reconciliationis desperandum aut valde dubitandum esset, ita ut brevi de novo divortio reformidari deberet, utique tunc res in statu quo relinqui possent.

909. *Divortium estne semper licitum quando salva iustitia fieri potest?* Negative. Sedulo notandum quod, quamvis propter adulterium, praefatis subsistentibus conditionibus, salva iustitia divortium fieri valeat; et quamvis contingere possit etiam quod, ad correctionem vel ad vitandum scandalum, interdum fieri debeat, ut puta, si ageretur de uxore in adulteriis notorie perseverante (tunc enim maritus connivens videretur); tamen ordinarie divortia valde dissuaderi debent; imo ut plurimum familiae bonum omnino exigit, ut speciatim uxores ne filios et fortasse se ipsas quoque in ruinam quaquaversus coniiciant, patientiam adhibeant, et maritos suos minime deserant.

910. *Quid si, facto divortio, coniux dimissus emendaretur et reconciliationem peteret?* R. Ex hoc solo capite obligatio illum recipiendi ex iustitia exurgere nequit. Charitas tamen reconciliationem suadere vel etiam omnino exigere posset. Lehmkuhl (*n. 718*).

911. *Quid si, facto divortio, coniux innocens reum ad se revocaret?* R. Reus revocatus tenetur semper (nisi forte crudelem tractationem iure reformidaret) ad coniugem suum redire. Aliqui dubia movent, si divortium auctoritate iudicis firmatum fuisset; sed non videntur audiendi; sententia enim iudicis est in favorem non rei sed innocentis, in cuius proinde praeiudicium nunquam converti potest. S. Lig. (*n. 967*). Excipe nisi reus ex consensu innocentis sacros ordines suscepisset vel professionem religiosam emisisset. Reiff. (*h. t. n. 100*).

912. *Potestne adesse obligatio coniugem dimissum revocandi?* Affirmative; scilicet 1° ex charitate in casu supra indicato (*n. 897*), et maxime si innocens in gravi incontinentiae periculo versaretur, vel si bonum familiae id exigeret. 2° Ex iustitia in casu exposito supra (*n. 898*); praecipue vero si coniugis dimissi innocentia detegeretur. Imo, detecta innocentia, non obstaret votum castitatis et nequidem professio religiosa postea emissa; perinde enim esset ac si coniux ex errore mortuus reputatus fuisset. Debitum tamen tunc reddi quidem, sed non peti posset. Sanchez (X. IX 9). In praxi autem (tali casu eveniente) omnis lapis moveri deberet, ut pars sic ex errore dimissa iuri suo cederet, et coniugem in pace relinqueret.

913. *An praeter adulterium adsint* ***alia crimina****, quae ad divortium ius praebeant?* Responsum habemus in Decretal. (*h. t. II*), ubi dicitur: « Mulier pro furto vel « alio crimine viri sui (nisi fidei suae religionem corrum- « pere velit) ab eo separari non debet. Verum si coniugem « suum ad infidelitatis maleficium traxerit, a viro poterit « separari ». Multi tamen censent quod nomine adulterii intelligi debeat quilibet concubitus consummatus cum creatura vivente; atque adeo comprehendi etiam sodomiam et bestialitatem. Aliqui autem contradicunt, quia adulterium veri nominis magis ingratum esse solet, et poenae non sunt extendendae de casu ad casum. Cf. Lig. (*VI 960*) et Sanchez (X. IV *2. 14*).

914. *An praeter adulterium adsint* ***aliae causae****, quae dent ius ad divortium sive temporaneum (scilicet donec causae ipsae perdurent), sive absolute perpetuum?* R. Quoad divortium perpetuum (saltem seclusa iudicis sententia) negative. Quoad divortium temporaneum et donec causae perdurent, affirmative. Interdum tamen causa ex sese tamquam perpetua duratura iudicari debet, ut puta, si attenta facti enormitate, vel indole personae, iam impossibile foret, ut benevola cohabitatio unquam subsistere posset. S. Lig. (*VI 971*).

915. *Quaenam sunt causae, quae, donec perdurent, ad divortium ius praebent?* Theologi et Canonistae illas reducunt ad duas; scilicet 1° ad **grave periculum corporis; 2°** ad **grave periculum animae.** Gury (*II 761*).

916. *His de causis potestne fieri divortium etiam* ***privata auctoritate?*** Affirmant communiter si periculum sit valde grave; sed multi exigunt insuper ut iudicis sententia implorari nequeat sive quia periculum sit in mora, sive quia factum iuridice probari non possit.

Alii vero id concedunt (supposita tamen evidentia) non obstante quod iuridicus processus implorari valeret. Cf. De Angelis (*IV.* XIX *in fin.*) et Gury (*II 764*), qui prudenter notat, valde expedire, ut saltem consilium confessarii postuletur, et subdit: « Confessarius vero in hoc valde caute « procedere debet. Caveat ne facilius credat, et a divortio, « in quantum fieri potest, avertat ».

917. ***Grave periculum corporis*** *quando verificabitur?*

R. — I. In gravi periculo vitae, v. g. ex odio capitali, ex morbo contagioso, ex dementia furiosa etc.

II. In gravibus saevitiis. Oportet tamen ut saevitiae 1° non fuerint condonatae; 2° tam graves extiterint, ut cohabitatio vere intolerabilis evaserit; qua de re iudicium pendet a circumstantiis. Unicus actus (nisi agatur de veneno propinato vel de gravi vulnere inflicto) difficile sufficere poterit. Idem dic de minis (etsi gravissimis) nisi de executione revera et valde formidandum foret. Ut plurimum saevitiae (ut ad divortium sufficiant) consistere debent in factis (v. g. verberibus) iisque repetitis atque gravibus. Nec obstat si coniux aliqua sua culpa illas provocaverit, dummodo de excessu atroci constet. (S. Lig. *970*).

III. Ad causam istam reducuntur etiam aliae graves iniuriae personales, inter quas recensenda est v. g. diuturna et iniuriosa desertio (imo haec adulterio facile aequiparatur. Acta *V pag. 12*). Idem dic de omnino iniusta expulsione a domo, et de alimentorum et medicinarum denegatione crudeli (D'Annibale *III 367. 27*). Idem dic etiam de sodomia, quam vir cum uxore ipsa exercere vio-

lenter, et habitualiter perpetrare vellet. Nonne enim haec quoque esset iniuria personalis gravissima?

918. Interdum tamen facta minoris momenti, imo et sola verba, sufficere possunt; attenta scilicet conditione personarum, ut puta, si uxor nobilis et bene educata, propter continua convicia aliasque malas tractationes (quae forte a foemina vulgari parum aestimarentur) magno animi angori subiiceretur, et sanitatis iacturam faceret. (Scavini *III 927*).

919. Caeterum antipathia animorumque dissociatio, clamores, blasphemiae, et ebrietates non sufficiunt ut divortium fieri possit.

Idem dicunt de patrimonii dissipatione et de miseria, quae pro se, et filiis cohabitando nascituris, magna futura sit etc. (Cf. Gury *Cas. cons. II 914*).

920. Haec tamen certe deservire possent, ut iniuriis personalibus (si existant) maius pondus accedat.

921. Videndum etiam an sine divortio remedium alio modo apponi valeret, ut puta, si maritus dotem dissiparet aut periculo exponeret, tunc enim separatio dotis eiusdem a bonis mariti iudicialiter peti posset (*Cod. civ. a. 1418*).

Denique, in dubio de sufficientia causae, Superioris ecclesiastici consilium exposci deberet.

922. *Quid si maritus saevitias ad divortium sufficientes contra uxorem adhibuisset, et uxor sic male habita adulteriis se dedisset; uterque autem ius ad divortium habere autumaret?* Ius istud utrique revera competeret; sed maritus, qui, iuxta hypotesim, prior occasionem dedisset, in culpa magis esset; et proinde uxori dotem restituere deberet (*Acta II 136*).

923. *Possuntne coniuges catholici pro divortio* ***ad iudices laicos*** *recurrere?* Pro divortio praecise, negative (*Trid. XXIV 12*), nisi alicubi ex Ecclesiae conniventia hoc certe licitum esset. Pro effectibus autem, scilicet pro dotis restitutione, alimentis, retentione filiorum, etc., quatenus aliter fieri nequeat, affirmative. Berengo (*Enchir. n. 146*).

924. *Causae, quae dant ius ad divortium ex iure canonico, dantne ius ad illud etiam ex iure civili apud nos?* Aliquae adsunt differentiae. Prima respicit adulterium ex parte viri. En quomodo Art. 50 nostri codicis civilis se

exprimit: « La separazione può essere dimandata per causa « di adulterio o di volontario abbandono; e per causa di ec-« cessi, sevizie, minacce e ingiurie gravi. Non è ammessa « l'azione di separazione per l'adulterio del marito, se non « quando egli mantenga la concubina in casa, o notoria-« mente in altro luogo, oppure concorrano circostanze tali « che il fatto costituisca un'ingiuria grave alla moglie ». Secunda differentia est quod causa periculi spiritualis iure civili non admittitur.

925. ***Grave periculum spirituale,*** *quod ad divortium ex iure canonico ius praebet, quando verificabitur?* Quando, v. g. uxor in magno periculo mortaliter peccandi versetur, quod moraliter nonnisi abeundo evitari posset; ut puta, si maritus valde et pertinaciter illam per seipsum tentaret, et multo magis si ad hoc minas adhiberet etc., aut viros effraenatos domi teneret qui uxorem libidinose obsiderent, et rogatus ab ipsa de illis arcendis, id non faceret etc. Cf. Sanchez (*X.* XVII).

Attamen hic quoque advertendum ne ex divortio maiora mala sequantur.

926. *Quid si coniux in haeresim vel infidelitatem prolapsus fuisset?* Stando in puncto iuris, haeresis vel infidelitas ius dat ad divortium, dummodo 1° Sit matrimonio superveniens (S. Lig. *974*). 2° Non obiter ostensa fuerit sed obstinate perseveret (Sanchez *X.* XV *11*). 3° Alter coniux sit sincere catholicus (Scavini *III 357 1° not. 1*). Neque obstaret si haeresis esset occulta, imo et sine periculo perversionis (S. Lig. *l. c.* et Scavini *l. c.*). Nec pariter obstaret si coniux fidelis in adulterium incidisset; huiusmodi enim delictorum compensatio ius ad divortium non auferret (Scavini *l. c.*). Divortium tunc propria auctoritate fieri posset. Attamen, emendatione secuta, reconciliationis obligatio statim exurgeret; nisi sententia iudicis intercessisset et professio religiosa emissa fuisset vel emitti vellet (De Angelis *h. t. in fin.*).

Haec, inquam, dicenda essent stando in puncto iuris. Sed vereor ne hodie in locis gliscenti incredulitate invasis, lex ista moderationi notabili subiici debeat, ne sit in destructionem; unde scripsit Scavini (*III 857*): « In his tamen habenda est ratio temporum, locorum, et personarum ». Et Gousset (*II 899*) id restringit ad casum, in quo maritus uxoris fidem labefactare contenderet, eique catholicae religionis exercitium impediret. Magna etiam differentia fieri debet inter casum mariti, qui saltem nomine adhuc catholicus remaneat, et casum in quo ad haereticos ex secta transiisset.

927. *Quid si uxor innocens divortium facere vellet, quando illud quidem iuxta sacros canones, sed non iuxta leges civiles facere valeret?* R. Tunc maritus iuxta leges civiles (aliud esset de conscientia) posset quidem denegare uxori alimenta, aut etiam interdum sibi applicare partem bonorum parafernalium (iuxta *Art. 133 Cod. civ.*); sed vi publica uxorem ipsam ad se revocare non poterit; inutiliter enim id fieret, quandoquidem

uxor denuo abire posset; domus quippe coniugalis carcer non est. De re ista apud nos nihil dubii. In Gallia vero Iurisperiti non conveniunt. Cf. *Monitore* (*III.* II *pag.* *162*).

928. Pariter maritus nequiret vi publica ad se revocare uxorem, quae ab illo recessisset eo quod, civilibus tantummodo nuptiis contractis, in tali statu remanere nollet.

Sed de divortio iam satis.

929. *Nunc, supponendo quod coniuges (sive quia ad divortium ius non habeant sive quia ad illud devenire nolint) simul convivant, quaeritur quaenam causae debiti coniugalis denegationem legitimam reddant?* Imprimis magna distinctio fieri debet inter denegationem perpetuam vel diuturnam, et denegationem ad breve tempus, aut pro aliquo casu. Denegatio diuturna rarissime licet; et, si non adeo raro permitti posset salva iustitia, alia motiva exigere solent ut non permittatur. Facilius expeditum datur ius minuendi frequentiam, aut respuendi copulam aliquando in quibusdam circumstantiis. Quaedam demum adducuntur interdum excusationes, quae revera minime excusant. Haec in genere dicta nunc sequenti modo singillatim explico.

PUNCTUM II.

Casus in quibus ad diuturnam debiti coniugalis denegationem ius expeditum dari solet.

930. **Casus I.** *Si quilibet (etsi moderatus) matrimonii usus vitae aut* ***sanitati ruinosus*** *esset.*

Naturale enim est ut unusquisque prius sibi et postea generationi consulat; contractus autem matrimonialis iuxta naturae ordinem celebratus intelligitur. Scripsit S. Th. (*Suppl. LXIV 1*): « Vir tenetur uxori debitum reddere;.... salva tamen prius personae incolumitate ». Hinc (donec impedimentum perduret) debitum habitualiter et vicissim denegari potest in sequentibus circumstantiis.

1°) Si uxor in partu mortis periculum subiret; ita ut, si denuo gravida evaderet, medicorum iudicio, certe aut probabiliter moritura esset. Idem dic si in quovis partu in diuturnam vel difficile curabilem dementiam incideret.

2°) Si uxor incipienti canchro uteri laboraret, ita ut post coitum copiosae sanguinis emissioni subiiceretur.

3°) Si ipsa coitum subiret cum dolore valde acuto, qui singulis vicibus repeteretur.

4°) Si vir lue venerea (medice syphilis vel morbus gallicus) laboraret, ita ut in verendis ulcera aut percolationes haberet; tunc enim non solum uxor ipsa, sed etiam proles miserandum in modum inficeretur, non sine magno periculo ne abortus sequatur et ipsum baptismum administrari nequeat. Cf. Capellmann (*l. c. D. e*) et Tamburini (*Dec. VII.* VIII 9). Idem dic de viro si uxor dicta lue afficeretur, morbo durante.

5°) Si vir aut uxor vitium organicum (cordis) haberent; tunc enim coitus semper valde nocet, et mortem etiam repente et actu ipso producere potest.

6°) Si vir aut uxor ita phthisi pulmonari laborarent, ut assidue febricitantes ad ultimum huius morbi stadium approximarentur, aut sanguinem iam expuerent.

Quod autem in his casibus ius debitum denegandi vere expeditum esse soleat, patet quia ex una parte facile est quod alter coniux (rei evidentia et enormitate persuasus) acquiescat atque a iurgiis abstineat; et ex alia charitas non obligat cum gravi incommodo, nisi in extrema necessitate, in qua profecto coniux (cui debitum denegatur) non degit, quum aliis mediis propriae fragilitati consulere possit. Curandum tamen ut coniuges separatim dormiant.

931. *Sed quamvis non teneatur, poteritne coniux de praedicta suae vitae aut sanitatis ruina non curare et debitum reddere?* R. Si eius vita aut sanitas sit valde necessaria familiae, tunc reddere nequibit. Si vero haec necessitas non adesset, et si motivo virtutis (v. g. ne alter coniux, propter adeo diuturnam privationem, incontinentiae periculo subiiceretur) debitum identidem redderet, tunc licite et meritorie aget. Sanchez (*IX.* XXIV *6-23*).

932. **Casus II.** *Si alter coniux perfecte* ***demens evasisset;*** tunc enim modo humano non peteret. Excipiunt tamen Doctores casum, in quo coniux demens, cui debitum denegatur, in pollutionem esset ruiturus; tunc enim, ad evitandam hanc inordinationem (etsi materialem) debitum

reddi deberet, si commode prorsus reddi posset. Haec autem commoditas certe non adesset, si v. g. ageretur de uxore furiosa cum periculo ne foetum deperderet, vel de coniugibns pauperibus, qui, tali stante infortunio, novam prolem vix alere atque aducare valerent, vel si oporteret recludere in maniconium coniugem dementem etc. Cf. Sanchez (*IX.* xxiii).

PUNCTUM III.

Casus in quibus dinturna debiti denegatio licita quidem esset salva iustitia, sed in praxi alia motiva exigere possunt ut non permittatur.

933. **Casus I.** ***Adulterium*** *coniugis.*

Hoc ad perpetuam quidem debiti denegationem, ius daret, prout supra (*n. 895 et seqq.*) explicavi; sed, si coniuges divortium istud non faciant et in eadem domo cum filiis commorentur, permitti quidem poterit ut vir innocens uxori adulterae (speciatim si fuisset recidiva, maxime vero si nunquam emendaretur), etiam perpetuo (ad definitivum divortium quoad torum deveniendo) debitum deneget; sed, si adulter esset maritus, tunc, pro bono pacis et ne peius contingat (viri enim, si eis debitum denegetur, deteriores fiunt, ut recte notat S. Lig. *VI 964*), uxor hac etiam in re (maxime si secus ruina familiae pertimescenda foret) patientiam adhibere et debitum reddere forsan deberet.

934. **Casus II.** *Si maritus pessimus* ***nollet prolem alere*** *et educare.*

In hoc quoque casu uxor ius denegandi debitum haberet; iustissime enim dicere posset marito: — Si matrimonii delectationes vis, oportet ut etiam onera sustineas; et, si vis ut ego debito meo satisfaciam, tu satisfacere tuo, nec totum matrimonii pondus humeris meis imponere debes. — Hinc scripsit Sporer (*n. 516*): « Quaeso te, confessarie, an peccati damnabis miseram uxorem, quae « marito omnia obligurienti, ipsa cum liberis famem et « aerumnas tolerans, ne amplius multiplicaretur miseranda « proles, debitum negat, priusquam se emendet? » Idem

sentit Frassinetti (*not. 178 ad n. 571*). Sed in praxi haec quoque doctrina cum mica salis intelligi debet; si enim maritus non omnia prorsus in vitiis insumeret, sed aliquid familiae tribueret, illamque aliquo modo custodiret, et multo magis si ex debiti denegatione iurgia, verbera, scandala etc. timeri deberent: utique contingere posset, quod hoc etiam in casu, ad evitanda mala maiora, uxor obedire debeat. Adde quod non raro huiusmodi virorum vitia etiam ante matrimonii celebrationem cognoscebantur. Cf. Sanchez (*LX.* xxiv *22*).

935. **Casus III.** *Si proles iam adeo multiplicata fuisset, ut familia (si adhuc amplius cresceret)* ***a proprio statu decidere*** *deberet.*

Ratio est quia ab aliis etiam debitis persolvendis incommoda magna excusant; non enim cum magno suo incommodo tenetur quisquam restituere. Sed, si coniuges cum maximo incontinentiae periculo in eodem lecto dormiant, vel si maritus ad alias foeminas esset diversurus et substantiam familiarem dissipaturus etc.; tunc melius erit si unus vel alter filius adhuc nascatur; et sic in praxi, omnibus consideratis, praedicta excusatio parum valere solet. S. Lig. (*VI 941*) et Sanchez (*IX.* xxv).

936. **Casus IV.** *Si uxor, quamvis non periculo mortis, attamen* ***atrocibus simul et diuturnis doloribus,*** *v. g. propter gestationem aut prolis lactationem (prout contingere potest in illis quae morbo uberum modo extraordinario laborant) subiiceretur.*

In hoc casu misera uxor, si nullo modo (v. g. tradendo prolem nutrici) huiusmodi atroces diuturnosque dolores evitare posset, in rigore debitum reddere non teneretur; ipsa enim, matrimonium contrahendo, ad ordinaria quidem satisque frequentia, non vero ad extraordinaria atque intolerabilia incommoda subeunda se obligavit. Nihilominus, si vir non acquiesceret, atque ex constanti debiti denegatione magna mala timenda forent, confessarius vehementer adhortari debebit miseram foeminam, ut in hoc quoque casu pro amore Dei viro suo, saltem identidem, obediat.

937. Dico *saltem identidem;* sic enim praegnationis periculum minus erit. Neque verum est quod dicunt plures

theologi, nempe aequale imo maius esse periculum istud, si coniuges raro coeant. Ex modernis enim physiologiae inventis constat, quod foecundatio non ex aviditate matricis pendet, sed ab ovi maturitate, quae circa menstruationis tempus ordinarie accidit.

938. **Casus V.** *Si vir non nisi* ***onanistice,*** *aut sine iusta causa (vide supra n. 862) modo innaturali copulam perficere vellet.*

Dixi (*n. 845 et 862*) quod in his casibus uxor, postquam meliori modo possibili virum ab huiusmodi inordinationibus avertere procuraverit, debitum reddere potest. Nihilominus, inspecta iustitia, non teneretur, quia ad copulam non his modis, sed legitime et naturaliter peragendam se obligavit. Ita probabiliter (contra alios) docet S. Lig. (*VI 946*). Attamen in praxi, ne mala maiora sequantur, consultius esse solet ut debitum reddat.

PUNCTUM IV.

Casus, in quibus frequentiam minuendi ius datur.

939. **Casus I.** *Si* ***propter senectutem,*** *vel* ***debilitatem,*** *vel* ***phtisim*** *incipientem etc., frequentia copulae reddenti vel petenti ruinosa esset.*

Phtisici vehementi concupiscentia plerumque agitantur. Modicus matrimonii usus non graviter, sed frequentia gravissime eis noceret.

De senibus dicebat celebris medicus Mayer (*Des rapports coniugaux, pag. 413*), quod post annum quinquagesimum carnalibus voluptatibus renuntiare deberent, et graphice subiungebat: « Chaque fois qu'ils s'y abandonent, « c'est une pelletée de terre qu'ils se jettent sur la tête ».

Tunc certe in viris debita moderatio exigitur. Si itaque maritus phtisi laborans aut senio vel debilitate extenuatus, eadem frequentia, qua viri sani, iuvenes et robusti, matrimonio uti vellet, uxor cum frequentia adeo ruinosa ei obedire non teneretur; sed satis erit si periculo incontinentiae, discretionem quamdam servando, consulat. Idem

dic de viro sic affecto, si uxor iuvenis et sana, nimia (relate ad ipsum) frequentia, debitum peteret. Cf. supra dicta (*n. 882*).

940. **Casus II.** *Si, quamvis, coniuges essent ambo iuvenes, sani et robusti, tamen debitum* ***immoderate nimisque frequenter*** *ab alterutro peteretur.*

Casus practicus est in viro immoderate petenti. Theologi dicunt, uxorem teneri debitum reddere viro si intra terminos moderationis, non vero si excessive nimisque frequenter peteret. Plures tamen (Cf. S. Lig. *VI 940 v. Praeterea*), quamvis hoc principium admittant, docent, uxorem teneri reddere debitum non solum nocte sed etiam die, et ter et quater in eadem nocte, atque etiam ulterius si in viro periculum incontinentiae adsit. Sed, si ita res se haberet, quandonam petitio erit immoderata? Quandonam ex hoc capite uxor excusabitur? Ego censeo, distinguendum esse inter petitionem ordinariam et petitionem pro aliquo casu raro.

Loquendo *de petitione ordinaria*, apud nos (forte enim in regionibus calidioribus aliqua differentia adesse potest) petitio incipit esse immoderata, si vir habitualiter una vel altera copula quavis nocte non esset contentus, aut si habitualiter non solum nocte sed etiam die uxorem quaereret; unde post Croix recte scripsit Voit (*n. 1213*): « Videtur « nimis frequenter peti, si maritus non contentus nocturna « redditione, etiam per diem petendi habeat consuetudinem ». Loquendo autem de petitione *pro aliquo casu raro*, immoderatio non aderit si vir non solum nocte sed etiam die petat; aut si ipse (eo quod, v. g. aliqua nocte dormire non possit) etiam ter vel quater ad uxorem accedat. Et hoc forsan sensu intelligendi sunt theologi et S. Lig. (*l. c.*), qui recte addit: « Non potest autem (uxor) post copulam « habitam in die negare in nocte », Ultra hos limites uxorem non obligarem (nisi forte adesset periculum ne vir ad alias foeminas diverteret); secus enim ipsa (maxime si etiam prolem tunc lactare deberet) non solum cum molestia intolerabili necessario somno privaretur, sed etiam praemature vidua remanendi formidare deberet. Notissimum enim est

quod immoderatus veneris usus facit viros cito senescere (Sanchez *IX.* II *12*), venereisque morbis et praecipue tabi dorsali occasionem praebet.

PUNCTUM V.

Casus in quibus ad breve tempus vel pro aliqua vice debitum denegari potest.

941. **Casus I.** *Si* ***vir ebrius*** *debitum petat.* Tunc enim non petit modo humano. Sanchez (*IX.* XII *12*).

Excipiunt theologi nisi in ebrio, cui debitum denegatur, periculum pollutionis adesset; sed haec exceptio, meo sensu, fieri non debet; certe enim grave incommodum excusaret; hoc autem practice semper adest propter periculum prolis. Scripsit Capellmann (*l. c. D. 5*): « Vix in dubitationem « venire potest, proles in ebrietate generatas in periculo « versari, ne hebetes, vel etiam fatuae aut surdomutae fiant ». Adde horrorem coeundi cum ebrio.

942. **Casus II.** *Si vir petat dum* ***uxor febrim habeat;*** *aut laboret alio* ***morbo acuto,*** *vel tali ut, indicio medici, obstinentiâ ab usu matrimonii indigeat (iuxta dicta n. 882).*

943. **Casus III.** *Si vir petat dum uxor fortuito eventu magno dolore vexatur, aut* ***statim post sectionem venae.***

Tunc enim ex una parte notabilis molestia et forte etiam aliquod periculum in copula adest; et ex alia agitur de debito non denegando sed aliquantulum differendo; et tunc causa non adeo magna sufficientem excusationem constituere potest.

Theologi addunt causam differendi esse quoque si debitum petatur statim *post balneum*, vel *post prandium*, vel *post coenam.* Sed, teste Capellmann (*l. c.*), in personis sanis nullum periculum tunc ex copula timeri potest.

944. **Casus IV.** *Si vir petat* ***dum uxor est recens a partu.***

Theologi cum Sanchez (*IX.* XXII *11*) dicunt, viro sub gravi accessum ad uxorem vetari dum ipsa est recens a

partu, si exinde grave sanitatis ipsius nocumentum reformidari deberet. Nocumentum huiusmodi esse reformidandum in primis duobus diebus dicit S. Lig. (*VI 926*). Capellmann (*l. c. D. 6*) gravissimis verbis monet, hoc periculum grave *ad primas duas hebdomadas* extendi debere; ex toto autem periculum cessare solum post sex hebdomadas. Distinctio etiam fieri debet inter partum felicem, et laboriosum; si enim laboriosus fuisset, etiam ultra duas hebdomadas gravis nocumenti periculum subsistere posset. Signum etiam habetur si uxor ipsa a copula refugiat, vel potius illam appetat, nisi nynphomania puerperali laboret, quod verificaretur si in dictis primis hebdomadis copulam appeteret. An autem, his transactis (seu cessante periculo gravi), maritus ius expeditum ad copulam habeat, etsi uxor adhuc sit in puerperio, theologi communius negant, et dicunt ipsum peccare venialiter, nisi ex periculo incontinentiae aut alia iusta causa excusetur. Attamen Sanchez (*l. c.*) ne hanc quidem venialem culpam adesse censet. In praxi itaque a redditione debiti excusari debebit uxor in primis duabus hebdomadis, vel etiam ultra, si ultra periculum grave perduret. Hoc autem cessante, ad debitum reddendum obliganda erit, saltem si vir negationi facile non acquiescat.

945. **Casus V.** *Si vir* ***tempore praegnationis*** *ita petat, ut ex copula* ***periculum abortus*** *adsit.*

Hic casus raro contingit, ut supra (*n. 885*) dixi. Sed, si contingeret, rectissime scripsit Sanchez (*IX.* xxii. *1*):
« Si tempore praegnationis sit abortus verisimile periculum
« utendo actu coniugali, manifesta est lethalis culpa pe-
« tere aut reddere. Quia talis concubitus bono prolis ad-
« versatur.... perimiturque innocens foetus...... Existimo
« nullum incontinentiae periculum praeponderare posse
« verisimili abortus periculo, ita ut concubitus, eo existente,
» licitus reddatur; quia illi incontinentiae discrimini aliis
« viis et mediis consuli potest absque foetus damno ».

Aliqui, etsi de abortu timendum non sit, incusant de veniali virum petentem debitum tempore praegnationis, nisi in periculo incontinentiae versetur. Sed periculum istud in tam diuturna abstinentia difficile aberit. Praeterea, si non adesset a parte viri, nonne adesse posset a parte uxoris, etsi de hoc signa non praeberet? In praxi itaque hic etiam tenenda est sententia Sanchezii dicentis (*l. c. n. 6*): « Probabilius esse, nec culpam ve-

« nialem in ea debiti exactione inveniri...., eo vel maxime quod matri-
« monium laqueum iniiceret si haec esset culpa venialis, cum enim magnâ
« temporis matrimonii parte uxor gravida sit, vel abstinendum esset con-
« iugibus fere semper a debiti exactione, vel innumera peccata venialia
« essent admittenda ».

945. **Casus VI.** *Si vir **tempore lactationis** ita petat, ut uxor nimis cito gravida evadens prolem suo lacte nutrire amplius nequeat, neque illam nutrici tradere possit.*

Hic casus, etsi non frequenter, tamen identidem verificatur. Illo autem contingente, notissimum est quod quarto praegnationis mense lac maternum valde imminui et corrumpi solet, ita ut si mater prolem lactare pergat, proli ipsi simulque foetui grave nocumentum afferat. Si itaque misera mater (v. g. quia vir mordicus recuset) nutrici prolem materno lacte adhuc nimis indigentem tradere nequeat, utique, debitum denegando aut rarius reddendo, cavere potest ne in his circumstantiis gravida evadat; experientiâ enim constat quod proles praedicta belluino lacte aliisve cibis sustentata (maxime si artificialis alimentatio sub medici directione effici nequeat) aut moritur, aut imbecillis, nempe strumosa vel rachitica, evadit. Hinc scripsit. Sanchez (*l. c. n. 15*): « Excusari a reddendi debiti obligatione
« matrem lactantem prolem, ac ita pauperem ut non sit
« solvendo nutrici lactaturae, expertamque ubera exsiccari
« si concipiat, aut lac esse valde perniciosum proli ».

947. Non desunt qui docent, usum matrimonii esse absolute illicitum tempore lactationis; sed, praescindendo a casu supra dicto, id verum esse nequit; unde Sanchez (*l. c. n. 14*) dixit: « Existimo nullam esse culpam ».

948. **Casus VII.** *Si vir petat **tempore menstrui.***

Antiqui testamenti leges coerimoniales, usum matrimonii tempore menstrui severissime vetabant. Levit. (*XX 18*) legitur: « Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, et
« revelaverit turpitudinem eius, ipsaque aperuerit fontem
« sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui »
(Vide etiam Levit. *XV* et *XVIII*, et Ezech. *XVIII 5*). Equidem leges istae nunc vigorem non habent; neque verum est vel quod ex tali coitu proles monstruosa nascatur, vel quod illud sit tempus foecundationi minus aptum (V. Lecomte *De l'ovulation, P. 2 Sec. 2*). Nihilominus in tali

circumstantia foeminae (tum quia de illa menstrui miseria quam maxime verecundantur, tum quia coitus eo tempore incommodus et foedus est, atque insuper mulieris sanitati ita nocet, ut menstruum in hemorragiam convertere possit) a copula abhorrent, et eundem horroris sensum viri experiuntur. Quum itaque in natura, imo et in generis humani moribus, positum sit ut matrimonii usus tempore menstrui locum non habeat, uxores verum ius denegandi debitum ordinarie tunc habent (etsi enim non sub gravi, tamen sub levi, debiti petitio tunc viro vetatur. Cf. S. Lig. *VI 925*). Ius autem debitum denegandi in uxore practice expeditum tunc esse solet, tum quia de brevi tempore (nempe de tribus circiter diebus tantummodo in singulis mensibus) agitur; tum quia viri, repugnante uxore in ea occasione, facile acquiescere solent (Cf. S. Lig. *l. c.*).

Dixi *ordinarie*, excipiendus est enim casus in quo maritus ex una parte prolem exoptaret, et ex alia non nisi per copulam tempore menstrui peractam, illam sperare posset; non desunt enim foeminae quae solum illo tempore foecundari valent (Cf. Lecomte *l. c. C. 3 § 2*). Excipiendi sunt etiam casus, in quibus, ex denegatione, magna mala pertimescenda forent, unde uxor ex charitate iuri suo cedere teneretur. Theologi excipiunt quoque casum, in quo uxor non ordinario sed extraordinario sanguinis fluxui subiiciatur; ita ut non solum tribus diebus in mense, sed saepius aut diutius tali fluxu laboret; secus enim (aiunt) maritus ad nimiam abstinentiam obligandus esset, quod non convenit (Cf. S. Lig. *l. c.*). At vero Capellmann (*l. c. D. a*) sequentia notat: « Fluxus extraordinarius tunc solum locum habet, si generationis organa ex aliqua infirmitate laborent. Ergo a priori expectandum est, fore ut irritatio ex copula saltem probabiliter maiorem morbi vehementiam adducat. Atque est ita in aliquibus horum morborum. Id si accidat, certe necessarium est de permittenda copula medicum consulere. Pro responsi diversitate, copula, invito medico habita, certe veniale, aliquoties fortasse mortale peccatum esse potest ». Cf. supra dicta (*n. 930. 931*).

949. **Casus VIII.** *Si vir petat* ***dum filii in eodem cubiculo*** *degentes vigilant, aut dum* ***persona extranea in eodem lecto*** *dormit.* Scandalum enim clamat ne uxor pro tunc obediat.

950. **Casus IX.** *Si coniux petat* ***in primo bimestri.***

Notissimum est quod hoc bimestre a sacris canonibus conceditur omnibus, ita ut eo tempore matrimonium consummare non teneantur. Conceditur autem, etsi quis intentionem religionem ingrediendi non concepisset. Cf. Sanchez (*II.* xxiv *1 et 24*). Attamen, tali absente intentione, unusquisque videt quam cito discordia intra coniuges oriretur, quae gravissimas consequentias habere posset.

951. **Casus X.** *Si* ***benedictio nuptialis non adhuc fuisset recepta*** *et post breve tempus recipi vellet.* Ita docet Tamb. (*Dec. VII.* iii. v *26*).

PUNCTUM VI.

Casus in quibus debitum denegandi nullum ius adest.

952. **Casus I.** ***Incommoda ordinaria.***

Haec non excusant; illaque bene declaravit Gury (*n. 916*) inquiens: « Non excusatur a debito reddendo uxor « ob ordinaria partus, graviditatis aut nutritionis incom- « moda, nec ob dolores graves quidem sed tempore breves, « nec ob dolores diuturnos sed moderatos, v. g. capitis per « plures menses post partum, nec ob sanitatem aliquantisper « debilitatam; quia haec omnia conditioni matrimoniali adnexa sunt ». Idem dic si uxor aliquo levi incommodo, v. g. fluxu albo (*gonorrea*) modice laboraret.

953. **Casus II.** ***Abundantia filiorum*** (*intellige regulariter*).

Si maritus faciat quantum in se est ut prolem alat, et si res eo non sint deductae ut coniuges a proprio statu decidere debeant (v. g. ut familia civilis conditionis mendicare cogatur); tunc nullum denegandi debitum ius adesse potest; quando enim filii iuxta propriam conditionem ali possunt, ius debitum denegandi undenam exurgeret? Ita docent communissime.

954. **Casus III.** ***Ob filiorum, qui nascuntur, deformitatem.*** Excipe nisi ex una parte essent horribiliter monstruosi et ex alia forent vitales.

955. **Casus IV.** *Quia* ***filii nascantur mortui,*** *aut mulier* ***abortibus*** *(ipsi non valde noxiis) sit subiecta.*

Ratio est quia maritus ad talem ac tantam abstinentiam (ageretur enim de abstinentia valde diuturna) obligari non potest nec propter damnum prolis, cui (ut ait Sanchez *VIII.* CII *8*) melius est sic esse cum culpa originali et carentia visionis Dei, quam omnino non esse; nec propter incommodum uxoris; non enim est verum quod dicit Sanchez (*l. c.*), quod scilicet haec infortunia in grave periculum foeminas coniicere soleant. Ordinarie hoc periculum non adest. Si tamen adesset (prout revera aliquando adesse potest), tunc cum Sanchezio ipso dici deberet, quod uxor ad debitum reddendum non teneretur. Cf. supra dicta (*n. 930*).

956. **Casus V.** *Ob* ***iniurias*** *a marito receptas.*

Hoc intellige nisi forte de iniuria, etsi non dante ius ad divortium, tamen satis gravi ageretur. Tunc enim non videretur damnanda uxor, si una vel altera vice ad iustae indignationis ostensionem debitum denegaret; multo magis si sciret, hoc ad mariti correctionem optime deservire.

957. **Casus VI.** ***Ob dotem inique non solutam.***

Hoc in casu vir alimenta quidem sed non debitum matrimoniale recusare poterit uxori, quae ex hoc ipso quod uxor sit, ad illud ius habet. S. Lig. (*VI 938*). Excipe nisi dos ad filios superventuros alendos necessaria esset.

958. **Casus VII.** *Ob coniugis* ***graveolentiam,*** *scilicet oris vel narium foetorem.*

Foetor huiusmodi, quamvis esset magnus, atque odoribus aliisque modis remedium non admitteret, causam iustam debitum denegandi vix unquam constituere poterit. Utique tunc coniuges lecto diverso uti poterunt; sed quod solo momento coniugalis officii foetor sit tantus, ut copula intolerabilis evadat, equidem difficile erit. Insuper ut plurimum iam ante matrimonium huiusmodi defectus noti esse solent. Caute hoc in puncto legendus est Tamburini (*Dec. VII,* III, V *23. 24*).

959. **Casus VIII.** *Quia ad **SS.mam Comunionem** sequenti mane accedendum sit.*

Hac de causa uxor debitum viro suo denegare nequit. Sic tamen est distinguendum. *Si raro* ad sacram mensam accedat, tunc consilium est, ut (si expediens videatur) roget maritum ut pro illa vice abstineat; sed, si vir abstinere nolit, uxor debitum reddat, et postea si communicet certe non peccabit: imo, si alia quoque die idem impedimentum praevideat, aut si alia iusta causa adsit, praecipue vero si, non obstante copula habita, mentem quietam et minime distractam habeat, laudabiliter communicabit. *Si vero frequenter*, v. g. quolibet octavo die, ad sacramenta accedere soleat, tunc ordinarie sine ulla difficultate viro suo obediat; et iuxta confessarii iudicium ad Communionem accedat.

Abstinere tamen *a petitione* debiti nocte ante et nocte post Communionem est de consilio. Cf. S. Lig. (*VI 273. 274. 922*) et Sanchez (*IX.* XIII).

960. **Casus IX.** *Quia sit **tempus ieiunii**, aut **dies solemnis.***

Missale Romanum dicit: « Moneat eos sacerdos ser-
« mone gravi ut.... orationis (*nempe Rogationum*) tempore,
« et praesertim ieiuniorum ac solemnitatum, casti mane-
« ant ». Sed hoc est de consilio, non de praecepto. Consilium autem non destruit ius; et proinde si vir debitum exigat, uxor poterit quidem (si expediat) illum rogare ut abstineat; sed, si ille in sua petitione persistat, obedire debebit. Sanchez (*IX.* XII).

NOTA

Hic agendum esset **de septimo Decalogi praecepto,** quod furta aliasque iniustitias contra bona fortunae prohibet; sed haec tractatio (utique suapte natura prolixior) in secundo volumine (ne hoc nimis excrescat) opportunius evolvetur.

Sectio VII.

DE OCTAVO DECALOGI PRAECEPTO

SCILICET

De mendacio, aliisque proximi deceptionibus.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium (Exodi, XX 16). Mendacia, fictiones, et generatim deceptiones proximi cum signorum abusu in hoc praecepto prohibentur.

CAPUT I.

DE REGULIS AD DISCERNENDUM AN ALIQUA LOCUTIO SIT VERA VEL FALSA VEL AMBIGUA.

961. *Quid notandum antequam expressio aliqua decernatur esse vera vel falsa vel ambigua?* Oportet **inspicere sensum**; quid scilicet, omnibus perpensis, expressio illa ex sese (non vero ex particulari atque imperceptibili loquentis mente) significet. Dixi *omnibus perpensis*; interdum enim circumstantiae efficiunt, ut aliqua expressio habeat sensum diversum ab ordinario, aut ab illo quem nuda verba, solum in se et seiunctim ab aliis considerata, indicant. Circumstantiae huiusmodi sunt speciatim contextus sermonis, sensus figuratus, rei incredibilitas, usus communis, signa externa verbis adiecta, circumstantia personae loquentis, relatio responsionis cum interrogatione etc. Sed haec sunt explicanda.

I. *Contextus sermonis*; saepe enim sensus verborum ex antecedentibus vel subsequentibus determinatur.

II. *Sensus figuratus*, v. g. ironicus, hyperbolicus etc., qui plus vel minus appareat.

Sic D. N. I. C. (Marc. *V 39*) dixit: « Puella non est mortua, sed « dormit »; et (Io. *XI 11*): « Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut « a somno excitem eum ».

III. *Rei credibilitas vel incredibilitas*; si enim de re incredibili ageretur, iam ex hoc ipso iocandi intentio demonstraretur (prout contingeret in dicentibus: *volat asinus*).

Ad caput istud referri videtur quod narrat Baronius (*Annal. an. 369*) de virgine Euphrasia, quae ad postribulum ob fidem Christi damnata, cum semetipsam a militis oppressione eam violare volentis tueri non posset, promisso militi antidoto, quo eius corpus nullis hostium ictibus laedi posset, si a stupro abstineret, ex oleo et cera mixtura facta eâque collo suo peruncto, suasit militi, ut experiendi causa gladio collum fortiter percuteret; quod dum miles faceret, virginis primo ictu caput amputavit.

IV. *Usus communis verba accipiendi aliter ac sonant in quibusdam specialibus circumstantiis;* ita ut qui tunc illa sic proferunt, improbitatis aut doli notam minime subeant. Porro tunc verba consuetum sensum amittunt, et vel nihil (ambiguitatem constituendo), vel aliud significant.

Exemplum habes in verbis, quae it. *complimenti* dicuntur, et generatim in illis omnibus quae ex mera urbanitate dici solent; dum, v. g. maximam existimationem, servitutem etc. in epistolis exprimimus; aut, recepto munere, illud valde laudamus; aut, interrogati an cibus nobis oblatus sit bonus nobisque placeat, respondemus: *bonus, excellens, placet.* Item dum quis, rogatus a paupere de eleemosyna, respondet: *nihil habeo.* Item (discretione tamen servata) dum famulus, rogatus an herus sit domi, respondet: *Non* (Gury *I 444. 5°*). Item dum medici in initio curae dicunt, v. g. *Eia age, bono animo esto; nihil est;* vel: *Medicina non est amara;* vel: *Sectio ictu oculi perficitur, nihilque doloris senties; noli timere* etc. Quamvis autem mors certe secutura sit, dicunt: *Adhuc non adest periculum,* intelligendo scilicet non de morte utcumque, sed de morte proxima vel imminenti. Item, dum quis nuntium infaustissimum (v. g. de morte filii) dare debet; tunc enim consuetudo est incipiendi a longe, dicendo, v. g. filium esse infirmum etc. Item dum aliqua dicuntur ad terrorem, et sine animo illa exequendi; vel dum mulier honesta, ad declinandam obsessionem alicuius, dicit, v. g. *Fuge fuge; venit mater, venit maritus* etc., etsi hoc verum non sit. Item dum quis die prima Aprilis, v. g. aliquem deludit et in gyrum mittit. Item dum reus, qui de delicto a se commisso interrogatus (speciatim quibusdam concurrentibus adiunctis), illud negat. Item, dum venditores laudant suas merces, aut aiunt sibi carius valere, aut similia dicunt, quae communiter in loco ab omnibus absque doli nota dicuntur et a nemine creduntur. Cf. Ballerini (*n. 777 not. a*).

V. *Signa externa verbis adiecta;* si nempe qui loquitur, nutu oculi, aut aliquod aliud signum emittendo, plus vel minus significet, sua verba alio sensu esse intelligenda.

Sic D. N. I. C. dixit Iudaeis (Io. *II 19*): « Solvite templum hoc, et « in tribus diebus excitabo illud ». Enimvero dicendo *templum hoc,* manum suo pectori admovit, et sic indicavit se loqui de templo corporis sui; non vero de templo hyerosolomitano, prout verba sonabant. (A Lapide). Sic etiam Iacob (*Gen. XXVII*) dixit patri suo: « Ego sum primogenitus tuus Esau... « Feci sicut praecepisti mihi.... Comede de venatione mea ». Utique verba ista prout sonabant accipienda non erant; etsi enim Isaac fuisset caecus, tamen saltem ex voce Iacob cognoscere debebat, sicut reapse dixit: — *Vox, vox quidem est Iacob.* — Alii aliam explicationem dant; sed in hoc immorari non oportet.

VI. *Circumstantia personae loquentis;* si nempe qui audit ex ipsa qualitate loquentis advertere debeat, quod ille falsiloquia profert vel proferre potest absque nota mendacii. Dixi *absque nota mendacii;* qui enim notorie mendax esset, non ideo a mendacio excusaretur, sed se emendare deberet.

Casum itaque haberes in circulatoribus (it. *ciarlatani*), necnon in secretariis, medicis, confessariis etc., quoad ea quae ad proprium officium spectant. Idem dic de persona qualibet significante, quod *de scientia communicabili* nihil revelare potest. Sic D. N. I. C. discipulis interrogantibus de die finalis iudicii, respondit (*Matt. XXIV 36*): « De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in coelo, neque Filius » (A Lapide).

VII. *Relatio responsionis cum interrogatione.* Ad iudicandum enim an responsio sit vera vel falsa vel ambigua, tam interrogationis quam responsionis sensus perpendi debet; sensus (inquam) non mente tantummodo reconditus, sed intelligibilis. Dein perpendere oportet relationem; responsio enim (nisi aliquod indicium in contrarium positum fuerit) referri ad interrogationem, et quasi unam eandemque propositionem cum ipsa efformare, censetur; unde si quis interrogatus in uno sensu responderet in alio (quin de hoc indicium praeberet, ut dixi) utique falsum responderet.

Hinc interrogatus, v. g. an videris Petrum, si tu responderes affirmative, intelligendo te illum vidisse anno praecedenti, falsum profecto diceres, si sensus interrogationis erat an Petrum videris paullo antea. Interrogatus autem a confessario an tale peccatum commiseris, sine falsitate respondebis negative, etsi olim (dummodo non ab ultima confessione) illud commiseris. Item interrogatus an de tali vel tali facto notitiam habeas, vere respondebis negative, si solum dicteria aliqua audivisses, et interrogans de notitia fundata loqui intendisset.

Notandum quod in interrogationibus et petitionibus saepe subintelliguntur conditiones, v. g. *si scias de scientia communicabili,* vel *si possis*, vel etiam interdum *si velis ;* unde saepe responsa negativa, quae, attentis verbis expressis, essent falsa; attentis conditionibus illis reticitis, sunt vera. Hinc si quis pauperi obolum petenti respondeat — Non habeo —, falsum non dicit.

Sic etiam in responsionibus interdum subintelliguntur aliquae conditiones; sed notanda est differentia inter conditionem reticitam et conditionem expressam. Caius, v. g. petit a te servitium aliquod, et tu dicis — Faciam. — In

verbo isto, facile quidem subintelligitur conditio — Si potero —; attamen respondendo absolute — Faciam —, significas, in praesenti non solum te habere voluntatem faciendi, sed etiam impedimenta tibi prae oculis non esse. Si e contra dicas expresse — Faciam si potero —, tunc te impedimenta plus vel minus praevidere significas; imo si diceres — Memoriam de hoc habebo; videbimus quid possibile erit —, tunc facile indicares, de servitio illo obtinendo parum vel nihil esse fidendum, atque de responso mere evasivo (ad non dicendum aperte — non faciam —) agi.

962. Dixi quod responsa dari censentur ad sensum interrogationis, *nisi aliquod indicium in contrarium appositum fuerit.* Falsitas enim deesset si in responso aliquod verbum immisceretur, quo interrogans suspicari posset te nolle loqui ad rem, sed velle ex interrogatione occasionem sumere sermonem de se stantem faciendi, maxime si speciales quoque circumstantiae id subindicarent.

Exemplum habes in sequenti casu. Quum domus, ubi ego nunc habito, paullo antea habitaretur a Lucretia meretrice, venit quidam huius mutationis nescius, et confusus dicit: — Ubinam itaque habitat nunc Lucretia? — Ego, loco respondendi simpliciter — Habitat in tali domo —, dico: — Vade ad talem viam, atque ad domum numero tali — (ubi, v. g. conventus Capuccinorum, aut carcer, aut manicomium adest).

VIII. *Qualitas personae petentis.* Caius, v. g. petit an habeas talem mercem ei vendendam, aut talem rem ei commodandam, aut talem summam ei ad mutuum dandam. Quum autem scias, illum pretium non fore soluturum, aut rem commodatam vel summam ad mutuum petitam, non fore restituturum (vel quid simile), ei respondes — Non habeo.— Enimvero haec circumstantia efficit, ut talis responsio non iam sit falsa, sed solum ambigua, atque ut responsum non ad sensum interrogantis dari possit; Caius enim dicere intendit an habeas mercem vel pecuniam physice; et tu, qui physice illam habes, respondes non habere; respondes (inquam) alio sensu, scilicet ad dandum ei.

963. De hoc autem exemplum valde practicum habemus *in personis temerariis*, quae facta et negotia aliena (etsi eiusmodi sint ut iisdem occultari oporteat) scire vellent, et quidem saepe ad illa statim publicanda. Enimvero interrogatus, si nequeat se expedire, imprudenti interroga-

tori respondendo aperte — Quid ad te? Attende tibi —; utique poterit absque falsitate respondere — Nescio (subintelligendo restrictionem — ad dicendum tibi) —. Si autem, eo quod interrogatio v. g. respiceret factum proprium vel in propria praesentia paulo antea eventum, respondere nequiret — Nescio —, vel — Non reminiscor; — tunc respondere poterit — Non dixi, non feci — vel — Non dixit, non fecit etc. — (subintelligendo pariter restrictionem — Quod tibi dici possit —).

964. Idem dic *de malefactoribus*, si aliquam a te notitiam exquirerent, v. g. ad furtum vel homicidium vel incendium vel quodlibet aliud delictum perpetrandum, dicendo, v. g. — Estne ille Sempronius? Recepitne a te solutionem talis debiti? Estne illa domus Caii? — Sic (ut fertur) quidam Christiani Iaponenses, interrogati ab infidelibus an haberent sacras Imagines (quas illi dehonorare volebant), responderunt negative (subintelligendo restrictionem, scilicet se non habere imagines dehonorandas). Compulsi autem ad iurandum, iurarunt etc.

965. Imo, quum restrictiones non semper aptari valeant, vel non semper menti statim occurrant, et titubantia ipsam rem occultandam revelare possit; nulla aderit falsitas, etsi sic et simpliciter quid pro quo (et quidem prompte) dicatur; ipsa enim circumstantia temeritatis aut iniquae intentionis interrogantis, efficit ut responsio (qualiscumque ea sit) tamquam sincera credi non debeat. Hinc scripsit P. Cattaneus (*Lez. XLIV*): « Si titubando in quaerendis « verbis, in aptando aequivoco, in perpendendo an res« trictio sit vel non sit pure mentalis, secretum in dis« crimen poneretur; tunc, quum tua sinceritas iniustam « aggressionem patiatur, si aliud medium tibi prompte non « occurrat, et si non sufficiat dicere — nescio —, absque « ulla haesitatione responde rotunde — Non — ».

CAPUT II.

DE VARIIS AMBIGUITATIS ET AMPHIBOLOGIAE GENERIBUS.

966. Postquam sic exposuerim quaenam advertentiae haberi debeant, antequam decernatur, an aliqua locutio sit vera vel falsa vel ambigua; oportet ut circa ambiguitates, seu (ut aiunt) amphibologias, aliquid aliud observetur. Etsi enim vera ambiguitas sit solum quando, omnibus perpensis atque (ut ita dicam) in actu secundo, ambiguum et reconditum remanet quid loquens dicere intenderit; tamen theologi latiori sensu illam accipiunt, atque etiam in actu primo, ambiguitatem considerant, et restrictiones quoque mente quidem conceptas sed extrinsecus nullo modo moraliter intelligibiles ad amphibologiam reducunt. Operae itaque pretium est, ut de re ista aliquid dicatur.

967. *Quid sunt ambiguitates seu amphibologiae in sensu theologorum?* Quadruplex indicatur ab illis ambiguitatis genus.

Primum contingit quando, non obstante ambiguitate aliqua, nonnihil rem considerando, facile intelligitur sensus, quid scilicet loquens dicere intenderit, et sic deceptio audientis est difficilis.

Secundum (in quo etiam deceptio est difficilis) contingit quando facile intelligitur de absoluta ambiguitate agi, loquentem scilicet mentem suam non expressisse, et perinde esse ac si nihil dixisset.

De ambiguitate ista celebre exemplum habemus in Evangelio S. Iohannis (*VII 2-14*), ubi sequentia leguntur: « Erat autem in proximo dies « festus Iudaeorum Scaenopegia. Dixerunt autem ad eum (Iesum) fratres « eius: Transi hinc et vade in Iudaeam.... Dixit ergo eis Iesus:.... Vos « ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendo ad diem festum « istum....: Haec cum dixisset, ipse mansit in Galilaea. Ut autem ascen- « derunt fratres eius, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste « sed quasi in occulto ». Porro Scaenopegia septem diebus durabat; et proinde, dicente Iesu: *Non ascendam ad diem festum istum*, ambiguum erat an de primo die festo Scaenopegiae (multo magis quia solemnior erat), an vero de tota solemnitate illa, loqueretur. Causa autem utendi ambiguitate utique aderat, quia ex una parte nec primo die nec cum fratribus (seu consanguineis suis) volebat illuc se conferre, et ex alia si dixisset: — Ascendam post unum vel alterum diem —, fratres ipsi expectaturi essent, ut cum illo irent.

Interpretes tamen aliter rem hanc communius explicant, et dicunt falsitatem abesse, quia D. N. I. C. usus fuit restrictione, tacendo verbum *manifeste*, quasi scilicet dixisset : — Non ascendam manifeste, nempe vobis comitantibus, ne Iudaei adventum meum animadvertant, etc. (A Lapide).

968. Tertium ambiguitatis genus contingit quando (secus ac in duobus casibus praecedentibus) deceptio est facilis, quando scilicet personae (etiam satis prudentes) facile deceptae remanere possunt.

Casum haberes in verbis mox citatis D. N. I. C., si solum iuxta sensum communiorem Interpretum intelligi deberent. Theologi autem plura exempla praebent; quorum unum, v. g. esset si quis interrogatus an aliquid fecerit, volens factum suum (sive licite sive illicite) occultare, responderet: — Tibi dico: non —; nempe intra se intelligendo: — Tibi dico verbum *non*. — Exemplum autem magis obvium habes, si verba in sensu diverso ab ordinario, absque indiciis sufficientibus, usurparetur, ut puta, si diceres: — Vidi colosseum —, intelligendo in pictura.

969. Quartum genus est si in verbis, signis, et circumstantiis externis nulla prorsus ambiguitas subsistat, unde res aliqua iam clare significetur; attamen qui loquitur rem diversam in mente habeat, et (praeter omnem audientis expectationem) de illa loqui intendat; eiusque dicta huic etiam suae mentali confictioni aliquo modo conformia sint. Petrus, v. g. habet vitium blasphemiae, et tu (quin tenor sermonis ad hanc circumstantiam ullatentus referatur) sic et simpliciter dicis: — Petrus est latro —, intelligendo illum esse latronem honoris divini.

970. Notandum quod theologi in ambiguitatibus primi, secundi et tertii generis *restrictionem externam* seu *late mentalem*; in ambiguitatibus autem quarti generis *restrictionem mere internam*, seu *scricte mentalem* adesse dicunt.

Extra haec quatuor genera ambiguitatum, remanet **falsitas perfecta** quae definiri potest: — **Locutio contra rei veritatem et contra mentem.**

Qualiter autem peccatum in his adesse possit, maxime vero qualiter restrictio mere interna et stricte mentalis a mendacio non distinguatur, et (secluso casu necessitatis ad servandum secretum) peccatum semper includat, videbimus infra.

CAPUT III.

DE PECCATO IN FICTIONIBUS.

971. *Adestne* ***differentia*** *inter* ***locutionem falsam*** *vel ambiguam et simplicem* ***fictionem?*** Affirmative.

Enimvero *locutiones* sunt signa ab hominibus destinata ad significandum. Huiusmodi sunt verba (sive ore prolata, sive scripta, sive typis impressa, sive ope telegraphi vel telephoni communicata): item gestus et nutus: et denique signa conventionalia.

Ut tamen verba, nutus, etc. locutionem (in qua malitia mendacii aut non licitae amphibologiae esse potest) constituant, utique oportet ut *ad alium dirigantur*, qui enim falsa quidem proferret, sed cum nemine loqueretur, mendax non esset quamvis casu aliqui illius verba audirent.

Fictio autem vel simulatio consistit in signis, quae non iam ab hominibus sunt destinata ad significandum, bene vero ex sese sunt effectus naturales rerum humanarum, ut puta, tristitia vultus in afflictis, hilaritas in laetis, vestes splendidae in divitibus et obsoletae in pauperibus etc. In tantum autem intervenit fictio in quantum haec signa ponuntur studiose, dum naturaliter locum non haberent.

972. *An et quando adsit* ***peccatum in fictionibus?*** Fictiones, utpote quae tendunt ad proximum decipiendum, *per se* sunt illicitae. Saepe tamen ex causa iusta et proportionata a quavis culpa immunes sunt.

Sic in sacris litteris (Iosue *VIII*) legitur : « Ponite insidias post « civitatem.... Ego autem et reliqua multitudo accedemus ex adverso.... « Cumque exierint contra nos.... fugiemus et terga vertemus;.... putabunt « enim nos fugere.... Nobis ergo fugientibus et illis persequentibus, con- « surgetis de insidiis et vastabitis etc. ». Et de D. N. I. C. (Luc. *XXIV 28*) dicitur : « Ipse se finxit longius ire ».

Ad decidendum autem in praxi an aliqua fictio licita sit necne, imprimis mera fictio bene distingui debet (repeto) a signo conventionali; quid enim si dux exercitus in praelio vexillum album explicaret, ut sic pacem fingeret, atque inimicorum qui arma iam deposuerunt cladem faceret? Porro in verbis, nutibus et signis conventionalibus

intervenit tacita promissio procedendi sincere; sed non ita in fictionibus, pro quibus (ut licitae sint) sufficit si causa sufficienti excusentur. Ordinarie bona regula erit sequens.

Si fictio ex rationabili motivo ponatur, quavis culpa caret.

Exempla. Caius, ne pravis sermonibus participare cogatur, somnum fingit. Titius, ne a latronibus expiletur, more pauperum misero vestitu utitur et sic pauperem se fingit. Lucius, ne scandalum praebeat, devotionem (quam in corde non habet) in Ecclesia simulat. Livia ut nuperi mariti exprobrationes declinet, virginitatem fingit. Terentius in morte parentum fletum simulat. Sempronius pro sua commoditate comâ fictâ, dentibus fictis, etc. utitur. Seius, ne alii sciant quo vadat, ad alium locum se dirigit etc.

Si vero fictio ex pravo fine seu ex reprehensibili motivo adhibeatur, tunc culpabilis erit.

Exempla. Caius, ut laborem (ad quem a patre vocaturus esset) declinet ex pigritia, somnum vel levem infirmitatem fingit. Titius, ut eleemosynas extorqueat, pannosus et fasciatus incedit, et sic paupertatem et morbos simulat. Lucius, ut facilius haereses spargat, pietatem et devotionem ficte ostendit. Lucretia vano prorsus motivo se infarcit, Sempronius, ut furta committat, barbâ vestibusque fictis utitur etc.

CAPUT IV.

DE PECCATO IN AMBIGUITATIBUS ET AMPHIBOLOGIIS.

973. *An et quando adsit* **peccatum** *in ambiguitatibus et amphibologiis?* Sequentes distinctiones fieri debent.

I. Ambiguitas ex qua id solum sequi possit, ut audiens nihil intelligat, et solum perspiciat loquentem se exprimere noluisse, de se mala non est, et silentio seu dissimulationi aequivalet; imo, prudentia ita suadente, saepe laudabilis et subinde obligatoria est; unde scripsit D. Th. (*2. 2 X.* III): « Licet occultare veritatem prudenter sub « aliqua dissimulatione ».

Excipiendus tamen est casus, in quo illud ipsum, quod dissimulatur, manifestandi obligatio subsistat. Exemplum habes 1° si confessarius interroget (attamen solum circa ea de quibus interrogandi ius habeat); 2° si Iudex iuridice et legitime interroget; 3° si honor Dei vel Religionis (ut in casu tyranni de professione fidei publice in tribunali interrogantis) veritatis ipsius manifestationem exposcat;

4° si genitores filium, aut superiores subditum, iuxta propriae auctoritatis limites, de aliqua re interrogent, etc.

II. Ambiguitates levissimae, quae facili negotio cognosci possunt, ordinarie licitae sunt.

Excipe 1° nisi ageretur de re, in qua periculum etiam valde remotum malae intelligentiae perniciosos effectus habere posset; 2° nisi loquens perspiceret quod audientes aequivocum non intelligerent, idque permittere non expediret; quo casu explicatio subdi deberet. Sic I. C. D. N., postquam dixerit: « Lazarus amicus noster dormit », animadvertendo quod discipuli hoc intelligebant de dormitione somni, statim dixit eis manifeste « Lazarus mortuus est ». (Io. *XI 14*).

III. Ambiguitates non facile cognoscibiles, si studiose (aut saltem advertenter) adhibitae fuerint, per se loquendo, plus vel minus reprehensibiles sunt; ex una parte enim error semper quid malum est, et consequentias plus vel minus malas et noxias habere solet; et ex alia deceptiones societati praeiudicant; unde oportet, ut non solum falsitates presse sumptae sed etiam ambiguitates (ex quibus quoque deceptiones oriuntur) prohibeantur. Hinc veteres veritatem nudam pingebant; nuda quippe et simplex (per se loquendo) esse debet. Dixi *per se loquendo;* hoc enim non semper verum est, ut statim explico.

IV. Aliquae studiosae ambiguitates (seu apparentes falsitates) interdum ita necessariae vel opportunae sunt, ut easdem adhibere liceat et subinde oporteat.

Neque dicas, intentionem decipiendi semper esse malam; id enim verum esset si talis intentio foret unica vel principalis, non vero si sit secundaria, et solummodo tamquam medium ad secretum tegendum, vel aliquid aliud rationabiliter obtinendum, adhibeatur. Hinc scripsit Canus (*De loc. theol. II 3*): « Non enim qui verum dicit is proprie fallax existimandus est, licet ille qui audit, ex parva « intelligentia veritatis, in maximos incurrat errores ». Et Suarez (*De Leg. I.* IX. XVII *9*) subiunxit: « Interdum « velle et cupere ut alter decipiatur, me non decipiente, « potest fieri sine culpa, quia malitia mendacii ibi non est,

« cum ego non decipiam, nec tenear vitare alterius dece-
« ptionem ».

Difficultas itaque erit solum in re ista determinanda, et in distinguendo casu a casu.

Aliqui theologi habenas nimis laxarunt, et Ecclesia illos damnavit; alii e contra ad extremum oppositum declinarunt.

974. Sanchez (*Dec. III.* vi *n. 15 et 19*) duas sequentes propositiones habet.

I. « Si quis, vel solus vel coram aliis, sive interrogatus *sive propria* « *sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine* ***iuret,*** se non « fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid quod non « fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum; « revera non mentitur, nec est periurus ».

II. « Causa iusta utendi his amphibologiis est, *quoties id necessarium* « *aut* ***utile*** *est* ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel « ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur « tunc expediens vel studiosa ».

Hae duae propositiones confixae fuerunt ab Innocentio XI (*n. XXVI et XXVII*), qui (*n. XXVIII*) damnavit etiam sequentem (ignoti auctoris) propositionem.

« Qui, mediante commendatione vel munere, ad magistratum vel offi- « cium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare « iuramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi (*iurando* « *scilicet quod nulla commendatio nullumque munus intercesserit*), non ha- « bito respectu ad intentionem exigentis (*iuramentum*); quia non tenetur « fateri crimen occultum ».

Propositiones huiusmodi merito damnatae fuerunt; duae priores enim non solum concedunt quod aliquando licitus esse possit usus restrictionis mere mentalis; sed licitudinem istam extendunt etiam ad casus in quibus hoc fiat sponte et quin aliquis interroget, imo etiam simplicis recreationis causa, et quidem ita ut iuramentum superaddi possit etc. Tertia autem licitudinem eandem admittit etiam quando quis interrogatur ab eo, qui ob bonum publicum ius habet interrogandi et sciendi puram veritatem.

Attamen ex his damnationibus theologi nimium timorem concepisse videntur, et confusionem incredibilem in praesentem doctrinam induxerunt. Statuunt imprimis, restrictionem mere mentalem ex nulla prorsus causa unquam licitam esse posse, semperque esse mendacium atque intrinsece malam. Dicunt restrictionem mere mentalem esse illam, quae extrinsecus moraliter intelligi nequit, ut puta. si quis interrogatus an Petrus sit vivus, responderet illum esse mortuum, intelligendo *mortuum civiliter* per delictum aut professionem religiosam (Viva *Prop. cit. n. 2*). Postea autem admittunt non esse restrictiones huiusce generis v. g. si mulier adultera, interrogata an adulterium commiserit, responderet se esse innocentem (intelligendo se evasisse innocentem per confessionem sacramentalem!), aut se adulterium non commisisse (intelligendo, pro adulterio idololatriam !!). S. Ligorius (*III 162*). Item si, dicente marito — Tu mihi violasti fidem —, uxor responderet — Non violavi fidem — (intelligendo fidem catholicam!). Item si quis interrogatus an occiderit canem vel gallum, responderet — Non occidi canem — (intelligendo canem coelestem aut marinum!!!), et — non occidi gallum — (intelligendo hominem gallicum!) Wigant (*X.* iv *62*). Item si famulus, interrogatus an herus domi sit, res-

ponderet:— Egressus est — (intelligendo in praeterito), vel — Est foris — (intelligendo illum esse in luctu et remotum a consortio hominum) S. Lig. (*l. c. 165*). At vero quomodo concordant dicta ista cum definitione supra exposita restrictionis mere mentalis, quae nunquam omnino admitti posse dicunt? Si dixissent, mulierem adulteram negare posse delictum adhibendo restrictionem — ad dicendum tibi —; et famulum dicere posse, herum non esse domi, adhibendo restrictionem — pro te —, nihil in contrarium haberem; sed quod negent (ad mendacium et peccatum excusandum) sufficere restrictiones mere mentales (seu inintelligibiles), et nihilominus concedant praedictas restrictiones non iam mere mentales, sed intelligibiles esse; hoc profecto inintelligibile mihi est.

975. *Quid igitur concludendum?* Meo sensu statuenda sunt sequentia.

I. Restrictio moraliter inintelligibilis est mere mentalis, et falsiloquium iudicari debet. Subsistente tamen in mente restrictione (etsi huiusce generis), falsiloquii deformitas est paullo minor, quam esset si eadem restrictio concepta non fuisset: etsi enim quoad audientes falsitas interveniret, tamen quoad loquentem aliquid veritatis adesset.

II. Theologi, ad constituendam restrictionem externam (seu non mere mentalem), atque adeo ut excludatur peccatum et mendacium, exigere videntur necessario, quod audiens (si sit prudens) illam advertere possit.

Necessitatem istam *pro casibus omnibus* ego non admitterem. Enimvero (Tobiae *V*) legitur: « Egressus Tobias « (*iunior*) invenit iuvenem.... Et ignorans quod Angelus « Dei esset, dixit: Unde te habemus, o bone iuvenis? At « ille respondit: Ex filiis Israel. Et Tobias dixit ei: Nosti « viam quae ducit ad regionem Medorum? Cui respondit: « Novi, et omnia itinera eius frequenter ambulavi, et mansi « apud Gabelum fratrem nostrum.... Tobias (*senex*) dixit: « Rogo te, indica mihi de qua domo, aut de qua tribu es « tu? Cui Raphael Angelus dixit: Ego sum Azarias Ananiae magni filius. Et Tobias respondit: Ex magno genere « es tu etc. ». Aderat quippe tunc vir quidam nomine Ananias nobilissimus et omnibus notissimus, qui filium habebat, cui nomen erat Azarias (A Lapide). Sed quomodo restrictiones, quas in mente sua recondebat Angelus (dicendo se esse Azariam filium magni Ananiae) cognoscere poterat Tobias? Et nihilominus quis dixerit Angelum peccasse et fuisse mendacem?

III. Dicerem itaque quod, **quando agitur de necessitate custodiendi secretum,** unusquisque *interrogatus* respondere potest et saepe debet modo apto ad secretum ipsum custodiendum, etsi nulla specialis adsit circumstantia externa, qua de restrictione, vel utcumque de falsa responsione, suspicari valeat. Et hanc doctrinam (me citato) sine ulla reprehensione affert Génicot (*Vol. I n. 406*).

Exemplum. Titius sacerdos est amicus Sempronii, qui de filio suo Terentio suspectum concepit de quodam amore illicito cum Caia. Sempronius nescit, Titium habere facultatem audiendi confessiones, quia officium istud nunquam exercet. Revera tamen Titius unica vice secretissime confessionem audivit, et praecise Terentii ipsius, qui de praedicto peccato suo se accusavit. Sempronius interim (qui de confessione ista ne per somnium quidem cogitare potest) interrogat Titium an de amore filii sui cum Caia aliquid sciat: interrogat (inquam) non temerarie, sed solum ex bono fine filium suum corrigendi. Utique Titius rotunde respondere debebit se nihil scire, subintelligendo restrictionem de scientia communicabili. Ita sane. Sed quomodo restrictio ista esset Sempronio cognoscibilis? Stante itaque necessitate servandi secretum, iudicia specialia externa non exiguntur; sed sufficit generalis notitia, quod sinceritati responsionum obstare potest ratio secreti, etsi in casu non appareret.

Aliud exemplum. Finge, patrem meum, qui in patria a sicariis sectae massonicae inquiritur ad mortem, mutato nomine, ad remotas regiones se contulisse. Occasione tamen cuiusdam necessitatis familiae, rediit in patriam, sed occultissime. Vae si id sciretur! Interim persona illius amica (sed de cuius silentio fidendum non est), de praedicta sectae massonicae capitali sententia nihil sciens, quum casu aliquo de illius adventu levissimum indicium habuisset, me interrogat an redierit. Nonne ego respondere potero — Nequaquam —, intelligendo — Non rediit pro te —, etsi persona interrogans de restrictione ista nullum omnino speciale indicium habere posset? Imo id admitterem, etsi, ex indole interrogationis vel tarditate ingenii etc., nulla restrictio

in mente a me concipi potuisset; et huic quoque casui applicarem doctrinam supra expositam (*n. 865*).

IV. Attamen si necessitas tegendi secretum, ope alicuius restrictionis inintelligibilis, postea evanesceret, persona sincera tunc explicationem dare deberet; sicut fecit Angelus Raphael, qui tandem dixit: « Manifesto ergo vobis « veritatem.... Ego sum Raphael Angelus etc. ».

V. Alter casus, in quo restrictio inintelligibilis adhiberi posset, esset **evidens consensus interpretativus interrogantis** Titius, v. g. a me petit quaenam sit via quae ducit Bononiam. Si ego scirem quod ex ea parte veniunt illi obviam sicarii eum interfecturi, neque possem alio modo me exprimere, nunquid essem mendax et peccarem, si digito viam oppositam ei indicarem?

CAPUT V.

DE MENDACIO, SCILICET DE MENDACII NATURA, DISTINCTIONIBUS ET ILLICEITATE.

976. *Mendacium quomodo* ***definitur?*** Praemittendum quod in definiendo mendacio auctores non concordant, et quod definitiones quae dari solent, exactae non videntur.

Communius definitur — *Locutio contra mentem.* — At vero multae locutiones possunt esse non contra sed iuxta mentem loquentis, et nihilominus esse falsissimae, et producere necessario deceptiones prorsus intolerabiles, quae ideo a mendacio excusari nequirent. Exemplum habes si quis irrationabiliter prorsus alium deciperet, dicendo: — Dabo tibi decem francos —, et in mente sua intelligeret *pictos*.

977. Ab aliis definitur — *Locutio falsa contra ius quod alter habeat sciendi veritatem vel deceptionem non subeundi* — ; unde scripsit Grotius (*De iur. belli III.* I *§ 11*): « Mendacium esse repugnantiam non iam cum mente, « sed cum iure existente et manente eius ad quem sermo « dirigitur ». Sed haec quoque definitio non potest esse prorsus accurata. Finge Titium inique occidere velle Sempronium innocentem, eo quod credat illum fuisse auctorem

magni furti contra se perpetrati. Finge praeterea, me nullum aliud medium habere, persuasum reddendi Titium de suo errore, nisi adducendo ei falsos testes, qui dicant quod die et hora praedicti furti Sempronius erat in alia civitate. Numquid potero ego, nunquid poterunt testes, absque mendacio et absque culpa ulla, ita procedere? Nequaquam. Equidem Bolgeni (*Del Possesso n. 166*) dicit: « Mendacium « quavis culpa vacat, si sit medium unicum ad obtinendum « finem, qui omnino obtineri debeat, maiorisque necessitatis « sit »; sed sensus intimus in contrarium clamat, et Innocentius III (*Cap. Super ea De usur.*) dixit: « Ne pro « vita quidem defendenda nobis licitum est mentiri » Adde S. Th. (*2. 2 q. X n.* III *ad 3*) dicentem: « Non est licitum « mendacium dicere ad hoc ut aliquis alium a quocumque « malo liberet ».

978. At vero obiici posset quod in societate duae magnae adsunt necessitates. Prima est impediendi deceptiones, et alia est custodiendi secreta; secreta (inquam) non solum sacramentalia aut commissa; sed etiam naturalia, quae utique in praxi non raro occurrunt. Saepe autem contingit quod, ut secreta custodiantur, deceptiones procurari debeant, idque maxime in casu interrogationum, quae sive temerarie sive etiam simpliciter fiant, quaeque pariter frequentes sunt; iisque intervenientibus, ut secretum custodiatur, non semper sufficit declinare responsum et silentium servare (proverbium enim dicit: qui tacet confirmat), aut uti verbis ambiguis; aut dicere nescio (quid enim si de re a te ipso peracta, vel utcumque tibi certissime nota interrogeris?); huiusmodi enim agendi ratio iam quomodo res se habeant palam faceret. Sic autem subinde, ne res omnino occultandae detegantur, ad responsa prorsus falsa recurrere oportet. Haec necessitas ab omnibus semper recognita fuit; idque adeo verum est, ut plures hac de causa eo usque processerint ut docuerint, mendacium aliquando licere. Plato (*De Rep. III*) dixit: « Deo quidem « indecens et inutile esse mendacium; hominibus vero quan- « doque utile et necessarium, ut eo tamquam medicamento « utantur ». Origenes (*in VI Stromatum*) hanc sententiam approbavit. Cassianus (*Collat. XVII.* VIII) dixit: « Men-

« dacio utendum tamquam helleboro, quod sumitur immi-
« nente aliquo exitiali morbo ». Laymann (*IV.* III. XIII *9*) subdit, doctrinam de illiceitate mendacii in quovis prorsus casu, antiquis fuisse incognitam et etiam tempore S. Augustini a multis reiectam. Alii autem, rem ipsam tenendo, et nomen evitando (mendacium enim turpitudinem sonat), dixerunt quod falsiloquia interdum non sunt mendacia. Sic sentit nedum Grotius (ut supra), sed etiam S. Ioan. Chrysost., qui (*De Sacerd. I in fin.*) dixit: « Ille fallax iure « dicatur, qui id inique aggreditur; non autem qui id sano « consilio facit; saepeque contingit ut fallere sit opus, ut « per huiusmodi artem magna utilitas importetur ». Communissime autem theologi concedunt, quod, ad tegenda secreta, adhiberi possunt subterfugia talia, quae vix aut ne vix quidem a falsiloquiis distinguuntur. Vide supra (*n. 974*).

979. Quid igitur concludendum? Forsan mendacium rectius definitur: *Falsiloquium advertenter prolatum et necessitate tegendi secretum minime excusatum.*

Huiusmodi autem falsiloquium non debet confundi cum amphibologia restrictionem externam continente, sed est locutio falsa quae necessario inducere debeat in errorem personam ad quam dirigitur, quatenus ipsa nullo modo advertere aut suspicari possit quod loquens in alio sensu locutionem illam adhibuerit. Debet insuper esse advertenter (scilicet cum conscientia dicendi falsum) prolatum: mendacium enim culpam et turpitudinem sonat (ut modo dicebam); falsiloquium autem innocenter et cum persuasione dicendi veritatem prolatum, error seu dictum erroneum appellatur.

980. ***Quotuplex** potest esse mendacium?* 1º Damnosum; 2º officiosum; 3º iocosum; 4º affectivum; 5º completum vel partiale; 6º simplex aut iuratum; 7º privatum aut iudiciale.

981. *Damnosum* est, si ex illo damnum proximi subsequatur, prout in calumniis, dolo et fraude in contractibus etc.

982. *Officiosum* est, si ad propriam aut alienam utilitatem proferatur.

Casum habes in ostentatoribus, et adulatoribus, maxime vero in seipsos aut alios falso excusantibus, prout accidit praecipue in filiis, famulis,

discipulis etc., qui, ut declinent correctionem vel paullo laborosioris operis executionem; et in matribus, quae ut tegant peccata filiorum apud patrem etc., ad mendacia recurrunt.

983. *Iocosum* est, si ad capiendum solatium, falsum dicatur; non equidem ita ut actu ipso finis ludicrus appareat, prout contingit in fabulas narrantibus, vel in dicentibus res incredibiles (v. g. — vide, vide, volat asinus —), vel in subridentibus dum falsum dicunt etc.; bene vero ita ut dicta sint credibilia serioque proferantur, et solum postea iocus detegatur; ut puta, si quis alicui diceret: — Titius te inquisivit et indiget loqui tecum etc. —, idque verum non esset. Cattaneo (*Lez. XLII*).

984. *Affectivum* est quando verum dicitur, sed ex intentione dicendi falsum. Credis, v. g. Petrum esse domi, et dicis illum esse in platea, ubi revera (secus ac credis) adest.

985. *Completum* autem vel *partiale* est secundum quod nihil aut aliquid veritatis includit. Sic, v. g. in exaggerationibus, et in repraesentando ut certum quod est dubium etc., partiale esset.

986. *Undenam desumitur et quomodo probatur* ***malitia mendacii?*** Desumitur praecipue ex necessitate sociali; quatenus scilicet necesse est ut homines teneantur loqui sincere; si enim mendacia licita essent, tunc nemo de sibi dictis ab aliis fidere posset, atque ita, cessante fiducia, commercium humanum impediretur et subsistere nequiret. Hinc, iure naturae et gentium ita exigente, quando homo loquitur cum alio, tacite ei adpromittit dicere veritatem (ut supra innuebam), et, si mentiretur, quamdam proditionem committeret. Mendaces dici possunt falsarii verborum, atque (in globo sumpti) magis quam aliqui monetarum vel publicorum sigillorum vel apocharum falsarii societati noxii sunt. Natura ipsa vehementer damnat mendacium ab eoque abhorret: ut quid enim mendax haesitat, titubat, remorsum patitur, rubore suffunditur et sic infamiam suam persentit? Ut quid nemo tolerare potest quod de mendacio accusetur? Ut quid mendaces ab omnibus vituperantur? Mendax praeterea sibi ipsi damnum infert; vilis enim evadit, quavis fiducia destitutum et plane

exautoratum se reddit (mendaci enim non creditur etiam quando veritatem dicit), et omnibus invisus efficitur. Adde quod saepe mendacium non solum veracitatem, sed etiam alias virtutes, v. g. fidelitatem (si agatur de promissionibus), charitatem, iustitiam, religionem etc. offendit. Saepe etiam mendacium est tegumen iniquitatis, occasio cur alii culpentur, impedimentum publicae iustitiae vindicativae etc. Ab ipsis philosophis ethnicis mendacium quam maxime damnabatur. Plutarchus dicebat: « Mentiri est vernale « (vile), omnibusque hominibus odio habendum ». Antiquum erat effatum: « Mendacium colapho pensandum ». Eadem autem semper fuit doctrina catholica. S. Ambrosius dixit: « Omnes qui amant mendacium sunt filii Diaboli », qui profecto est pater mendacii. Denique idipsum patet apertissime ex sacris litteris. « Obbrobrium nequam in homine « mendacium » (*Eccl. XX 26*). « Abominatio Domini labia « mendacia » (*Prov. XXII*). « Odit Deus... linguam men- « dacem » (*Prov. VI 16*). « Perdes omnes qui loquuntur « mendacium » (*Ps. V 7*).

CAPUT VI.

DE GRADU CULPAE IN MENDACIO, DE ADULATIONE, ET DE IMPRECATIONIBUS ATQUE IURAMENTIS MENDACIO AUT LOCUTIONI AMBIGUAE ADNEXIS.

987. *Quid de **gradu culpae** in mendacio?* Mendacium est grave 1° si graviter noceat; 2° si sit iuratum. In aliis casibus est leve.

988. *Quandonam mendacium erit grave, eo quod **graviter noceat**?* Oportet 1° ut credatur, si enim qui mentitur praevideret fore ut fides sibi non praestetur, tunc (ordinarie) graviter non peccaret. Oportet 2° ut nocumentum secuturum vere sit grave. Tale solet esse speciatim in calumniis, in dolis et fraudibus, in promissionibus de rebus momentosis sine intentione quidquam exequendi, et in rebus quae damnum publicum, sive religioni sive societati, afferre possunt.

Exemplum habes si tamquam bene morati apud Episcopum clerici ad sacros ordines promovendi falso laudarentur; aut si sufficientis peritiae testimonium publica officia petentibus contra veritatem traderentur; aut si falsitates contra religionem vel etiam in illius favorem (v. g. falsa miracula, falsae prophetiae etc.) praedicarentur; aut si in scholis vel libris vel ephemeridibus, etc. falsa et perniciosa principia traderentur; aut si quis ex vano respectu humano se non esse christianum vel non esse catholicum protestaretur; aut denique si contra clerum calumniae aut exaggerationes (quae adeo facile creduntur et religioni adeo noxiae sunt!) disseminarentur; vel, occurrentibus electionibus politicis aut administrativis, pro illis viri pessimi apud populum laudarentur etc.

989. Seclusis autem damnis gravibus (et iuramento, de quo infra), mendacium est leve; unde mendacia mere iocosa vel officiosa ordinarie levia sunt. Dixi *ordinarie;* interdum enim consequentiae valde malae ex his quoque oriri possunt. Fuit qui die primo aprilis consueto mendacio iocoso deceptus, deceptorem occidere volebat. Consideranda erit quoque dignitas personae, quae ioci obiectum reddatur. Ex mendaciis autem officiosis interdum sequitur ut innocentes culpentur, vel ut qui rem detulit tamquam calumniator habeatur.

Aliqui dicunt, mendacia levia, evadere posse gravia propter scandalum, attenta qualitate personae et mendacii frequentia; sed hoc difficile videtur.

Mendacium autem non evadit grave eo quod in confessione proferatur, nisi eo tendat ut confessarius quoad materiam necessariam aut quoad doloris et propositi existentiam decipiatur.

Denique prudenter scripsit Roncaglia: « Caveat (confes-
« sarius) ab admonendo rudes, mulierculas et quosdam alios
« crassioris capacitatis, qui putant non esse peccatum offi-
« ciose mentiri, ne herus vel hera repleat domum clamo-
« ribus, vel aliquem dimittat a famulatu etc. Si admone-
« antur, nihilominus perseverabunt in suis mendaciis, et
« ex remotione ignorantiae peccabunt ».

990. *Circa mendacia, quae* ***ex imprudentia,*** *et non proprie cum intentione mentiendi, dicuntur, estne aliquid notandum?*

Si unusquisque obligationem habet prudenter se gerendi in omnibus, id maxime verum est, si periculum sit mentiendi simulque proximo gravia damna inferendi. Hoc contingere solet speciatim dum nimis facile aliquid credi-

tur, et tamquam certum dicitur quod, v. g. solum a personis non fide dignis vanisque dicteriis auditum est. Id non raro contingit etiam in personis, in quibus idipsum contingere posse impossibile videretur, cuiusmodi sunt moniales, religiosi, bonarum ephemeridum directores, theologi, sacerdotes etc. Levitas autem, aut aliqua passio, v. g. amor proprius, simpathia, antipathia, fanatismus etc. huiusmodi inordinationum causae esse solent.

Quoad moniales, magnae huiusce generis inordinationes non raro accidunt speciatim occasione electionis superiorissae, acceptationis vel electionis alicuius novitiae, auscultationis episcopalis, recursus ad S. Sedem etc. Quid simile dic de religiosis.

Quoad bonarum ephemeridum directores, exemplum habes in plurimis nuntiis, quibus libri laude digni immerito censurantur, et e contra laude non digni ad coelum extolluntur; unde consequitur quod vel auctores vel emptores damnis inique subiiciantur.

Quoad theologos, non raro contingit quod sive ex ambitione, sive ex studio partis, sive ex nimia in se ipsis confidentia, aliorum doctrinas reprehendant, et quidem consulto (et nihilominus sine scrupulo ullo) non prouti sunt illas repraesentent, argumenta falsent vel abscondant, textus mutilent etc.

Quoad sacerdotes denique, exemplum habes in illis, qui falso zelo et fanatismo abrepti, vellent omnia ad placitum proprium et iuxta suas ideas exaggeratissimas procedere; quod cum non accidat neque accidere debeat, clamant, scribunt, recurrunt, proselitismum facere satagunt, neque timent iniustissimas notas, v. g. insipientiae, liberalismi etc., aliis et forte etiam episcopis inurere; aut bona collegia, optimas institutiones, seminarium etc. publicae diffidentiae exponere, dicendo, v. g. non esse totum aurum quod lucet, res non bene regulari etc. etc. Heu quot et quanta mala in maximum concordiae et religionis detrimentum exinde promanant!

991. *Quid est adulatio?* Est laus inordinata; et continet mendacium laudando aliquem, et speciatim superiorem, excessive, vel etiam quando nullatenus laudari deberet. S. Th. (*2. 2 q. CXV*) dicit: « Pertinet ad adulationem, si quis velit aliquem laudare in quibus non est « laudandus, quia forte mala sunt ».

992. *Quaenam est malitia adulationis, et quinam sunt pravi illius effectus?* Adulatio est continuum mendacium et perpetuus dolus. Adulator autem sub dicta blanditie verborum, reapse gravissime offendit superiorem (unde a S. Hieronymo appellatur *blandus inimicus*); tamquam hominem enim cupidum laudis, vanum, levem, accipientem fictiones manifestissimas pro veritate, atque etiam dispositum ad iniuste procedendum in distributione officiorum et beneficiorum, et, uno verbo, nedum virtute sed etiam criterio destitutum illum habet.

Effectus autem (attamen solum in hypothesi supradicta superioris qui adulatoribus circumdari sineret) sunt speciatim plus vel minus sequentes.

I. Adulatio fovet superbiam, qua, speciatim in personis regimen habentibus, nihil peius. Enimvero superbia nimiam sui ipsius existimationem; et proinde facilitatem procedendi (etiam in rebus difficilibus et valde momentosis) sine consilio, sine studio, sine ponderatione: praecipitantiam et imprudentiam habitualem; et consequenter errores frequentes et subinde gravissimos, producit; et sic bono regimini quam maxime praeiudicat. Quid dicam de aliis superbiae consectariis? Huiusmodi plus vel minus esse possunt vanagloria, iactantia, singularitates, fastum, ambitio, praesumptio; erga subditos autem intolerantia cuiuslibet moniti, contemptus, arrogantia, malae tractationes, praepotentia, zelothypia, invidia, et spretus cuiuslibet rei, etiam utilissimae, cuius superior ipse initiator non fuerit.

II. Superior, qui sic adulatoribus aures praeberet; et superbia inflaretur, difficile se emendaturus esset. Enimvero 1° Adulatores ei repraesentant, omnia eiusdem gesta ab omnibus approbari et laudari. 2° Approbant autem et laudant speciali modo illa, in quibus superior errat magis et ex systemate. 3° Ita circumdant superiorem, ut simul arceant alios a quibus veritatem auditurus esset. 4° Si superior didicisset quod sua agendi ratio revera censuratur ab aliquibus et de hoc lamenta emitteret, tunc adulatores irruerent contra illos dicendo esse stultos, iniquos, paucissimos et ab omnibus aliis reprobatos. 5° Cognita etiam veritate, superior non se emendaret, se enim emendando, perinde esset ac dicere: *erravi;* quod in suae auctoritatis praeiudicium intolerabile esse existimaret.

III. Alter effectus valde ordinarius esset mala distributio officiorum et beneficiorum, non respiciendo idoneitatem et merita, sed illa concedendo adulatoribus indignissimis et praetermittendo dignos.

IV. Haec autem omnia simul sumpta efficerent, ut ex una parte superior amitteret existimationem apud omnes, atque (loquendo de Episcopo) suum Clerum a se alienaret; et ex alia magnum damnum publicum et ruinam Dioecesis, sequeretur.

993. *Adulatio estne peccatum mortale?* Decisio pendet ex fine et consequentiis; aliud enim esset si quis paullo excessive laudaret superiorem semel vel iterum ad obtinendam gratiam qua sit dignus; et aliud si vel esset indignus (consequente proinde damno aliorum vel Ecclesiae), vel laus ita inordinata et frequens foret ut de valde malis effectibus supra indicatis timeri deberet. Ita D. Thomas et Scavini.

994. *Quid de **imprecationibus,** quibus interdum mendacia confirmantur?* Imprecationes (quibus, ad fidem sibi conciliandam, mendax sibi ipsi vel caris suis mala imprecatur) ex corde proferri non solent, et proinde (ordinarie) non efficiunt ut peccatum evadat mortale. Possent tamen includere iuramentum, si nempe mendax Deum invocaret, tamquam vindicem contra se, si mentiatur. Iuramentum autem, sive ita esset imprecatorium, sive esset solum assertorium, malitiam mortalem mendacio superadderet, ut statim explico.

995. *Quid itaque si **iuramentum** mendacio adnectatur?* Quamvis mendacium nec damnosum nec grave, sed innocuum et leve esset in se, si iuramentum illi adnecte-

tur, hoc semper mortale foret. Innoc. VI damnavit sequentem prop. (*n. XXIV*): « Vocare Deum in testem mendacii « levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut « possit damnare hominem ». Mendacium autem iuramento confirmatum dicitur **periurium.**

996. Neque, subsistente malitia mendacii, periurii reatus cessaret eo quod loquens restrictionem mere internam in mente respondet: ut puta si dicendo: — Iuro me hac nocte non dormivisse — subintelligeret — cum calceis —; restrictiones enim, quae nec apparent nec de se subintelligi debent, mendacii malitiam non excludunt; et proinde semper verum esset quod SS.mum Dei nomen ad confirmandum mendacium adhibitum fuisset. Viva (*Pr. XXVI* Inn. XI *n. 15*).

997. Si autem quis formulam quidem iuratoriam adhiberet, sed *sine animo iurandi in mendacio levi,* tunc videndum esset 1° ne forte formula ipsa, in circumstantiis in quibus prolata fuit, sensum iuratorium amisisset ita ut ab audientibus pro serio iuramento accipi non soleret (prout in multis infimae notae mercatoribus et proxenetis contingere videtur). Videndum 2° ne forte qui formulam iuratoriam adhibuit, illius vim non percepisset, et hac de causa iurandi animum non habuisset. In his duobus casibus formula iuratoria mendacium ex levi grave non redderet.

Qui vero sciens formulam esse iuratoriam atque ab audientibus uti talem haberi, illam proferret ut mendacio suo fidem conciliaret, imprimis ipsi mendacio illicitam divini Nominis invocationem, imo et aliud mendacium superadderet, iuramentum fictum enim, quamvis veritati adnecteretur, mendacium esset; unde Innoc. XI damnavit sequentem prop. (*n. XXV*): « Cum causa licitum est iurare « sine animo iurandi, sive res sit levis sive gravis ». Docet insuper Viva (*hac. pr. n. 6*) quod iuramentum istud (etsi fictum) mendacio levi adnexum mortale esset; vigeret enim semper ratio supradicta, quod scilicet SS.mum Dei nomen ad confirmandum mendacium adhiberetur.

998. *Quanta certitudo de rei veritate exigitur ut quis iurare possit?* Qui iurat absolute (nisi ex adiunctis subintelligatur restrictio — quantum est ad meam notitiam —) debet esse omnino certus de rei veritate. Simplex assertio saepe aequivalet merae persuasioni aut credulitati; sed (ut dixi *n. 480*) assertio iurata, propter reveren-

tiam divini Nominis, et quia postularetur atque adhiberetur ad securitatem plenam, ex certitudine plena procedere debet; prout etiam communi omnium sensu res ista intelligitur. Tamburini (*Dec. III.* II *6*). Sufficere tamen potest certitudo, quae ex notitia habita a fide dignis acquisita fuerit, nisi quis de scientia propriis sensibus acquisita deponere debeat, prout in iudiciis; sed de hoc infra.

999. *Quid de consuetis testimoniis bonorum morum, paupertatis etc.?* In his (etsi fuerint iurata) subintelligitur semper restrictio — quantum est ad meam notitiam —. Si tamen persona esset incognita aut parum cognita, discretae inquisitiones prius fieri deberent. Quomodo autem bonorum morum testimonium ferri possit, quamvis persona improbitate occulta laboret, aut probitate non perfecta gaudeat, vide dicta in *Theologia pastoralis* (*Ed. III 624*). Habenda erit quoque ratio finis, propter quem testimonium petitur; aliud enim esset si pro imputato iudicialiter de furto vel homicidio; et aliud si pro promovendo ad Ordines sacros vel pro postulante ingressum in religionem, bonorum morum testimonium praestari deberet.

1000. *Quid de iuramento, quod* ***locutioni ambiguae*** *adnectatur?* Imprimis si ipsa ambiguitas illicita esset, iuramentum quoque illi superadditum illicitum foret. Casum habes si veritas candide et nitide dici deberet, sive quia scandalum sequeretur, sive quia respondendum esset Superiori legitime interroganti, sive quia secus (prout in contractibus facile contingere posset) damnum proximi interveniret etc. In huiusmodi casibus iuramentum esset mortale, nedum quia ad fallendum Superiorem vel damno afficiendum proximum dirigeretur, sed etiam quia periurii malitiam includeret; in his enim circumstantiis unusquisque simpliciter procedere tacite adpromittit. Lehmkuhl (*I 773. 3. 4*), et S. Lig. (*III 151*).

1001. Si autem ambiguitas esset licita, non ideo semper licitum esset iuramentum; quaedam enim ambiguitates levi de causa adhiberi possunt; sed ad iurandum (propter reverentiam divini Nominis) causa momentosa exigitur; multo magis quia in casu non de veritate nuda et simplici, sed

de ambiguitate (et quidem deceptionem proximi comitem habente) ageretur.

Hinc, v. g. liceret quidem de cibo oblato dicere illum esse bonum, sed hoc iurare minime liceret. Item rogatus de mutuo levis momenti, vel de parvula eleemosyna, poteris quidem dicere: *Non habeo* (etsi habeas); sed iurare non poteris. Interrogatus de levi defectu alicuius, dicere quidem poteris te nescire (etsi scias), sed (iuxta Viva) non poteris iurare. Mercator de merce sua poterit quidem dicere: *Carius mihi valet* (etsi per exaggerationem sic diceret); sed de iuramento requisitus illud praestare nequibit. Cf. Viva (*l. c. 14-18*) et S. Lig. (*III 164*). Aliud esset si attentis expensis transvectionis, custodiae etc. vere carius ei valeret.

1002. Supposita autem causa momentosa et proportionata, sermonem (maxime vero responsum) ambiguum, vel cum restrictione externa coniunctum, iuramento confirmare licet certe, et subinde debet. S. Lig. (*III 151 et 170*) aliique communissime notant, intentionem esse debere iurandi iuxta sensum in mente conceptum qui veritatem includit; non vero iuxta alium sensum falsum, quo probabiliter ab audiente accipietur. Aliqui notant insuper intentionem esse debere solum occultandi veritatem atque procurandi ut audiens (ambiguitate confusus) nihil intelligat; non vero decipiendi auditorem atque desiderandi ut falsum credat; quae deceptio (aiunt) permitti quidem sed non intendi potest. Attamen Salmant. (*XVII 108*) rotunde dicunt: « Tale iuramentum, *etiamsi fiat animo alterius fal-* « *lendi*, habet comitem veritatem etc. ». Recole dicta (*n. 977*).

1003. *Sed quandonam causa erit ita momentosa, ut responsum ambiguum, vel cum restrictione externa coniunctum, iuramento confirmari possit?* Oportet imprimis ut simplex responsum non sufficiat, sed iuramentum ab audiente (sive expresse sive aequipollenter) exigatur.

1004. Hoc praesupposito, ad determinandam causae sufficentiam, regula generalis vix dari potest. Attamen S. Lig. (*III 151*) dicit: « Iusta autem causa esse *potest* quicumque « finis honestus ad servanda bona spiritui vel corpori « utilia.... Ad sic iurandum non requiritur (intellige *non* « *semper requiritur*) causa absolute gravis, sed sufficit « quaelibet rationabilis causa ». Deinde subdit: « Quo verba « maiorem occasionem praebent errandi, maior causa exi- « gitur ». Addit insuper: « Quando verba fere nullam cau- « sam praebent errandi, ut sunt verba per se aequivoca,

« duplicem sensum aeque habentia, tunc levissima causa « excusat ». Hoc tamen ultimum intelligi debet de causa speciali (intuitu ambiguitatis); non vero de causa, quae generaliter pro omnibus iuramentis exigitur; nullum enim iuramentum (etsi de limpida et candida veritate ageretur, ut suo loco notabam) sine gravi causa emitti potest. Sic ergo, ex mente S. Ligorii, ad minus causa rationabilis seu alicuius momenti; interdum autem causa maior, exigitur.

1005. Veniendo autem ad particularia, iuxta theologos, casus, in quibus (attentis attendendis) responsum ambiguum (seu utcumque licitum, etsi apparenter falsum) iuramento confirmari valet, sunt speciatim sequentes.

I. Casus confessarii ad sacramentale sigillum sartum tectumque servandum. S. Lig. (*III 153*).

II. Ad tegenda secreta commissa, vel alia secreta momentosa, sive pro se, sive pro aliis; ut puta, si quis interrogaretur de delicto occulto et occultando. S. Lig. (*l. c.*).

III. Ad tegenda propria negotia, atque ad se liberandum ab interrogationibus molestis atque periculosis. S. Lig. (*l. c. 151*).

IV. Dum quis, ad reparandam famam proximi per manifestationem delicti occulti a se iniuste laesam, dicit *deceptus sum, falsum dixi* etc.; idque, si opus sit, iuramento confirmat. Viva (*Prop. XXVI* Innoc. XI *n. 20*).

V. Uxor adultera, a qua maritus adulterii, prout illa dicit, non commissi (sed revera commissi) iuramentum exigat. S. Lig. (*l. c. 126*).

VI. Requisitus ad aliquid mutuandum vel donandum vel commodandum etc. qui commode et tuto annuere nequeat, et dicat, atque (intellige semper quatenus opus sit) iuret se illud non habere, scilicet quod possit, aut velit dare. S. Lig. (*l. c. 163*).

VII. Obligatus ad secretum, qui aliquid leve manifestasset, et diceret atque iuraret, se nihil manifestasse (intelligendo *nihil grave*). S. Lig. (*l. c. 160*).

VIII. Potest quis latroni iurare se ei daturum pecuniam, intelligens, quam debeam, seu si debuero.

IX. Qui interrogatus an veniat a tali loco infecto, id negaret (ad vitandum incommodum quarantenae), quatenus

etsi venerit ab illo loco, tamen vel locus ipse false reputaretur infectus, vel ita obiter illuc transiisset ut se luem non contraxisse iam certus esset. S. Lig. (*l. c. 159*).

X. Qui sponsalia contraxerit quidem, sed illa invalida fuerint, vel rescindibilia evaserint, et dicat atque iuret se illa non contraxisse (subintelligendo *valida et firma*); si nempe eorundem invaliditatem vel rescindibilitatem probare nequiret. S. Lig. (*l. c.*).

XI. Qui mutuum acceperit, mercem ad creditum emerit, aut quamlibet aliam obligationem contraxerit; sed postea restituerit, pretium solverit, aut quovis modo (v. g. iure compensationis) ab obligatione contracta liber evaserit; nunc autem requisitus de restitutione, solutione etc. iureiurando neget se mutuum (subintelligendo *adhuc solvendum*) recepisse, mercem emisse etc.; quia scilicet neque satisfactionem probare, neque alio modo extorsionem iniustam declinare posset. Ita dicunt Salmant. (*XVII.* II *140*) et Sanchez (*Dec. III.* VI *32*).

XII. Haeres, qui, inventario non confecto, bona sua absconderit, ne cogeretur debita solvere ultra vires haereditatis; et iureiurando neget se aliquid (subintelligendo *de quo creditoribus satisfacere teneatur*) abscondisse. Idem dic de illo qui bonis suis cesserit, atque aliqua stricte sibi necessaria absconderit. Salmanticenses (*l. c.*) et D'Annibale (*II 343 not. 14*).

XIII. Iuxta S. Lig. (*l. c. 161*) et Salmant. (*l. c. 143*), creditor ex instrumento qui summam ex illo sibi debitam recepit, potest iureiurando affirmare nedum illam summam adhuc sibi deberi, sed nihil fuisse sibi solutum, si ex alio capite creditum aliud aequale (de quo probationes producere non possit) conservet; dummodo aliis creditoribus anterius ius habentibus non praeiudicet.

Vide alia apud Ballerini-Palmieri (*Op. th. Vol. II Tr.* VI *Sect.* II. *C.* II *n. 55*).

1006. *Quid si quis, subsistente causa sufficienti ad aequivocandum, sed non sufficienti ad iuramentum superaddendum (iuxta dicta n. 1001), nihilominus iuramentum superadderet? Peccaretne mortaliter?* Negative. Stante enim aequivocatione, atque adeo veritate; stante

insuper sufficienti causa aequivocandi, atque adeo absente damno proximi etc., iam totus defectus reducitur ad invocationem divini Nominis absque causa sufficienti, in quo peccatum grave non adest (Cf. *n. 481*). Ita cum aliis communissime tenet S. Lig. (*l. c. 151*); qui tamen Viva et Busembaum contrarios esse dixit, sed contrarii reapse mihi non videntur.

CAPUT VII.

DE MENDACIIS AUT RESPONSIS AMBIGUIS IN IUDICIO.

1007. Hoc in puncto imprimis manifestum est 1° nunquam posse citari tamquam debitorem, aut accusari tamquam delicti auctorem, eum qui talis non est; 2° numquam pariter documenta falsa aut testes falsos, nequidem in favorem veri creditoris, imo nequidem ad salvandum innocentem ab ipsa morte adduci posse; et multo minus alteri falsum crimen imponi; unde ab Innoc. XI damnata fuit sequens propositio (*n. XLIV*): « Probabile est non peccare mortaliter, « qui imponit falsum crimen alteri, ut suam iustitiam et « honorem defendat ».

1008. Videndum insuper an iudex *legitime* et *iuridice* interroget.

Legitime interrogat, quando agitur de tribunali competenti, ita ut scilicet persona et causa eius iurisdictioni sit subiecta, quod (secluso concordato vel licentia Ecclesiae) non contingeret si iudicium esset civile, et persona vel causa ecclesiastica foret. *Iuridice* interrogat, quando in causa instruenda atque in interrogationibus faciendis se gerit iuxta modum substantialiter a legibus praescriptum. Sic, v. g. non ita pridem de iure communi in indicio criminali, ad reum et testes interrogandos, exigebatur (exclusis tamen aliquibus delictis) ut semiplena probatio (per unum testem fide dignum, aut indicia gravia, aut diffamationem iuridice probatam) praecessisset, atque a iudice ipso testibus et reo declarata fuisset (Cf. S. Lig. *IV 273*). At vero novae leges civiles de re ista nihil habent, et maiorem interrogandi libertatem iudici relinquunt, ut bene notat Lehmkuhl (*I 815*). Certe testes et periti (apud nos) iuridice non adhiberentur (cum iuramento) si ad minus decimumquartum aetatis annum non complevissent (*Cod. proced. poen. A. 285*). Obstare posset etiam cognatio cum reo, et secretum; sed de his infra.

Si autem iudex non legitime aut non iuridice interrogaret (aut de hoc gravia dubia adessent; Cf. S. Lig. *l. c.*); tunc reus et testes obligationem respondendi non haberent,

et proinde responsis ambiguis uti, vel sub restrictione (subintelligendo scilicet *Ad tibi manifestandum*) negative respondere et iurare possent.

1009. Supponendo autem quod iudex legitime et iuridice interroget, claritatis gratia, agendum est seorsim: 1º De reo in iudicio civili (quo nomine appellari solet qui citatur tamquam debitor, sive debitor sit, sive non). 2º De reo in iudicio criminali (de illo scilicet, cui iudicialiter imputatum fuit delictum, sive reapse sit reus sive non). 3º De advocato. 4º De testibus. 5º De peritis. 6º De iuratis.

1010. *Quid de reo in iudicio civili?* Si vere et certe sit debitor, equidem non potest ullo modo debitum negare; et, si propter denegationem actor litem perderet litisque expensas solvere cogeretur, reus etiam quod illas ad restitutionem teneretur.

Si autem nullo modo aut non certe debitor foret, utique tunc debitum poterit negare vel exigere ut probetur.

Sed quid si debitum contraxisset, et postea ab illo ita liber evasisset ut hoc iudicialiter probare non posset; a iudice autem interrogaretur an debitum ipsum contraxisset? Tunc si affirmaret, iam ad solvendum cogeretur. Poteritne itaque negare (intra se intelligendo — Non contraxi debitum quod adhuc solvere tenear —)? Id concedunt theologi communissime cum S. Lig. (*III 158*); et idem dicunt de illo qui negaret se aliquid abscondisse, iuxta mox supra dicta (*n. 1005 XI*).

Rationem dant quia sensus interrogationis talis est. Equidem quod possit aequivocare ad se subtrahendum ab iniusta (sive formaliter sive materialiter) actoris vexatione; et quod, ita se gerendo et litem vincendo, ad restitutionem non teneatur, concedo; quod autem talis reapse sit sensus interrogationis mihi clarum non est, neque taliter respondentem tutum redderem ne tamquam reus iuramenti falsi (iuxta *A. 221 Cod. pen.*) haberetur, si illum revera debitum contraxisse aut aliquid occultasse, in ipso iudicio resultaret.

1011. *Quid de reo in iudicio criminali?*

Supponendo imprimis quod non solum sit accusatus sed vere sit reus, oportet distinguere inter iudicium ecclesiasticum et saeculare.

In iudicio ecclesiastico certe (seclusa quavis tergiversatione et ambiguitate) tenetur veritatem suumque delictum (iudice interrogante) fateri; idque iam certissimnm est in causis sollicitationis, ita se habente praxi S. Officii, et dicente notissima Instructione (*20 febr. 1867*): « Super « singulis cuiusque denunciationis et examinis adiunctis, « iuramento dicendae veritatis obstrictus (reus) respondere « debet ». Vide Rota (*Enchiridion n. 700 et 706*), Lugo (*De Contract. D. 40 n. 14*), Baller.-Palm. *v. IV. tr. 9 n. 104*).

In iudicio autem saeculari hodie apud nos nulla quaestio de hac re esse potest; leges civiles enim expresse prohibent ne imputato ullum detur veritatem dicendi iuramentum (*Cod. proc. pen. A. 232*), et dicunt quidem illum excitandum esse ad adducendas probationes ad sui defensionem, sed non dicunt culpae esse illi vertendum si contra se ipsum loqui nolit; unde ad accusatores et testes spectat ut crimen probent; ad reum vero solum ut se defendat.

Ille poterit quidem sponte sua confessum se reddere, sed, non obstante qualibet iudicis civilis interrogatione, ad hoc non tenebitur.

Si autem confessum se reddiderit, tunc iudex debebit illum interrogare an ex mandato vel instigatione alicuius delictum commiserit aut complices habuerit (*Cod. cit. a. 239*). Sed veramne habebit obligationem haec omnia revelandi? Tunc ut testis (etsi non iuratus) interrogatur; et proinde ex infra dicendis circa testes regulae sumendae erunt.

Denique reus accusatorum et testium auctoritatem potest reddere suspectam; idque etiam revelando eorum crimina occulta (si hoc esset necessarium atque utile ad gravem poenam declinandam), speciatim si testes sponte se obtulissent, maxime vero si iniuste contra illum processissent (Cf. D'Annibale *II 636*). Nunquam tamen ad calumnias (nisi forte dicendo se esse innocentem illosque proinde mentiri) recurrere posset. Cf. S. Lig. (*IV 277*) et Lugo (*XI 23*).

Hucusque dicta valent pro casu in quo imputatus vere sit reus, unde valerent a fortiori si ille coram Deo innocens esset, eo quod v. g. iure compensationis rem abstu-

lisset; vel iure defensionis, aut, credendo occidere feram, hominem occidisset; vel facti quidem non esset auctor, sed v. g. paulo prius cum armis e domo egrediendo, aut cum veris iamque cognitis delicti auctoribus colloquendo etc. vehementia indicia apposuisset; tunc enim (quamvis de tribunali ecclesiastico ageretur) concorditer omnes dicunt reum negare posse se esse auctorem facti, aut indicia illa apposuisse (intelligendo *quatenus puniri debeat*). Cf. Tamburini (*Dec. III.* v *§. 3*), Lehmkuhl (*I 815*) etc.

1012. *Quid* ***de advocato?*** Ille repraesentat personam rei, et proinde quae de reo dicta sunt, de advocato quoque dici debent.

1013. *Quid* ***de testibus?*** *Et praecipue quid notandum circa eorum iuramentum?* Testes in materia civili, et ut plurimum (non vero semper) etiam in materia criminali, imprimis sub iuramento se obligant ad dicendam veritatem integram et nihil aliud quam veritatem (*Cod. pr. civ. A. 242 et pr. poen. A. 297, 172*).

Si itaque affirmarent falsum, aut negarent verum, aut (dicendo se nescire aut non reminisci) sive in toto sive in parte reticerent quod sciunt circa ea de quibus interrogantur, nedum mentirentur, sed etiam periurarent, poenisque gravissimis affici possent (iuxta *Cod. pen. A. 214 et seqq.*). Nihil autem refert sive contra reum, sive in illius favorem, falsos aut reticentes se constituerent.

1014. *Testes quo sensu respondere debent?* Iuxta sensum interrogationis (nisi aliquando adsit ratio aequivocandi).

Hac de re notandum quod testes (nisi iudex expresse aliud declaraverit) interrogantur tamquam oculares, scilicet de notitia immediata propriis sensibus habita; non vero tamquam testes sive ex dicto alieno (etsi a fide dignissimis notitiam habuissent), sive ex fama publica, sive ex propria persuasione (quae a praedicta notitia oculari non prodierit).

Si autem iudex interrogaret de notitia ex dicto alieno, hoc intelligi deberet de auditis a fide dignis (D'Annibale *n. 635*); nisi de simplicibus vocibus popularibus (ad habendum indicium) interrogatio fieret.

Quid itaque si quis, inique citatus ad solvendum debitum quod iam solvit, non habens testes oculares solutionis peractae induceret duos testes

qui de peracta solutione fidem facerent? Isti, quamvis de hac solutione certissimi essent, testimonium ferre nequirent; nisi significando quod testes oculares minime sunt. Quia tamen actori iniuste exigenti solutionem damnum non inferrent, restituere non tenerentur. Tamburini (*Dec. III.* II *9-11*).

1015. *Testis vocatus ad testimonium ferendum de facto quod reapse vidit (v. g. Titium occidisse Caium), aut de debito quod reapse se praesente contractum fuit, possetne testari se nihil vidisse et nihil scire; eo quod ex una parte auctor facti coram Deo non deliquerit, vel qui debitum contraxit postea ab illo in conscientia liber evaserit; et ex alia, si affirmaret (propter impossibilitatem vel difficultatem caetera probandi) imputatus vel pro debito citatus, iniustam sententiam subiturus foret?* Id etiam concedunt theologi passim cum S. Lig. (*III 159*).

Equidem hoc non facile percipitur. Iudices enim in huiusmodi casibus duas quaestiones bene distinctas instituere solent; scilicet 1° an constet v. g. Titium esse auctorem facti; 2° an constet de facti ipsius imputabilitate (et, in casu debiti, 1° an constet debitum fuisse contractum; 2° an constet debitum fuisse solutum). Dum autem testes interrogantur praecise de facto, et factum subsistat, iam, repeto, non facile percipitur quomodo sine falsitate et periurio factum non vidisse (dum viderunt) dicere possent. Sed, subtilius rem istam inspiciendo, aequivocatio locum habere posset eo quod, non existente delicto vel debito, perinde est ac si factum illud non extiterit; et testes cum veritate dicere poterunt se non vidisse etc. intelligendo in quantum Titius debitor vel reus sit. Ratio autem sic aequivocandi certe non deesset, ut scilicet innocens non damnetur.

Sed melius intelligitur quomodo, si ageretur de facto legitime punibili propter culpam iuridicam (v. g. de damno allato ab animali non custodito), etsi culpa theologica prorsus defuisset, veritas absque ulla ambage dici deberet. Lehmkuhl (*I 821*).

1016. *A testimonio sincere ferendo excusatne grave vel notabile* **incommodum**, *ita ut scilicet tunc testis interrogatus dicere possit se nihil scire?* Hoc in puncto theologi passim habent doctrinam, quae (prouti ab ipsis exponitur) non accurata videtur. Sic, v. g. Lugo (*XXXIX 10*) scripsit quod ordinarie (scilicet secluso casu in quo bonum publicum vel privatum nimis in contrarium clamet) testis veritatem dicere non tenetur « si ex testificatione timeat « notabile damnum sibi vel suis, in fama, honore, divitiis etc.; « imo si timeat grave damnum in amicitia, pace, concor- « dia etc. ». Admisso principio huiusmodi cum tali ac tanta

extensione, nonne apud nos de testimonio ferendo contra reum actum esset?

Ego itaque dicerem, excusationem propter timores consuetos atque intimidationes quae apud nos frequenter occurrunt, subsistere non posse; sed standum esse dispositionibus quae in ipsis Codicibus hoc in puncto esse solent.

Sic noster Codex poenalis (*Art. 215*) dicit, testem excusari si, veritatem manifestando, expositurus esset inevitabiliter se ipsum, aut aliquem suum proximum coniunctum, gravi nocumento *in libertate vel honore*; quando scilicet (v. g. propter complicitatem) carcerem vel infamiam ipse, aut dictus coniunctus, sic subiturus esset. Codex autem proced. poenal. (*A. 286. 287*) statuit quod imputati ascendentes, fratres, sorores, patrui, avunculi, nepotes, affines in iisdem gradibus, maritus, uxor, filius sive adoptivus sive naturalis recognitus, et parens qui adoptavit vel recognovit; hi omnes nullo modo testes esse possunt; nisi forte ab imputato crimen contra aliquem de familia perpetratum fuisset, et testes extranei haberi nequirent; quo casu dictae personae testari quidem possent, sed non tenerentur.

1017. *Si testi opponeretur ab adversariis defectus ad debilitandum eius testimonium, deberetne illos fateri, si a iudice de illis interrogaretur?* Respondet Lugo (*XXXIX 16*): « Si ex obiectis nulla constet testis turpitudo, v. g. « quod sit consanguineus, quod sit inimicus inimicitia non « turpi, et similia, debere eos defectus fateri; secus, si « turpitudo testis in iis contineatur ». Imo addit: « Et hoc, « licet de iis infamia laboret »; quod tamen ultimum non sine mica salis admitti posse dicerem.

1018. *A testimonio sincere ferendo excusatne* ***secretum?*** Supponendo semper quod iudicis interrogatio iuridice facta fuerit, secretum naturale et promissum (etsi iuratum) non excusat (Cf. *De Sollicitatione Ed. III n. 344*). Bene vero (intellige nisi notitia sive prius sive postea aliunde quoque habita fuerit, et circa illam versetur interrogatio) excusat secretum commissum; idque maxime verum esset si ex miserabili necessitate communicatum fuisset (Cf. *l. c. 347*).

Codex proced. poen. apud nos (*A. 288*) prohibet ne advocati, procuratores, medici, chirurgi, pharmacopolae, obstetrices, et quaelibet aliae personae, quibus (ratione status, professionis, vel officii) secreta communicari solent, tamquam testes in rebus sibi revelatis in iudicium vocentur. Unus excipitur casus, nisi scilicet lex denunciationem expresse exigat, prout statuitur in Cod. poen. (*A. 493*), ubi dicitur quod medicus, chirurgus, obstetrix, aut alius quilibet officialis sanitarius, qui, assistentiam suae professionis alicui personae praestando, indicia delicti contra vitam animadverterit, ad denunciationem tenetur, *excepto tamen casu* (N. B.) *in quo persona ipsa esset rea, et proinde denuntiatio illam processui poenali expositura foret.*

Scripsit autem Lugo (*XXXIX 12*) rationem secreti commissi non subsistere in iis qui sub secreto vocati fuissent ut ipsi delicto assisterent.

1019. *Testes tenenturne respondere solum praesidi tribunalis; an vero etiam aliis?* Tenentur respondere etiam imputato eiusque defensoribus, item publico ministerio, iudicibus assessoribus, atque iuratis, necnon parti civili; sed solum si isti licentiam interrogandi expresse petiverint, atque a praeside tribunalis obtinuerint (*Cod. proc. poen. A. 305. 592*). Contingere potest etiam quod testis testi respondere debeat, si idem Praeses ad testium compositionem (it. *confronto*) deveniendum esse iusserit.

1020. *Testis qui in damnum imputati vel citati falsum deposuit, aut verum reticuit, ad quid tenetur?*

I. Si mala fide falsum deposuit, tenetur ante sententiam et tempestive se retractare (quod fieri potest absque poena; Cf. *Cod. poen. A. 216 et proced. poen. A. 313*). Si vero retractationem tempestive non fecisset, tunc ad damnorum reparationem ex iustitia obligaretur.

II. Si mala fide verum reticuit, dicendo se nescire, se non vidisse etc. (dum scit et vidit); tunc casus iste duobus modis valde diversis contingere potest. Primus est si neget se fuisse praesentem, aut nihil omnino de illa re scire. Secundus est si dicat se fuisse praesentem, et, dum revera vidit factum totum, dicat se vidisse solum partem, ex quo sequatur quod innocens condemnetur. Me explico.

Testis vidit imputatum occidisse Titium; sed vidit etiam occisionem istam evenisse ex necessitate defensionis. Interrogatus de occisione, respondet affirmative. Interrogatus an occisio evenerit ex defensione, respondet necessitatem defensionis minime vidisse. Nonne perinde esset ac si de homicidio voluntario testimonium positivum emisisset? Si itaque hoc secundo modo verum reticuisset; tunc ad damnorum reparationem teneretur, ut supra. Si autem solum primo modo verum reticuisset, tunc nec pro nec contra quidquam dixisset, et perinde esset ac si vocatus ad testimonium ferendum non comparuisset. Sic contra charitatem quidem peccare potuisset, et certe peccasset graviter contra iuramentum et contra iustitiam legalem atque obedientiam legitimo iudici debitam; sed contra iustitiam commutativam minime deliquisset, et proinde ad damnorum reparationem non teneretur. Ita theologi communiter cum S. Lig. (*IV 270*).

III. Si bona fide falsum deposuisset (aut verum dicto secundo modo reticuisset), atque errorem commissum (prout practice accidere potest si deprehenderet se interrogationem male intellexisse) ante sententiam adverteret; tunc theologi cum Lugo (*XXXIX 24*) communiter sentiunt, errorem ipsum ex iustitia et sub poena reparationis damnorum esse corrigendum. Imo Lugo (*l. c. 30*) docet, testem ex iustitia se melius explicare debere, si forte adverteret quod iudex responsum suum perperam intellexisset.

1021. *Quid **de peritis,** e. g. medicis, architectis etc. qui in causis sive criminalibus sive civilibus saepe advocantur, ut de rebus ad suam professionem spectantibus sub iuramento iudicium ferant?* Isti testibus aequiparantur (*Cod. proc. poen. A. 310*); et proinde quae de testibus dicta sunt, de peritis quoque dici debent.

1022. *Quid **de iuratis**?* Hi interrogationibus, quas in fine discussionis Praeses tribunalis ad illos dirigit, responsum iuxta conscientiam, seu iuxta propriam intimam convictionem, dare debent (*Cod. proc. poen. A. 498*). Ad hoc autem ex iuramento (*A. 487*), et ex gravissimo praecepto legis naturalis et civilis, tenentur. Debent itaque 1° discussioni toti attentionem praestare diligenter. 2° Sensum

interrogationis bene considerare, et, si aliquid non satis intelligant, explicationem petere; speciatim vero distinguere quando de solo facto, et quando de reatu, et quando de circumstantiis sive aggravantibus sive attenuantibns, interrogantur. 3° Attendere quod non petitur ab eis quid dicendum sit praecise ex allegatis et probatis; bene vero quid dicendum sit iuxta propriam intimam convictionem, quae forte in aliis iustis rationibus vel notitiis fundari posset. 4° In dubio schedulam albam vel nihil significantem (quae tamen tamquam reo favorabilis consideraretur) dare possent (*A. 504*).

TRACTATUS III.

De peccatis capitalibus

SEU POTIUS

DE PRINCIPALIBUS PASSIONIBUS HUMANIS

1023. Passiones humanae in substantia sunt duae: nempe (ut scholae dicunt) concupiscibile et irascibile, quae aliis passionibus subordinatis, pravisque inclinationibus, et peccatis omnibus locum dant. Sic concupiscibile locum dat speciatim superbiae, avaritiae, luxuriae, gulae, invidiae et accediae. Adde excessivum solatiorum appetitum, luxum, curiositatem, et (v. g. ex avaritia vel pigritia etc.) ingratitudinem. Irascibile autem, praeter actus consuetos iracundiae, subinde producit inclementiam et crudelitatem. De singulis itaque agere oportet: et pro praxi aliquid dicendum est etiam de modo quo passionum vim in nobis ipsis atque in aliis imminuere possumus.

CAPUT I.

DE SUPERBIA ET DE VITIIS SUPERBIAE OPPOSITIS.

1024. *Quid est superbia et quid de eiusdem causis et effectibus?*

I. **Est** appetitus inordinatus excellentiae propriae; unde superbus, ad instar olei in aqua, vult semper eminere; semper (inquam) et proinde ultra convenientiam, ultra meritum, ultra gradum suum.

II. **Causae.** Superbia gignitur et fovetur praecipue quia homo magnum sui ipsius, et vilem aliorum conceptum efformat; ex passione sua non considerando quae considerare deberet ad rectum iudicium efformandum.

Superbus scilicet claudit oculos circa proprios defectus et solum considerat sua bona. Non reflectit quod haec ipsa bona non a semetipso sed a Deo habet, unde ea sibi tribuit, non secus ac statua, quae pulchritudinem suam non sculptori, sed sibi ipsi tribueret. Non reflectit quod, tamquam pauperrimus et impotentissimus, auxilio divino atque etiam humano semper indiguit, semperque indigebit. Non reflectit quod omnia precario habet, et quidquid habet quovis momento ei auferri potest. Credit insuper se habere scientiam, dexteritatem virtutem et merita, quae vel non habet vel saltem valde minus habet. Idem dic de persuasione gaudendi existimatione apud alios. Sic magnum et valde exaggeratum conceptum de se efformat, ut dixi. Comparando autem se aliis, solum illorum defectus considerat pariterque exaggerat; circa vero eorundem virtutes bonasque dotes, oculos claudit. Inspicit, v. g. alicuius paupertatem et non inspicit scientiam; inspicit ignobilitatem sanguinis, et non inspicit nobilitatem animi; inspicit ignorantiam, et non inspicit virtutem atque sanctitatem. Hinc vilem conceptum de aliis efformat, ut dixi; et sic, quum magnum de se ipso efformaverit, iudicio suo, se magis aliis existimat, atque super illos se extollit.

Superbiam autem maxime fovent honores, dignitates, laudes, adulationes etc.

III. **Effectus** superbiae sunt praecipue sequentes. 1° Praesumptio, et temeritas; superbus enim credit se esse aptum ad agendum et decidendum, etiam in rebus difficilibus; idque statim, absque ponderatione, absque petitione consilii etc.; unde officia quae proprias vires superant facile acceptat, atque in rebus quoque valde momentosis magnos et valde noxios errores facile committit. 2° Incuria studii, orationis, et profectus in virtutibus; censet enim superbus se his non indigere. 3° Item ambitio dignitatum; credit enim se habere merita quae non habet. 4° Vana gloria; cupit enim ab aliis existimari et laudari etc. 5° Fastum. 6° Iactantia: facile enim laudat se ipsum, et de dotibus, quas habet et quas non habet, se iactat. 7° Amor singularitatum. 8° Indignatio, si honores, existimationem et laudes, prout vellet, non obtineat. 9° Invidia et cura de-

primendi alios. 10° Iudicia temeraria. 11° Contemptus et oppressio aliorum. 12° Detractiones et censurae. 13° Petulantia, obstinatio, contentiones, impugnatio veritatis cognitae, iurgia, rixae (inter superbos semper iurgia sunt. Prov. *XIII 10*). 14° Inobedientia, contumacia, correctionis et punitionis intolerantia, atque defensio peccati; unde superbus, si corrigatur, ad peiora proruit. 15° Privatio gratiae divinae et lapsus probrosissimi. 16° Superbia corrumpit opera bona. Nihil dico de hypocrisi, nihil dico de intentione qua eleemosynae largiuntur et opera zeli peraguntur; superbus enim non iam ex bono spiritu sed ex vanagloria omnia facit; nihil dico quod superbia humilitatem quoque inficere potest; sed noto potius quod superbia ipsius confessionis sacramentalis impedimentum et dirum toxicum esse solet. Quomodo enim superbus ad peccata sua, et speciatim turpia (quae in superbis adundare solent), sincere accusanda se inducere facile poterit? Ille itaque facile aut confessionem declinabit, aut peccata reticebit; et sic heu quot confessiones, heu quot communiones, heu quot Missae sacrilegae!

IV. **Superbia in sacerdotibus.** Illa efficit ut officia, non sine magno animarum detrimento, male aut pessime exerceantur. Fingamus Parochum superbum. Ille officia humiliora (v. g. catechizandi pueros, assistendi infirmis, audiendi confessiones etc.), in quibus vanagloria pascuum non habet, quantum potest declinabit, aut aegerrime, perfunctorie et negligentissime exercebit. Ille de solis divitibus curabit, et pauperes rudesque despiciet. Ille, sin minus cum abusu potestatis et procedendo ad apertas praepotentias, saltem arroganter se geret. Sic male procedet cum parochianis; cum sacerdotibus autem (si qui sint in paroecia), aut cum parochis conterminis, peius adhuc. Vae si offensam aliquam recipiat! Vae si hos vel illos aliquid mali de se dixisse addiscat! Nimiam sui ipsius existimationem habens, nedum a petendo consilio abhorrebit, sed etiam sine ponderatione et praecipitanter se determinabit; et sic, modo iustitiam, modo gratitudinem, modo charitatem laedendo, et uno verbo errores sine fine committendo, personas offendet, existimationem amittet, brachia necessaria

deperdet, malevolentiam generalem sibi procurabit, et scandala suscitabit. Nunquid sic bene officio suo satisfaciet? Praeterea, quaenam erunt eius conciones? Qualem praeparationem adhibebit? Curabitne de substantia; an vero potius de doctrinis peregrinis, de vana eloquentiae ostentatione, de floribus et frondibus? Quaeretne Iesum Christum et salutem animarum, an vero potius se ipsum? Adde quod Parochus de gloria propria sollicitus facile in eam quoque tentationem incidit, ut a validis adiutoribus sibi adsiscendis abhorreat. Tamquam novus Saul, cui nimis ingrata erant verba illa: *Percussit Saul mille et David decem millia*, valentes concionatores, et zelantes confessarios, a sua ecclesia sedulo arcebit; imo forte eo usque procedet, ut ne bonum quidem vicarium, qui populo benevisus et carus esse possit, pati velit. Sic autem aut (immemor documenti quod unus vicem duorum difficile supplere potest, et oculus non est pes, nec pes est manus) omnia per se ipsum exequi volet; aut, si adiutores sibi adsciscat, ineptos adsciscet. Vae autem si aliqua bona opera a se non initiata in paroecia apparerent! Primus eorundem persecutor ille ipse foret.

1025. Idem dic a fortiori de superbia in **Episcopis, Praelatis** etc.; de quibus praecipue notandum quod si essent superbi amarent *adulationes*, quae quantam Dioecesibus et Communitatibus ruinam inferant, vidimus supra (*n. 991*).

1026. *Superbia estne semper* ***peccatum mortale?*** Negative; sed solum quando (quod tamen facile, ut patet ex supradictis, accidere potest) ex superbia quis aliquid facit quod a lege Dei sub gravi interdicatur; ut puta, si cum periculo gravis nocumenti temere procederet, vel ad graves inobedientias aut iniurias procederet etc. (Vide Lessium *IV*. IV. IX *68*).

1027. *Quaenam sunt vitia superbiae opposita?* Sunt nimia abiectio et pusillanimitas.

1028. *Quid de nimia* ***abiectione?*** Sicut superbia opponitur humilitati per excessum, ita nimia abiectio eidem opponitur per defectum; humilitas enim prudentiâ regulari debet; unde oportet ut abiectio externa non eo usque procedat, ut in praeiudicium gloriae Dei aut proprii officii et

dignitatis redundet. Adest quippe obligatio servandi dignitatem et statum in proprio decore pro bono societatis atque ad magis iuvandum. Sic, v. g. non deceret ut sacerdos ex humilitate sordidas vestes indueret, aut Superior peccata sua probrosa revelaret etc. (Lessius *IV.* IV. VIII).

1029. *Quid de **pusillanimitate**?* Haec proprie fortitudini, sed aliquo modo etiam humilitati opponitur, atque ad extremum superbiae oppositum vergit. Consistit autem in timore excessivo propriae ineptitudinis. Ut plurimum est venialis; sed posset quoque esse mortalis; si nempe quis ad aliquid agendum sub gravi teneretur, et ex pusillanimitate operam suam praestare recusaret (Lessius *III* II *28*).

CAPUT II.

DE AVARITIA ET PRODIGALITATE.

1030. *Quid de avaritiae natura, causis et effectibus?*

I. **Est** inordinatus appetitus bonorum temporalium, scilicet pecuniae et divitiarum.

II. **Causae.** Saepe provenit a nimio amore consanguineorum et haeredum, necnon a nimia sollicitudine de futuro, non sine defectu confidentiae in providentia Dei. Sed causa proxima ipsius est nimia aestimatio divitiarum, et credulitas quod sollicitudo de illis magnum (ne dicam maximum) bonum sit; non considerando 1° quantum divitiae ipsae sint viles, fugaces, instabiles, atque molestae; 2° quantum avaritia sit ignominiosa; 3° denique quantum divitiae (eo quod facile ad fastum, licentiam et peccata innumera ducant) sint spiritualiter periculosae, et ipsam salutem aeternam in periculum inducant.

III. **Effectus.** Avarus imprimis cor durum habet erga pauperes, atque ab eleemosynis iuxta Christi Domini praeceptum faciendis abhorret, imo subinde suae ipsius familiae necessitatibus non providet.

De rebus temporalibus solum cogitans, nedum quoad filios, sed etiam quoad seipsum, spiritualia negligit. Mirum, si diem festum observet: heu quam saepe enim amore

pecuniae avari dies festos profanant, in iisque laborant et laborare faciunt!

Nec satis; multa peccata carnalia ex avaritia derivant. Ex illa enim coniugalis onanismus: ex illa coelibatus libertinus; et foeminae innumerae amore pecuniae allectae peccatis consentiunt, imo in concubinatu vel meretricio turpissimam vitam ducunt.

Quid dicam de iniustitiis? Usurae, fraudes, furta, praepotentiae, intrusiones; item denegare vel minuere vel differre mercedem operariis et famulis; item restitutiones vel debitorum solutiones inique omittere: item, capitali occulte servato, bonis cedere etc. etc.; haec, inquam, et similia nonne sunt iniustitiae magnae, quae ex avaritia derivant?

Quid dicam de iuramentis falsis et periuriis in contractibus? Quid de iracundia, imprecationibus, et blasphemiis, si forte avaro aliquid malevertat?

Avarus denique (si casus ita ferat) non dubitat esse ingratus, perfidus, proditor. Hinc, pecunia oblata, proditiones in iudicibus, proditiones in publicis officialibus, proditiones quoque contra amicos et benefactores. Solemne exemplum habemus in Iuda. Hinc scriptum est: « Avaro nihil sce« lestius », et rectissime exclamavit Poeta: « Quid non « mortalia pectora cogis, auri sacra fames? »

IV. **Avaritia in Sacerdotibus.** Inter monita Apostoli ad Timoteum (*I Epist. VI*) unum ex praecipuis fuit de evitanda avaritia. Scripsit enim: « Qui volunt divites « fieri, incidunt in tentationem et laqueum Diaboli, et de« sideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines « in interitum et perditionem. Radix enim omnium malo« rum est cupiditas.... Tu autem, o homo Dei, haec fuge ». Equidem haec verba respiciunt speciatim Episcopos; sed parochis etiam aliisque sacerdotibus, qui praeclarum Episcoporum exemplum imitari debent, applicanda sunt.

Porro avaritia in sacerdotibus pessimos effectus habere potest, et non raro habet reapse. Ambiuntur et quaeruntur beneficia, sed qua intentione? Nunquid amore officiorum spiritualium, an vero potius amore emolumentorum temporalium; et eo studiosius quo haec pinguiora? Ambiuntur et quaeruntur beneficia, sed nunquid solum a

dignis et merita habentibus? Ambiuntur et quaeruntur beneficia; sed nunquid solum mediis legitimis, an vero potius ope adulationum, vel calumniarum, vel etiam simoniae? Acceptantur officia, sed quomodo adimplentur? Nonne saepe accidit quod, acceptato officio, ad alia munia lucrosa, eo neglecto, attendatur; vel etiam alia officia, quibus impossibile erit ut satisfiat, acceptentur? Quid de sacerdotibus, qui invitati pro Missa, dicunt: *Quantum mihi dabis?* Quid de iis, qui, facta promissione ad talem Ecclesiam die festo et tali hora se conferendi ad Missam celebrandam, ad aliam Ecclesiam (nihili habendo promissionis violationem et forte etiam scandalum populi) ubi maius stipendium habebunt, se conferunt? Quid de Missis innumeris ob solum stipendium celebratis, et forsan sacrilege? Quid de Missis acceptatis et nullatenus celebratis? Quid de sorditie in vestibus, et de extrema avaritia ostensa in omnibus? Quid de studio illo febrili multiplicandi (ex eleemosynis receptis ut plurimum a mulierculis pauperrimis) innumera festa, non equidem amore Sanctorum, sed amore nummorum? Quid, uno verbo, de signis illis manifestissimis, quibus a non paucis palam fit quod totum sacerdotale ministerium accipitur pro arte quaerendi pecuniam, perinde ac esset de aliis artibus quibuslibet?

Loquendo autem speciatim de parochis et episcopis, effectus avaritiae possunt esse praecipue sequentes.

1031. Quoad *parochos*. I. Ecclesia male servata; sacra supellex sordida: fundi Ecclesiae dissipati; fabricae ruinosae, capitalia (sive ex aviditate fructus abundantioris sive ad nihil expendendum in actibus iudicialibus) in discrimine relicta; iura non defensa etc.

II. Nepotismus: magis scilicet nepotes quam decorem domus Dei, miserias pauperum et salutem animarum, cordi habendo; et fructus beneficii aliter ac fieri deberet erogando. Apud nos proverbium dicit: *A volere che i nipoti stiano bene, bisogna che abbiano lo zio all'inferno.*

III. Ad pias institutiones, quae forte in paroecia sint et solis oblationibus sustineantur, ne uno quidem centesimo concurrere; et forsan (prae rubore non concurrendi) eas persequi.

IV. Parasitationibus (vulgo *scrocconerie*) parochianis molestiam afferre; maxime vero, intuitu alicuius lucri sive directi sive indirecti, fiducias haereditarias (non sponte oblatas) sibi procurare.

V. Accumulandi capitalia studium ostendere, et speciatim emendo possessiones.

VI. In exigendis emolumentis pro funeribus iustos limites excedere; maxime vero etiam a pauperibus taxam exigere.

VII. Erga fundorum Ecclesiae colonos, vel alios operarios, vel aedituos etc. iniuste aut nimis stricte procedere; vel famulis, anno iam transacto, mercedis solutionem differre.

VIII. Sicut ex superbia (ut dixi supra), ita etiam ex avaritia contingere potest quod parochus sine necessario servitio paroeciam relinquat. Paroecia, v. g. est vasta; diebus festis plures Missae exiguntur; confessarii plures, et plures quoque vicarii exigerentur. Quid itaque si parochus, praetextu quod sacerdotes non inveniuntur, sed reapse quia nihil expendere vult, huiusmodi adiutores sibi non adsciscat? Quid si magnae inordinationes sacram Missionem reclament: sed parochus ab illa advocanda abhorreat, et damnationem animarum pro nihilo habeat, dummodo crumenam salvet?

1032. Quoad *Episcopos*. Equidem hodie mensae episcopales a Guberniis valde extenuatae fuerunt. Si tamen Episcopi avaritia et nepotismo (quod absit) abriperentur, adhuc ex bonis ecclesiasticis, cum magno scandalo et Ecclesiae detrimento consanguineos plus vel minus ditare possunt. Nonne enim v. g. possunt pluribus modis parsimonias facere, dioecesis necessitatibus interim non providendo? Quid si loco stipendii officialibus beneficia darent? Quid si consanguineis suis merita non habentibus beneficia ipsa vel lucrosa officia conferrent? Quid si eleemosynas non facerent? Quid si, dum ad opera pia (et maxime occasione alicuius magni et publici infortunii) alii concurrunt, ipsi (dum possent) vel nihil vel non iuxta suum gradum concurrerent?

1033. *Avaritia estne semper **mortalis?*** Facile mortalis erit, sed non semper; oporteret enim ut avarus amore pecuniae mortaliter quoque peccare (graves scilicet inor-

dinationes committere, vel permittere (dum sub gravi illas impedire teneretur) paratus esset.

1034. *Quid est* ***prodigalitas*** *seu profusio?* Est vitium e diametro oppositum avaritiae. Contingit quando quis, vel 1° loco expendendi pecuniam in rebus necessariis pro se et familia, in aliis rebus illam expendit et dissipat; vel 2° sinit perire ea quae proprio statui et dignitati conveniunt, et bonis atque utilibus usibus deservire possent; vel 3° in rebus frivolis aut vitiosis (aut etiam bonis, sed plus aequo) capitalia profundit etc.

1035. *Quandonam in prodigalitate grave peccatum interveniret?* Speciatim quando profusio futura esset causa cur debita solvi nequirent, aut familiae necessaria deficerent; maxime vero si ageretur de beneficiato, qui fructus beneficii non iam prodigere, sed in usus pios erogare deberet.

CAPUT III.

DE LUXURIA.

1036. *Quum de luxuria in se considerata actum fuerit supra (de sexto praecepto), hic quaeritur solum quinam sint principales luxuriae* ***effectus?*** Ex luxuria praeter peccata ad luxuriae ipsius speciem pertinentia (v. g. fornicationes, concubinatum, meretricium, adulteria etc. etc.), saepe saepius derivant alia mala, v. g. scandala, discordiae familiares, divortia, furta etc.; non raro insuper amissio fidei et aliquando alia delicta horribilissima, v. g. procurationes abortus, infanticidia, suicidia, homicidia (exemplum habemus in Davide et Herode) etc., proveniunt. Fere semper autem coecitatem mentis, duritiem cordis, impoenitentiam finalem (quam damnatio aeterna consequitur) luxuria inducit.

1037. *Sed quid de luxuria in* ***sacerdotibus?*** Duo pessimi effectus in ipsis speciales sunt. Primus consistit in sacrilegiis; tum propter votum solemne castitatis quod violant, tum propter sacramentorum administrationem et quotidianam Missae celebrationem; unde sacrilegia innumera committendi in continua occasione versantur. Secundus con-

sistit in scandalo. Haec passio subinde adeo excoecat, ut miseri sacerdotes, nequidem attendendo ad affatum *si non caste saltem caute,* iam manifeste se prodant; ordinarie autem efficit ut, non obstante quavis cautela, ignis sui ignominiosissimi fumus appareat. Quantum autem huiusmodi scandalum sit perniciosum, et nedum moribus sed etiam fidei (maxime his temporibus) detrimentum adducat, unusquisque videt. Dicunt enim: Si adesset infernus, nunquid sacerdotes ita facerent?

1038. *Quid speciatim de confessario, maxime vero de parocho, hac pice infecto?* Confessarius libidinosus a virorum confessionibus abhorret, et quoad illas omnes personas, in quibus audiendis libido pascuum nullum habet, perfunctorie et pessime se gerit. Immoratur libentissime cum solis mulieribus iuvenibus; sed qua aedificatione, quo fructu? Conversationes geniales, dicteria, zelothypiae, scandalum publicum, peccata in ipso confessionali, sollicitationes: en aedificatio: en fructus. Parochus autem libidinosus quomodo corrigere, quomodo praedicare poterit utiliter? Exauctoratus prorsus remanebit, et, quavis amissa existimatione, totum illius ministerium inutile reddetur. Imo eius scandalum parochianis positivum et magnum peccandi, atque alios in peccatum inducendi, incentivum erit: dicent enim: si sic facit parochus, cur nos tantundem facere non poterimus?

CAPUT IV.

DE IRA, INCLEMENTIA, CRUDELITATE, ET DE DEFECTU OPPOSITO NIMIAE LENITATIS.

1039. *Quid est ira, et quomodo est culpabilis?*

I. Est passio quae nos incitat ad insurgendum contra malum ut repellatur. Lessius (*IV.* IV *23*). Si intra terminos rationis sisteret, bona esset; secus (prout ordinarie contingit) mala.

II. Quod ira intra terminos rationis sistat, difficile est; ipsam enim rationem quam maxime turbare et obnubilare solet; quandoquidem homo ira accensus offensorem iniquum,

et seipsum offensa non dignum (exaggerando merita sua) longe plus aequo reputat, et facile sive animo, sive verbis, sive factis, ad excessus proruit. Uno verbo ira ut plurimum efficit ut homo non rationabiliter, sed ad modum bestiae (fortasse ferocis) procedat, et interdum excessus possunt esse horribiles, v. g. homicidia, odium Dei etc.

III. Ira aliquando est irrationabilis prorsus; idque contingit 1° Si excitetur contra bonum (aliquo modo et ex passione apprehensum ut malum), ut puta, si quis ex invidia, contra bona opera proximi iram conciperet, vel utcumque, eo quod passionibus suis satisfacere nequeat, ira aestuaret. 2° Si ira ad repellendum malum nullo modo deserviret, vel ineptissima esset; ut puta, si quis contra ventum, pluviam, morbum, defectus naturales proximi, vel res iam praeteritas etc. irasceretur. In hoc secundo casu ira potius *impatientia* appellatur, quae a scolasticis inter defectus contra fortitudinem recensetur. Cf. Lessium (*III.* II *40*).

IV. Ira aliquando est solum excessiva, scilicet ex parte rationabilis et ex parte irrationabilis; idque contingeret 1° Si quis vindictam iustam quidem sed privata auctoritate (quando ad iudicem spectaret) appeteret; multo magis si non tantum defensionem suam (ne scilicet offensor impunitus nova damna illaturus sit), quantum poenam et malum proximi intenderet. 2° Si quis posset quidem licite contra malum personaliter insurgere (ut puta, si ageretur de patre filium corrigente vel puniente), sed iustae correctionis vel punitionis limites excederet, vel blasphemias, imprecationes etc. adiiceret.

V. Ira erit **mortalis** si ex una parte consensum habeat voluntatis, et ex alia tendat ad grave malum iniuste, aut sine auctoritate, aut animo graviter malevolo, proximo afferendum; vel in punitione iusta tendat ad limites graviter excedendos; vel aliud grave peccatum aut scandalum comitem habeat. Secus (quamvis irrationabilis prorsus foret) erit venialis.

VI. Ira denique potest esse rationabilis undequaque et licita prorsus; idque contingit quando ex una parte ad iustam mali repulsionem vel repressionem bene deservit, et ex alia limites nullo modo exceduntur.

1040. *Quid speciatim de* ***ira in sacerdotibus?*** Apostolus (*Epist. ad Titum 1. 7*) postquam dixerit oportere Episcopum sine crimine esse, statim subiunxit: « Non iracundum.... sed benignum ». Ira enim in sacerdotibus quoque, et speciatim in confessariis et parochis (maxime vero in Episcopis) effectus valde malos habere potest.

Confessarius iracundus quomodo bene officium suum exercebit? Enimvero cum poenitentibus, et speciatim cum defectuosis, taediosis, scrupulosis, recidivis, aut conscientiam valde intricatam praeseferentibus, heu quanta patientia exigitur! Confessarius, qui miseros male tractet, eisque ex iracundia confessionalis ostiolum in faciem claudat, nonne in causa esse poterit, ut iidem nunquam in posterum ad confessionem accedant et misere damnentur? Nunquid conversio peccatorum et salus animarum est negotium, quod cum ira pertractari utiliter possit?

Quomodo bene officium suum exercebit *Parochus iracundus,* dum ad pueros instruendos, ad visitationes valde incommodas pro infirmis multiplicandas, ad offensas sustinendas etc. ei quoque tanta patientia necessaria est? Quemnam influxum habere poterit, si propter correctiones excessivas vel etiam omnino iniustas, propter contumelias et convicia, propter rixas continuas etc., iam nedum existimationem amiserit; sed etiam odium omnium contra se concitaverit? Nonne eo usque res procedere possunt, ut parochus nedum tamquam inutilis, sed tamquam persona magis malefica magisque invisa, quae in paroecia sit, illamque totam pessumdet, iam iuxta sacros canones amoveri debeat?

De Episcopo, dico quod magna patientia ei necessaria est, verissime enim dicit S. Io. Chrysost. quod episcopatus est abyssus aerumnarum. Dico etiam quod, si Episcopus ab iracundia se abripi sineret, ad excessus, et impudentias innumeras, et fortasse etiam ad vindictas, procederet; modo autem hunc modo illum offendendo, res eo tandem desinere possunt ut totum Clerum suum a se alienet.

1041. *Quid de* ***inclementia?*** In puniendo interdum adhiberi debet severitas, ut puta, ad frangendam obstinationem in malo, contumaciam et arrogantiam; vel ut necessarium ad aliorum terrorem exemplum detur (nihil dico

de severitate necessaria speciatim quoad milites, et quoad publicos officiales, maxime in casu proditionis aut corruptionis). Sed non raro (speciatim si in crimine commisso circumstantiae attenuantes extitissent, aut si peccator magna resipiscentiae et poenitentiae signa dedisset) exigitur clementia; quae saepe ex eo ipso quod Superiori benevolentiam conciliat, in bonum publicum redundat. Tunc autem (uti patet) inclementia reprehensibilis esset.

Inclementia unde oritur? Supponendo quod non ex errore procedat, eius causae sunt duae: 1° ira irrefraenata; 2° superbia, scilicet nimia propriae potestatis existimatio et cura, ut scilicet subditi illius pondus tremendum in modum sentiant et reformident.

Si tamen superior non amore virtutis et publici boni, sed propter munera, laudes, adulationes etc. clementiam exerceret, tunc clementia ista (quamvis materialiter bona foret) formaliter vitiosa aut minime virtuosa esset.

1042. *Quid de* ***crudelitate?*** Crudelitas interveniret 1° quando, sive atrocitate sive diuturnitate, poena excessiva foret, et proportionem cum delicto non haberet; 2° quando qui poenam infligit, de tormento ipso gauderet.

1043. *Quid de* ***nimia lenitate?*** Irae et severitati rationabili e diametro opponitur nimia lenitas; dum scilicet correctiones et punitiones (ad consulendum emendationi delinquentis aut bono publico) fieri deberent; et vel non fierent, vel ultra rationabilis clementiae limites imminuerentur. Cf. Lessium (*IV.* IV *23-44*).

CAPUT V.

DE GULA

1044. *Quid est gula?* Est excessus in cibo vel potu, qui intervenire potest sequentibus modis.

I. Ratione nimiae quantitatis, frequentiae, ardentiae vel studiositatis (habito respectu ad statum, conditionem, et circumstantias).

II. Ratione alicuius legis aut virtutis, quae, praeter temperantiam, (ut mox infra declarabitur) forte offendatur.

III. Ratione intentionis, si nempe quis comederet vel biberet ex sola voluptate, ita ut fines honestos explicite excluderet (Cf. *n. 839*). Quod reapse ad aliquam culpam constituendam haec intentio sufficiat, maxime si ultra necessitatem (etsi sine damno valetudinis) cibus sumatur, patet ex prop. damn. ab Innoc. XI, quae dicebat: « Comedere « et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non » est peccatum, dummodo non obsit valetudini; quia licite « potest appetitus naturalis suis actibus frui ». Hoc tamen ordinarie esset solum peccatum veniale; unde S. Aug. (*serm. 4 in die animar.*) scripsit: « Quoties aliquis in cibo « et potu plus accipit, quam necesse sit, ad minuta pec- « cata pertinere noverit ».

1045. *Quandonam gula erit peccatum* ***mortale?***

I. Ratione offensionis alicuius legis positivae, quae obliget sub gravi; v. g. ieiunii et abstinentiae a carnibus diebus vetitis.

II. Ratione offensionis alicuius virtutis (praeter temperantiam), quae pariter urgeat sub gravi; ut puta, si quis nocumentum grave suae saluti inferret (proverbium dicit: *Plures occidit gula quam gladius*); sic enim contra charitatem erga seipsum delinqueret (Lessius *IV.* III *4*, Lehmkuhl *I 741*); vel, se inebriando, usum rationis amitteret, sic enim contra iustitiam erga Deum peccaret (Lessius *l. c. 18*); vel propter ipsas ebrietates ad graves suas obligationes adimplendas (prout speciatim in medicis, chirurgis, pharmacopolis, advocatis, iudicibus, administratoribus etc. contingere potest) se ineptum redderet; vel familiam graviter turbaret; vel impudicitiae aliorumve gravium peccatorum periculo se exponeret; vel ad manducandum et bibendum opipare, debita solvere nequiret, aut rei familiari grave detrimentum inferret.

III. Ratione offensionis temperantiae solius praecise, an peccatum mortale unquam detur, controvertitur. S. Lig. scripsit: « Comedere vel bibere usque ad vomitum, proba- « bile est esse tantum veniale ex genere suo, nisi adsit « scandalum vel notabile nocumentum valetudinis, ut com- « muniter dicunt.... Qui autem sponte evomunt quod sum- « pserunt, ut iterum edant vel bibant, *vix* excusantur a

« mortali: hoc enim *videtur* involvere magnam deformita-
« tem. Ita *probabiliter* (contra Busembaum) Holzman etc. ».

1046. *Quid speciatim de peccato gulae* ***in sacerdotibus?*** Recolendum est exemplum et scandalum filiorum Levi, qui manducabant quod Domino debebatur, et sic (prout dicit Scriptura) ipsorum peccatum grande erat apud Deum, eo quod arcerent homines a sacrificio Domini. Quid itaque si quae pro pauperibus aut pro cultu divino (sive ex beneficiis ecclesiasticis sive ex oblationibus fidelium) insumi deberent, in prandiis plus aequo lautis (speciatim ruri occasione festorum) insumerentur? Quid si parochus, gratiâ vini generosi vacillando dormitum iret? Quid si confessarius semiebrius et libidine aestuans foeminarum confessiones audiret? Pluries accusatus fuit de sollicitatione, sed quid mirum?

1047. *Quid in particulari de* ***ebrietate?***

I. Ad ebrietatem constituendam duo requiritur. 1° Ut usus rationis amittatur aut saltem turbetur. 2° Ut hoc fiat ope vini vel alterius liquoris alcoolici. Hinc ebrietas non subsisteret, si immodice quidem vinum biberetur, sed, propter speciale temperamentum aut stomachum bene refocillatum, usus rationis non turbaretur; vel si non ope vini, sed per opium, hypnotismum etc. lethargus procuraretur.

II. Ebrietas potest esse perfecta et imperfecta. *Perfecta* contingit quando usus rationis amittitur totaliter, ita ut ebrius non distinguat amplius bonum a malo, nec sit dominus suorum actuum; speciatim si postea de nihilo recordaretur: maxime vero si sensus omnes prorsus amitteret. *Imperfecta* contingit quando, remanente substantialiter facultate distinguendi bonum a malo aliqua alteratio locum habet; cuius signa sunt, v. g. excessiva hilaritas, multiloquium, scurrilitas, linguae titubatio, pedum vacillatio, vertigines, oculorum illusiones, ita ut obiecta duplicari et parietes in gyrum ire videantur etc.

III. Ebrietas potest esse directe intenta, quasi directe intenta, et secuta per accidens.

Directe intenta contingit quando quis non solum vult bibere vinum, sed etiam vult praecise (v. g. ad depellendam aliquam animi turbationem vel ad non sentiendum

dolorem in operatione chirurgica) usum rationis amittere vel alterare, ut supra. Idem dic si quis non se ipsum, sed alios inebriare vellet.

Quasi directe intenta contingit quando quis, non equidem de usu rationis amittendo vel turbando est sollicitus, sed ex ingluvie vini adeo immodice bibit, ut ebrietatem sive perfectam sive imperfectam fore secuturam aperte videat aut graviter formidare debeat.

Secuta per accidens duobus modis esse potest. Primus est si nullatenus praevisa fuisset (quo casu *non formalis*, sed *materialis* esset). Secundus si quis, non obstante modicitate potus, et fere ex solo odore vini, inebriaretur.

IV. Quando ebrietas accidit ex ingluvie vini (prout ordinarie evenit), tunc est contra temperantiam, quatenus potus delectabilis appetitus non cohiberetur; si vero ex aliis causis accideret, tunc (quamvis ex alio capite culpabilis esse posset) contra temperantiam minime foret (Lessius *IX.* III. III *13*). Quatenus autem ebrietas non esset contra temperantiam, licita esse posset, si nempe ex causa proportionata procuraretur aut permitteretur. Hinc scripsit Lessius (*l. c.*): « Si causa medicinae ex praescripto medicorum (vi- « num bibatur), non esset ebrietas (culpabilis), etiamsi « usque ad interceptam mentem sumeretur ». Et Gury « (*I 182 q. 3*): « An licita sit ebrietas ad operationem « chirurgicam subeundam? Negat S. Lig.... Affirmat vero « Busembaum cum aliis, quia privatio usus rationis ad » breve tempus ex gravi causa non videtur quid intrin- « sece malum.... Et reapse, sicut adhiberetur in tali casu « opium et aether, ita etiam vinum adhiberi posset ». Notandum tamen quod ebrietas ad dictum finem male deservire poterit. Lessius (*l. c. IV 36*) hoc admittit etiam casu quo mors alicui intentaretur, nisi vinum (quo scit se esse inebriaturum) biberet. Vide curiosos alios casus apud Lehmkuhl (*I n. 743*).

V. Loquendo de ebrietate contra temperantiam, quae scilicet ex ingluvie vini accidat, haec, si sit praevisa, semper culpabilis erit.

1048. *Sed quid de gradu culpae in ebrietate?* Si ebrietas esset solum imperfecta (Cf. *n. 1047*), tunc culpa venialis,

nisi per accidens (v. g. propter grave scandalum vel aliquid aliud, iuxta dicta *n. 1045 II*) peccatum mortale interveniret. Si vero esset perfecta (*n. 1047*), tunc ordinarie culpa mortalis erit. Dixi *ordinarie;* si enim tempore valde brevi inebriatio duraret, tunc culpa mortalis non esset. S. Lig. (*V 75*) dixit, « longum tempus (sufficiens ad cul- « pam mortalem) videri unam horam ». Ad hanc autem gravem culpam constituendam, non exigitur ut ebrietas fuerit intenta directe praecise; sed sufficit si fuerit quasi talis (iuxta dicta *n. cit. 1047*).

Si peteres undenam pateat quod ebrietas perfecta tamquam peccatum mortale omnino haberi debeat, sic responderem. Patet 1° ex sacris litteris, dicente Apostolo (*I Cor. XI*): « Neque ebriosi regnum Dei possidebunt » (Cf. Lessium *l. c. III 15*). 2° Ex Sanctis Patribus, dicente, v. g. Augustino, propter ebrietatem perire animam, hominem Deo fieri inimicum, et reum in die iudicii. (Cf. Lessium *l. c. 16*). 3° Ex sensu communi. 4° Ex pluribus rationibus. Harum praecipua est quod homo se privat usu rationis, et quidem non sicut in somno (a quo excitari potest), sed ita ut necessario atque sat diu in tali statu remanere cogatur. Sic facultate primaria qua homo constituitur, et qua multis de causis etiam subito indigere potest, se privat; imaginem Dei ad tempus in se ipso destruit, atque ad statum bestialem se reducit; imo peiorem, unde Chrysosth. (*Hom. LVIII in Matth.*) graphice scripsit: « Quanto melior asinus ebrioso »! Hoc autem homo facit ex sola ingluvie vini, aut saltem sine ulla iusta causa, ut supponimus. Hinc a mortali non excusaretur ebrius, quamvis de caetero nihil aliud mali faceret; aut quamvis, vino sumpto, somno se committeret (Lehmkuhl *I n. 742*). Sed ebrietas aliis quoque de causis valde mala esse solet. Enimvero 1° ut plurimum non agitur de aliqua ebrietate rara, sed de vitio, quod facile et cito contrahitur. 2° Ut plurimum agitur de vitio nedum ebrietatis, sed etiam cauponae, quod vitium ludi et plurima alia mala secum trahit. 3° Vitia ista difficillime deseruntur, et in ipsa senectute crescere solent. 4° Vitium ebrietatis occultari nequit et semper cum scandalo coniungitur. 5° Ebrietates corpus enervant, hominem stupidum et ine-

ptum reddunt, ad paralysim disponunt, imo et apoplexiae periculum inducunt. 6° Proli quoque nocent (Cf. supra *n. 941*). 7° Vitium istud a gravibus perturbationibus familiaribus vix seiungi potest; saepe saepius enim tempus in caupona insumitur, opera negliguntur, pecunia dissipatur, uxores male tractantur, et subinde filii sine pane et sine educatione relinquuntur eisque pessimum exemplum praebetur etc. 8° Ebrietas est fomentum maximum libidinis, unde S. Hieronym. (*in C. I Ep. ad Tit.*) dixit: « Nunquam ego ebrium castum putabo », et exemplum habemus in filiabus Lot, quae ope vini modum invenerunt concipiendi foetum ex patre suo. 9° Adde facilem in ebrioso secretorum proditionem (dicente proverbio: *in vino veritas*); adde blasphemias, rixas, sermones turpes, scandalum etc. (Vide *De Occasionariis n. 240*).

1049. *An peccata in ebrietate commissa sint imputabilia?* Affirmative sub duabus conditionibus; scilicet oportet 1° ut fuerint praevisa, ita ut ebrius, antequam se inebriaverit, sive in particulari sive in genere periculum inordinationes committendi praeviderit, et nihilominus ab ebrietate abstinere non curaverit vel cautelas non adhibuerit. Nihil autem refert si peccata tamquam sponte aut tamquam ex aliena instigatione committenda praevisa fuerint. Oportet 2° ut peccata ista, non obstante ebrietatis statu, inordinationem conservent, ut puta, si essent furta, homicidia, percussiones, omissiones propriarum obligationum, fornicationes, pollutiones non naturaliter evenientes, scandala etc.; non vero si essent contumeliae, quae pro re ridicula habeantur et nemo propter easdem offensus reputetur. Aliqui quod dicitur de his contumeliis, censent dici debere etiam de blasphemiis, periuriis, et haeresibus; sed non videntur audiendi. Cf. S. Lig. (*5. 78*) et Sanchez (*Dec. I.* XVI *41-44*).

1050. *Quid de porrigentibus occasionem ebrietatis, vel etiam directa intentione aliquem ad ebrietatem inducentibus?*

I. Causa proportionata deficiente, haec certe non licent; unde qui ex mero delectamento huiusmodi occasionem aliis praebent, aut ad aequales haustus aliquem provocant, aut pro tot cyathis bibendis praemium offerunt vel spon-

sionem instituunt etc., certe peccant. Ad determinandum autem qualis causa ita sit proportionata ut vere excuset, decisio pendet a circumstantiis; et valere poterunt sequentia.

II. Si agatur solum de suppeditanda occasione, sine desiderio quod ebrietas sequatur, causa mediocriter gravis sufficere poterit, prout in cauponibus, qui, ne adventores amittant, vinum suppeditant etc. (Cf. supra dicta *n. 309*).

III. Si occasio suppeditetur cum desiderio ut ebrietas sequatur; tunc certe excusat causa impediendi mala maiora, v. g. homicidium, fornicationem etc. (Cf. supra dicta *l. c.* et S. Lig. *V n. 77*). An autem excuset causa evitandi aliquod grave malum temporale, vel assequendi aliquod bonum valde momentosum et necessarium (v. g. ad detegendum secretum ad quod ius habeatur, vel ad fugiendum a carcere iniusto etc.), si supponamus ebrietatem fore inculpabilem, concedi debet cum Lehmkuhl (*I 744*), nisi aliquod malum praeponderans id vetet. Supponendo autem quod ebrietas futura sit formalis, tunc casus decisio difficultate non caret. Attamen S. Lig. (*II 58*) in casu simili docet, posse aliquem, ex intentione ut supra, ponere occasionem peccati etiam formalis, *ut se indemnem servet a periculo damni obventuri;* idque confirmat exemplo illius qui ad consulendum suis necessitatibus petit mutuum ab usurario.

IV. Si autem quis, postquam incitaverit ad bibendum donec res intra terminos moderationis erant, non solum aliud vinum suppeditare pergat, et sic occasionem ebrietatis praebeat eamque desideret; sed etiam instet ut tunc iterum iterumque bibatur; unde ebrietatem non solum desideret, sed voluntate absoluta et efficaci velit, atque ad illam verissime inducat (S. Lig. *II 58*); quod hoc etiam licitum esse possit, admittere videntur S. Lig. (*V 77*), et Lehmkuhl (*I 744*); attamen pro solo casu in quo ad impediendum malum gravius, idipsum necessarium esset. Busembaum (apud S. Lig. *l. c.*) admittit quoque praeberi posse vinum medicatum (scilicet opio mixtum); sed tunc proditio et iniustitia quaedam interveniret, quod tamen non solum ad iustam defensionem, sed etiam interdum ob alias causas praeponderantes et rationabiles, licita esse posset.

CAPUT VI.

DE INVIDIA

1051. ***Quid est*** *invidia? Et undenam oritur?* Invidia contingit quando quis irrationabiliter seu inordinate tristatur de bono alterius, quia ipse illud non habet. Ab appetitu autem immoderato propriae excellentiae vel proqrii commodi ortum ducit.

1052. *Quid si quis tristaretur de malo proprio, quin de bono alieno tristitiam haberet?* Sic in illo invidia non esset; etsi ex consideratione boni alieni occasionem sumeret tristitiam concipiendi de malo proprio; quandoquidem comparatio efficeret ut malum ipsum magis animadverteretur. Tristitia autem de malo proprio equidem potest esse defectuosa, sed etiam interdum producere valet optimum effectum, scilicet *emulationem*, qua, v. g. negligens ad diligentiam, socors ad operositatem, tepidus ad fervorem etc. inducitur (S. Th. *2. 2 XXXVI.* II).

1053. *Tristari de bono et gaudere de malo alterius estne semper et absolute illicitum?* Negative. Advertendum est enim quod una eademque res potest rationabiliter esse obiectum laetitiae simul et tristitiae, iuxta diversos respectus. Sic de publici grassatoris captura et condemnatione possumus laetari sub respectu publici boni, simulque tristari sub respectu poenae hominis illius (qui semper proximus et frater noster est). Sic de bono alterius interdum contingit ut sub uno respectu laetari et sub alio contristari licite possimus; laetari scilicet quia est bonum proximi nostri; contristari autem quatenus bonum ipsum ex parte aliqua malum (de quo merito tristitia haberi possit) includat. Dignitas, v. g. et potestas inique data fuit homini indignissimo; aut aliquis potentia vel divitiis suis abutitur ad nocendum. Nonne sub his respectibus de bono alterius tristari possumus, dummodo haec ipsa tristitia excessiva non sit? Nonne enim in primo casu de iusta indignatione, et in secundo de iusto timore ageretur? (Cf. S. Th. *l. c. et a. l.*, et Laymann *II.* III, X *2*).

1054. *Quandonam itaque tristitia de bono alterius illicita est?* Solum quando irrationabilis vel excessiva sit (quod tamen ut plurimum accidit). Ad hoc intelligendum, magna distinctio fieri debet inter simplicem displicentiam, qua quis tristaretur de bono alterius solum eo quod esset sibi noxium; et displicentiam qua quis tristaretur quod alter bonum ipsum possideret, atque optaret ut illud amitteret quin utilitas ulla sibi obveniret. Qui tristaretur quod alter bonum possideret, atque optaret (etsi desiderio inefficaci) ut eodem bono privaretur, ea sola de causa quod ipse idem bonum non habet; ita ut proinde ex privatione optata, praeter delectationem privationis ipsius, nullam aliam utilitatem (saltem consideratione dignam) assequeretur; qui, inquam, sic tristaretur et sic optaret, verâ invidiâ aestuaret (exemplum habes si infirmus contra sanos invidiam haberet, et vellet ut ipsi quoque infirmi essent). Si autem invidia pro obiecto haberet virtutem aliorum, tunc diabolica esset, et, si dona divina respiceret, invidia fraternae gratiae et peccatum contra Spiritum Sanctum diceretur.

E contra qui tristaretur quidem quod alter bonum haberet, sed propter nocumentum quod exinde sibi obveniret, unde boni ipsius cessationem vel imminutionem ad sibi consulendum exoptaret vel procuraret; modo esset reus invidiae et modo non; secundum quod deflecteret, vel non, a regulis charitatis et iustitiae. Mercator, v. g. aequo animo ferre non potest quod emptores ad alios quoque mercatores divertant, et vellet eos *omnes* ad se venire. Utique invidiae reus esset. Alius mercator autem tristitiam concipit, eo quod emptores plurimi eius negotium deserant, atque ad alium mercatorem divertant; unde sibi et familiae suisque creditoribus magnum periculum iam iam impendere reformidat. Istum profecto invidiae reum non dicerem; tristitia enim de tali ac tanta affluentia ad negotia aliena rationabilis esset; attamen solum quatenus illa sibi noxia foret; unde scripsit Laymann (*l. c.*): « Caupo, cum videt « plurimos hospites ad vicinum suum divertere, tristari « licite non potest de concursu isto quatenus proximo com- « modus est, sed quatenus in suum detrimentum cedit ».

Cavendum esset quoque ne haec tristitia ad aliquem excessum impelleret; dum enim miser mercator in casu posset licite desiderare ut pars emptorum ad se diverteret, imo quamvis iustis modis posset id procurare efficaciter; non tamen posset desiderare alterius mercatoris ruinam, aut media iniusta adhibere etc. Quid simile dicendum est de iis qui de sorte sibi adversa, non vero de commodo aliorum qui sortem propitiam habuerunt, tristarentur; etsi in casibus istis defectus et periculum facile interveniret. Lehmkuhl (*I 619*).

1055. Qui denique, absque ulla displicentia quod proximus tale vel tale bonum habeat, et absque ullo desiderio illius amissionis vel imminutionis, tristaretur praecise solum quia bonum ipsum affert sibi nocumentum (v. g. quia sibi vicinum); tunc perinde esset ac si de hoc ipso nocumento dumtaxat tristitiam haberet; unde redirent dicta supra (*n. 1052*). Hoc sensu intelligendus est Gury, qui (*Cas. cons. I. 168*) de quodam Paschasio, qui saepe tristabatur de scientia et talentis aliorum. quia coram illis abiectior apparebat, scripsit: « Si tristatur tantum de bono « aliorum ex eo quod inde abiectus apparet, non est pro« prie peccatum invidiae; secus, si vere de commodis alio« rum moestitiam patiatur ».

1056. *Quinam sunt **effectus** invidiae?* Sunt praecipue 1° Desiderare malum proximi, et de illo iam obvento gaudere. 2° Tristitiam habere de eius laudibus. 3° Audire libenter detractiones et contumelias contra illum. 4° Eius famam, quantum fieri potest, denigrare. 5° Damna ei inferre. 6° Interdum iniquissime eum prodere vel etiam occidere, ut patet ex Cain, fratribus Ioseph, Saul, Pharisaeis, de quibus (Marci *XV 10*) dicitur: « Sciebat (Pilatus) quod « per invidiam tradidissent eum ».

1057. *Quid de invidia **in sacerdotibus** vel (quod absit) in Episcopis?* Pessimum, et quo vere nihil peius, invidia in sacerdotibus habet effectum; in magnam enim boni persecutionem convertitur; unde qui bene faciunt animo deiiciuntur, et vix sunt opera bona quae, contra tot ictus invidiae, perfici vel durare possint.

CAPUT VII.

DE ACEDIA ET PIGRITIA.

1058. ***Quid est** acedia? Quid pigritia?*

Acedia est taedium bonorum spiritualium ad quae tenemur, quatenus nobis incommoda sunt, unde illa omittimus aut male exequimur. Hoc sensu peccatum istud ab appetitu proprii commodi provenit.

Sed nimia propensio ad commoda nostra nedum ab operibus stricte spiritualibus (v. g. orationibus, sacramentis etc.), sed etiam ab aliarum obligationum satisfactione nos retrahit; et secundum hoc gignitur *pigritia*, quae proinde latius patet quam acedia.

1059. *Quinam sunt acediae et pigritiae **effectus?***

Quum ex acedia rerum spiritualium, et ex pigritia cuiuscumque laboris taedium inducatur, ex hoc ipso patet quod sic tam spiritualium quam corporalium malorum fons amplissimus aperitur.

Piger, si forte de operibus suscipiendis aliquam voluntatem concipiat, statim cogitat de labore eoque terretur (« Iter pigrorum quasi sepes spinarum » *Prov. XV 19*); et sic a volendo desistit (« Vult et non vult piger ». *Prov. XIII 4*). Hinc miseria (« Qui sectatur otium, replebitur « egestate ». *Prov. XXVIII 19*). Haec autem, utpote volita, compassionem non meretur (« Propter frigus piger « arare noluit; mendicabit ergo in aestate, et non dabitur illi » *Prov. XX 4*). Pro compassione despectum omnium inveniet (« De stercore boum lapidatus est piger » *Eccl. XXII 2*).

Piger deficit muneribus proprii status. Agitur de filiisfamilias? Erunt inobedientes. Agitur de discipulis? Erunt negligentes. Agitur de patribus vel matribus? Deficient in educatione filiorum, in miseriam coniicient familiam, segnitiemque suam filiis et filiabus communicabunt. Agitur de famulis, operariis, colonis etc.? De his scriptum est: « Sicut acetum (*res acerba*) dentibus, et fumus oculis, sic « piger his qui miserunt illum » (*Prov. X n. 26*). Nihil

dico de medicis conductis aliisque publicis officialibus, qui ex pigritia saepe saepius, non sine gravissimorum malorum consequentiis, muneribus propriis deficiunt.

Insuper qui laborare non vult, nonne furtis et fraudibus expositus erit, nisi sit dives? Nonne foeminae hac etiam de causa continuis periculis et peccatis expositae erunt? Etsi autem ageretur de divitibus, nonne otium est pater omnium vitiorum? Hinc vitium ludi, vitium cauponae, vitium (ut vulgo dicitur) *del caffè*. Hinc sollicitudo continua solatiorum. Hinc malae lectiones. Hinc malae conversationes. Hinc denique lapsus turpissimi; et exemplum habemus in Davide. Periculum autem peccandi, etiam ex neglectu orationis aliorumque subsidiorum spiritualium, nonne magis magisque adaugebitur?

1060. *Quid de acedia et pigritia **in sacerdotibus?***

Efficit 1° ut orationi non dediti, otio torpescentes, dissipati et fere solum de solatiis et vita commoda solliciti, perpetuum quo devinciuntur castitatis votum non servent, atque aliis peccatis habenas laxent.

Efficit 2° ut a studio abhorreant; et sic probrosissima laborent ignorantia.

Efficit 3° ut nedum ministeria onerosiora, sed quemlibet minimum laborem declinent. Eccur enim, quidam sacerdotes in Missa difficultatem habent distribuendi Eucharistiam, speciatim bis? Eccur multi genuflexiones non complent? Eccur plurimi non altare sed aerem osculantur etc. etc.? Incredibilia sunt ista, sed, propter pigritiam, verissima.

Efficit 4° ut confessarii, neque interrogando neque admonendo, perfunctorie se gerant, et sic in malo statu poenitentes relinquant. Adde quod, speciatim quando maior est populi necessitas magisque esset laborandum (v. g. in quindena paschali), operam suam praestare, quantum possunt, declinant. Bonum autem summi momenti, scilicet frequentia Sacramentorum, impeditur; christifideles enim, et speciatim viri, maxima ex parte solum sumno mane ad confessionem accedere possunt, sed quomodo accedent, si tunc confessarii dormiunt? Quomodo accedent, si confessarii non sint assidui, et modo adsint modo non adsint?

Nihil dico de sacerdotibus iuvenibus, qui ab acceptandis capellaniis aut paroeciis paullo incommodioribus abhorrent, et patiuntur ut paroeciae ipsae, non sine maximo animarum detrimento, nullatenus aut pessime provideantur, dummodo ipsi propriis commodis prospiciant et laborem declinent.

Nihil dico de aliis sacerdotibus innumeris, qui, satis instructi et sufficienti ingenio praediti, concionatoris et confessarii officia exercere, atque in vinea Domini utiliter laborare possent, et nihilominus in tanta populi christiani necessitate, otium labori praeferunt, atque, inutiles se reddendo, nihili faciunt illa Christi Domini verba: « Quid hic statis « statis tota die otiosi?... Inutilem servum eiicite in tene- « bras exteriores ».

1061. *Quid denique speciatim de acedia et pigritia* ***in parochis et Episcopis?***

Quoad *parochos.* Pigritia efficit ut ipsi catechismum puerorum, sermonem ad populum, assistentiam infirmorum etc. negligant, et sic male vel pessime munere suo fungantur, adeo ut res eo usque procedant ut subinde parochiani nedum sine commendatione animae sed etiam sine Sacramentis moriantur.

Quoad *Episcopos.* S. Io. Chrysost. dicit quod episcopatus est pelagus laborum; innumera enim et subinde gravissima atque difficillima sunt ea quae ab Episcopo tractari vel fieri debent. Quid ergo si Episcopus piger et ignavus esset? Vel (non attendendo quod ipse sua personali industria ad Dioecesim regendam electus fuit) fere omnia aliis committeret, vel per se ipsum quidem negotia expediret, sed, ad laborem declinandum, plura omitteret, et in aliis sine ponderatione et sine prudentia procederet; cum quanto Dioecesis ipsius detrimento unusquisque videt.

CAPUT VIII.

DE LUXU, DE ORNATU FOEMINARUM, ET DE EXCESSU IN SOLATIIS.

1062. *Qui de luxu?* Luxus est excessus in apparatu externo, v. g. quoad supellectiles, habitationem, convivia, numerum famulorum, equorum etc.; maxime vero quoad vestes. Excessus autem intervenit revera si huiusmodi apparatus, attentis conditione, officio, sexu, aetate, statu (nubili vel coniugato) personae, aliisque circumstantiis, communem modum proborum (qui in iisdem conditionibus versantur) praetergrediatur; vel si in coma et veste concinnanda nimium studium impendatur. Hucusque tamen culpa venialis vix incedi poterit. Culpa autem mortalis interveniret 1° Si media non suppeterent, et, propter nimias expensas in luxu, creditores insoluti remanerent, aut familia in ruinam coniiceretur, aut aliis obligationibus gravibus satisfieri nequiret. 2° Si aliquis finis graviter pravus (v. g. ad alliciendum ad peccatum mortale) interveniret. 3° Si grave scandalum praeberetur.

1063. *Quid de ornatu foeminarum?* Notanda sunt speciatim sequentia: 1° Possunt mulieres matrimonio iunctae vel ad illud aspirantes, in cultu corporis intendere etiam ornatum pulchritudinis. Lessius (*IV.* IV. XIV *108*) cum S. Aug., D. Thoma (*2. 2 CLXIX.* II) aliisque communissime. Coniugatae enim iustam habent causam placendi viris suis, ne ad alias divertant; et pariter puellae nubere cupientes, ut commodas nuptias inveniant. 2° Aliae autem, etsi nequeant habere intentionem placendi viris, possunt tamen se ornare iuxta decentiam proprii status, et plus vel minus iuxta varias circumstantias; neque illicitum est pulcuritudini naturali artificialem superaddere, adhibendo ornamenta, semper ac moderatio servetur. Si tamen mulieres nubere nolentes, ea quoque intentione se ornarent, ut inter pulchras recenseantur et laudentur ut pulchrae, imo etsi in ornatu ipso conditionem proprii status aliqualiter excederent, non ideo (nisi alia gravis malitia superadderetur) mortaliter peccarent. Lessius (*l. c.*

n. 109). 3° Fucus et pigmenta licent si ad tegendas maculas vel deformitates adhibeantur, vel si alia causa rationabilis intercederet. Si vero solum adhiberentur ad augendam pulchritudinem et appariscentiam, tunc (propter fictionem) venialem culpam non deesse communi christifidelium et theologorum sensu existimatur. Excipe nisi talis vel talis fucus (v. g. tingendo crines) esset de more; tunc enim propter rei evidentiam fictio cessaret. Cf. D. Th. (*l. c. ad 2*), Lessium (*l. c. n. 111*) et S. Lig. (*II 54*). 4° Quoad scandalum, vide dicta *De occasionariis (Ed. V n. 169*).

1064. *Quandonam contingeret excessus in* ***solatiis?*** Si quis v. g. in otiosis conversationibus, in interventu ad spectacula, maxime vero in ludo, limites excederet. De ludo, de choreis, de theatris, de conversationibus, et de bacchanalibus iam egi ex professo in tractatu *De occasionariis* (*Ed. V n. 155 et sqq.*). Hic dico solum, sbservandum esse ne forte 1° in contrarium adsit aliquod praeceptum positivum, v. g. vetitum parentum; 2° peccata (v. g. blasphemiae, turpiloquia, fraudes etc.) committantur, vel utcumque aliquod grave periculum spirituale interveniat; 3° nimia pecunia insumatur vel periculo exponatur; 4° munera proprii status interim negligantur; 5° scandalum praebeatur; 6° excessus temporis vel affectus locum habeat (prout facile accidit si motivo lucri quis ludo incumbat); 7° indecentia aliqua a parte personae ludentis interveniat. Utique ludus moderatus personis etiam gravibus atque in dignitate constitutis (v. g. sacerdotibus, parochis etc.) licitus esse potest (quandoquidem ipsi quoque ad animi vires reassumendas aliqua recreatione indigent); sed non omnia solatia, quae saecularibus licent, ecclesiasticis quoque permitti possunt; unde choreae, larvae, theatra etc. iisdem (eo quod eorum statui non congruerent) interdicuntur.

CAPUT IX.

DE CURIOSITATE.

1065. *Quid et quotuplex est curiositas?*

I. Curiositas est voluntas inordinata sciendi.

II. Potest esse intellectualis et sensibilis.

Casus curiositatis intellectualis sunt sequentes. 1° Velle scire plura et altiora propriâ capacitate et conditione. 2° Scientiam aestimare plus quam oportet, praeferendo illam virtuti et rebus necessariis ad salutem. 3° Incumbere ad studium modo mere naturali et non motivo virtutis. 4° Velle scire inutilia vel ad se non spectantia ex sola curiositate. Hic ultimus (uti patet) est casus valde practicus; multi enim semper in eo sunt ut negotia aliena scire velint.

Curiositas sensibilis versatur circa res sensibus subiectas, et contingit quando quis vult videre, audire, gustare, olfacere, tangere. Hoc autem duobus modis accidere potest, scilicet 1° Volendo exinde notitiam intellectualem habere rei visae, auditae, tactae etc.; ad sciendum scilicet an sit magna vel parva, dura vel mollis, pulchra vel deformis etc.; et hoc proprie ad curiositatem pertinet (supponendo semper quod desit causa rationabilis). 2° Volendo exinde delectationem sensus experiri; et hoc ad curiositatem non pertinet, sed ad sensuum satisfactionem; quae satisfactio poterit esse modo innocens (ut puta, si de musica ageretur), et modo venialiter, modo etiam graviter prava, ut consideranti facile patebit.

Loquendo autem non de satisfactione sensuum, sed de curiositate veri nominis, haec ut plurimum est venialis. Interdum tamen mortalis esse posset; ut puta, si ageretur de curiositate valde periculosa, vel de libro prohibito, vel de expiscatione secreti (v. g. aperiendo epistolas, inebriando aliquem ut secreta prodat etc.), vel de consultationibus spiritisticis, vel de investigatione mysteriorum Fidei, cum animo disposito ad non credendum nisi intelligantur etc.

CAPUT X.

DE INGRATITUDINE.

1066. *Ingratitudo estne verum peccatum?* Utique. Ingratitudo enim maculam moralem inurit, turpissimam monstruositatem inducit, et benefactorem offendit. Equidem, quum benefactor, non propter pretium vel mercedem, sed gratis, beneficium contulerit, nullum ius strictum habet ad aliquid determinatum, sed quoddam ius latum ad gratitudinem in genere semper conservat; et quidem ius istud est inalienabile; quamvis enim benefactor diceret se iuri quoque ad gratitudinem renuntiare, ius istud forte quidem imminui, sed non destrui posset; gratitudinis quippe obligatio ex ipsa rei natura profluit; si enim quoslibet, imo etiam inimicos, diligere debemus, natura clamat ut speciali amore benefactores diligamus, huiusque specialis dilectionis signa eis ostendamus. Quod nisi fieret, benefactor ipse plus vel minus moerore afficeretur atque offenderetur; non enim homines sunt ut scalprum, quod, postquam sculptori optimum servitium praestitit, abiici ab illo potest quin aliquid sentiat. Homo insuper, quum usum rationis habeat, cognoscere debet beneficia et gratus esse benefactoribus suis; secus, similis fieret animalibus, qui de pastura et non de pascente curant. In sacris litteris (*Eccl. XXIX 20*) legitur: « Gratiam fideiussoris ne obliviscaris: dedit enim « pro te animam suam ». Et Cicero (*De Offic. I.* XIV) scripsit: « Nullum officium referendâ gratiâ magis neces- « sarium est. Quod si ea, quae utenda acceperis, maiore « mensura (si modo possis) iubet reddere Hesiodus; quid- « nam beneficio provocati facere debemus?... Si in eos, quos « speramus nobis profuturos, non dubitamus officia con- « ferre: quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt? « Nam cum duo genera liberalitatis sint, unum dandi « beneficii, alterum reddendi: demus, necne, in nostra po- « testate est; non reddere, viro bono non licet ». Adde quod ingratus reddit se indignum beneficiis (iuxta effatum, *beneficia in ingratum non conferantur*), abominationem omnium incurrit, et scandalum infert.

1067. ***Quot modis** potest quis deficere contra gratitudinem?* Principaliter duobus modis, scilicet negative et positive. *Negative;* si nempe ita se gereret quasi nullum beneficium vel non tantum obtinuisset. *Positive;* si nempe mala pro bonis retribueret. Me explico. Deficit negative 1° qui intra se beneficium et animum benefactoris vel pro nihilo habet et spernit, vel non iuxta meritum aestimat; 2° qui consuetas et proportionatas grati animi significationes non perhibet, aut illas ex sola urbanitatis fictione, vel solum ad obtinenda alia beneficia, perhibet; 3° qui nimis cito beneficii recepti obliviscitur, vel perinde se gerit ac si oblitus fuisset; 4° qui benefactori petenti servitia non praestet, etsi satis commode illa praestare posset. Deficit autem positive 1° qui benefactorem in bonis sive vitae, sive fortunae, sive honoris, sive famae laedit; 2° qui illum valde indigentem et petentem non adiuvat, dum, praescindendo etiam a beneficiis recoeptis, ex charitate illum adiuvare deberet; 3° qui ex odio contra benefactorem, vel ne appareat ad gratitudinem obligatus, apertis verbis beneficium spernit aut vituperat, aut conatur ostendere fuisse sibi maleficium.

1068. *Quid de **gradu culpae** in ingratitudine?* Si beneficia recepta non magni momenti fuerint, aut si defectus gratitudinis fuerit solum negativus, tunc ordinarie culpa erit venialis. Si vero ex una parte beneficia fuissent magna, et ex alia ingratitudo modis positivis ostensa fuisset, tunc ordinarie culpa mortalis esset. Ad aestimandam autem magnitudinem beneficii, considerari debent etiam circumstantiae; v. g. an agatur de beneficio unico, an vero de multis et continuis; an benefactor cum suo sacrificio, et quidem magno vel diuturno, ita se gesserit; an ex animo prorsus benevolo et sine spe momentosae retributionis beneficia contulerit etc. Ad culpae gravitatem in ingratitudine constituendam influere potest etiam sensibilitas benefactoris, attenta scilicet eius indole, educatione, nobilitate etc. Denique influere potest etiam duratio ingratitudinis; aliud enim est si quis, v. g. unico momento in aestu irae ad actum ingratitudinis processerit, et aliud si diu et actibus saepe repetitis contanter se ingratum ostendat.

CAPUT XI.

DE MODO QUO PASSIONUM VIM IN NOBIS IPSIS ATQUE IN ALIIS IMMINUERE POSSUMUS.

1069. *Quid imprimis de modo diminuendi vim passionum* ***in nobis ipsis?*** Media praecipua sunt sequentia.

Oportet I. *Illas cognoscere.* Quaedam passiones (speciatim superbia et avaritia) ordinarie efficiunt, ut, quamvis sint praedominantes et iam personae characterem notorie efforment, persona ipsa laxitate conscientiae falsisque dictaminibus se illudere, atque ab illo vitio se esse immunem sibi suadere conetur. Huic illusioni expositi sumus praecipue non Sacerdotes, maxime vero si aliquam dignitatem habeamus. Quisnam enim personas gradu aliquo eminentes admonere audet? Quisnam erit ut Paulus qui in faciem restitit Petro quia reprehensibilis erat? (*Ad Gal. II 11*). Quisnam erit ut Iethro qui Moysi rotunde dixit; « Stulto « labore consumeris.... ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere? » (*Exod. XVIII 18*). Equidem multi obloquentur a longe; multi adulabuntur in faciem; sed (heu tristissima conditio huiusmodi personarum!) nemo corriget. Nemo profecto; nequidem confessarius. Attamen, his non obstantibus, conscientia non est tranquilla, conscientia remordet, conscientia clamat. Illusiones itaque sunt abiiciendae, et passiones nostrae praedominantes sunt recognoscendae (« Nosce te ipsum »).

Oportet II. *Considerare necessitatem illas mortificandi.* Cur? Quia 1° passiones excaecant mentem et tyrannice pertrahunt ad malum voluntatem, unde homo non amplius regitur ratione et peior brutis evadit. 2° Passiones sunt fons omnium inordinationum et delictorum. 3° Illas fraenandi vera et magna adest obligatio tamquam medium necessarium ad evitanda peccata; *sub te erit appetitus eius* (*peccati*), *et tu dominaberis illius* (*Gen. IV*). 4° Quod si fiat, praemium aeternum habebitur; secus autem poena aeterna erit luenda. 5° Adde motiva quoque temporalia, nempe pacis, honoris etc., et e contra remorsus, infamia etc. 8° De-

nique consideranda venit huius mortificationis possibilitas, quamvis (maxime si passiones vehementes essent et longo usu valde effraenatae evasissent) contra difficultates necesse sit energicam reddere voluntatem, non parcendo labori ob praedicta motiva.

Oportet III. *Destruere deceptiones a passionibus ipsis inductas.* Monitum istud ab auctoribus clare et explicite non indicatur, sed summi momenti est. Cur peccamus? Quia passiones repraesentant ut bonum quod est malum, atque ut malum quod est bonum. Aristotiles dicebat, *omnem peccantem esse quodammodo ignorantem.* Destruamus igitur illusiones istas; et, si perfecte id fecerimus, iam non peccabimus. Exemplum sit in ira. Irascimur inordinate contra res adversas, quia illas ut malum magnum accipimus. Sed reflectamus paullisper. Nunquid mala adeo transitoria huius mundi sunt revera mala magna? Nunquid merentur ut sic irascamur? Nonne sic essemus sicut pueruli qui de ioculo ablato vehementissime irascuntur, dum, si domum flammis destrui viderent, indifferentes remanerent? Insuper res adversae nonne sunt occasio pretiosissima merendi praemia aeterna? Nonne efficiunt ut poenas peccatis nostris debitas in hac vita solvere possimus? Nonne sic sunt bona maxima? Hoc modo ablata erit illusio. Quod enim malum et infortunium videbatur, iam bonum et fortuna apparebit, et sic ira cessabit? Quis profecto contra bonum et fortunam irascitur? Aliud exemplum dari potest in foemina amore capta erga virum cum quo peccat. Cur illum amat? Quia tamquam bonum, beneficum et sibi convenientem illum considerat. Fac itaque ut reflectat illum esse scelestissimum, maleficentissimum, causam suae damnationis etc.; et, si funditus et vivide haec intelligat, iam bonitas, beneficentia et convenientia illa disparebit, et amor cessabit. Pulchritudo quoque solet esse causa amoris. Sed quid magis illusorium? Qui hodie tam pulcher tibi esse videtur, nonne post paucos annos senex deformis, moribundus, cadaver horrificum et massa putredinis erit?

Oportet IV. *Curare ut passiones ipsae non excitentur*, cavendo ne habeant incentiva, cuiusmodi sunt praecipue

occasiones, cogitationes, libertas sensuum, et excessus in cibo et potu.

Oportet V. *Passionibus iam excitatis non satisfacere;* praeterquamquod enim haec satisfactio ordinarie peccatum includeret, passio est ad instar lupae, quae (ut verbis Poetae utar) « *dopo il pasto ha più fame che pria* ». Hinc optimum factu erit ut passiones fraenentur etiam in rebus licitis; secus enim (maxime in iuventute) futurum esset ut, septo saltato, a licitis ad illicita gressus fieret. Quaedam autem passiones sunt ita vehementes, ut subinde oporteat efficere ut homo iam versetur in impossibilitate iisdem satisfaciendi. Peccant, v. g. adamantes? Effice ut aliqua persona semper sit praesens. Fertur, v. g. quis vi quasi irresistibili ad cauponam, ludum etc.? Effice ut pecunia prorsus destituatur.

Oportet VI. *Ut homo gloriam Dei et salutem animae suae pro regula suarum actionum firmissime sibi praestituat.*

Adsunt denique remedia particularia iuxta diversas passiones. Sic, v. g. in passione amoris, oportet ut aliud pascuum cordi detur; cor hominis enim indiget amare, et quaedam personae ut ament et redamentur praepotentissime indigent. Effice ergo ut loco creaturae, Deum adeo magis amabilem ament et toto corde diligant.

1070. *Quid de procuranda mortificatione passionum in aliis?* Hoc ad concionatores, confessarios, et iuventutis institutores, et genitores, praecipue spectat.

Ut tamen bonus effectus obtineatur, non sufficit ut peccata corrigantur, et nequidem ut aliquando et obiter dicatur passiones esse mortificandas; sed oportet imprimis ut modo qui magnam faciat impressionem, huius mortificationis necessitas ostendatur: unde unusquisque pro suo bono, non coacte (et quasi ad modum disciplinae militaris) sed ex corde et libenter eidem mortificationi serio, efficaciter et constanter attendat. Ostensa autem necessitate ista, aliae quoque curae, speciatim in confessariis et educatoribus, necessariae erunt, ut illa prima impressio perduret et effectum intentum facilius producat.

Sed haec omnia praestanturne reapse? Concionem ex professo de passionibus humanis ego nunquam audivi, neque didici unquam quod populo, aut clero, aut iuvenibus (quibus adeo necessaria esset) facta fuerit. Ipsae personae piae in propriis defectibus sine ulla emendatione adeo perseverant, ut palam fiat quod ut plurimum confessarii securim ad radicem minime iniiciunt. De locis autem educationis loquendo, exeunt v. g. puellae a monasteriis in quibus educatae fuerunt; erunt instructae in litteris et operibus acus; habebunt etiam aliquam pietatem superficialem atque (ut ita dicam) materialem et romanticam. Sed quid de virtutibus? Deberent esse humiles, patientes, obedientes, laboriosae, sincerae, plenae charitate erga proximum et speciatim erga pauperes etc. Sed nunquid tales sunt? Heu quam saepe domum redeunt superbae, iracundae, desidiosae, mendaces, inobedientes, arrogantes, maledicae, gulosae, de pomposis vestibus et solatiis (etiam periculosis) sibi comparandis, non vero de pauperibus sublevandis sollicitae etc. etc.; ita scilicet ut de seria passionum mortificatione, et solidarum virtutum exercitio circa ipsas in monasterio nihil vel fere nihil actum fuerit. et forte meliores extitissent si a propria matre domi educatae fuissent.

1071. *Quid de educatione clericorum?* Haec eiusmodi esse deberet ut ad Presbyteratum provehendi plene mortificati iam nedum virtuosi sed senes in virtutibus essent. Sed ordinarie suntne tales? Responsio ex defectu devotionis in Missa et sacris functionibus; responsio ex neglectu studii et vita otiosa quae presbyteratum ordinarie subsequitur; responsio ex dissipationibus et perpetua tendentia ad quaestus et solatia, sine ullo gloriae Dei et salutis animarum veri zeli indicio; responsio ex fuga laboris, ea semper officia declinando in quibus labores lucro aut alia humana satisfactione non compensantur; responsio ex malo exitu qui in iis, quibus officia tradita sunt, nimis frequenter lamentandus venit; responsio uno verbo ex vita valde defectuosa et parum exemplari quae in multis sacerdotibus inspici solet.

1072. *Quid igitur* ***concludendum?***

Oportet I. Ut rem istam modo specialissimo prae oculis habeant concionatores, sive ad populum, sive ad Clerum, sive ad Moniales concionentur; maxime vero si ad iuvenes (speciatim clericos) sermones habere debeant.

Oportet II. Ut confessarii perpendant quaenam sint passiones ex quibus, tamquam ex radice, peccata poenitentium oriantur; et sedulam sapientemque adhibeant curam ut passionum ipsarum vis imminuatur, et sic, obtruncatis parvis habitibus, virtutes energice et libenter exerceantur.

Oportet III. Ut ii omnes quibus iuventutis educatio commissa est, principalem sui officii partem esse censeant, omnem curam adhibere ut iuvenes ipsi assiduo exercitio passionibus non cedere; bene vero virtutes exercere (et quidem libenti animo) assueti evadant.

INDEX

Epistola Leonis Papae XIII ad Auctorem . . . . *pag.* VII
Introductio . . . . » IX
TRACTATUS I. *De virtutibus theologicis* . . . . » 1
Sectio I. De fide . . . . » id.
Caput I. De fidei essentia et causis . . . . . » id.
Caput II. De fidei necessitate, et de articulis quorum cognitionem explicitam habere oportet ex necessitate medii vel praecepti . . . . » 7
Caput III. De fide quoad actus internos . . . . . » 12
Articulus I. De fide interne neque neganda neque in dubium revocanda . . . . » id.
Articulus II. De fide actibus internis exercenda . . . » 29
Caput IV. De fide quoad actus externos . . . . . » 31
Articulus I. De fidei negatione externa . . . . . » id.
Articulus II. De fide exterius ostendenda, exercenda et profitenda . . . . » 33
Articulus III. De fide nullo modo offendenda . . . . » 35
Articulus IV. De fide custodienda . . . . » 36
Articulus V. De fide et religione (speciatim nostris temporibus) defendenda eiusque bono procurando . . . . » 37
Appendix. De nonnullis aliis quaestionibus circa fidem . . » 38
Sectio II. De spe . . . . » 41
Sectio III. De charitate . . . . » 43
Caput I. De charitate erga Deum . . . . » id.
Caput II. De charitate et amore quem homo sibi ipsi debet . » 46
Caput III. De charitate erga proximum . . . . . . » 47
Articulus I. Exponuntur quaedam principia generalia . . » id.
Articulus II. De ordine charitatis . . . . » 49
Articulus III. De odio et malevolentia . . . . . . » 54
Articulus IV. De operibus misericordiae corporalis, et speciatim de eleemosyna . . . . » 63
Articulus V. De correctione fraterna . . . . . . » 73
Articulus VI. De scandalo . . . . » 81
Punctum I. De natura scandali . . . . » id.

Punctum II. De scandalo directo . . . . *pag.* 82
Punctum III. De scandalo indirecto, nec non de scandalo accepto et non dato; scilicet de culpa in actione, quae praeter intentionem proximo occasio peccandi sit . . . » 83
Punctum IV. De gradu culpae in scandalo . . . . . » 87
Punctum V. De peccatis scandali quoad numerum et circumstantias speciem mutantes . . . . » 88
Punctum VI. De obligatione eorum qui scandalum dederunt . » 91
Articulus VII. De cooperatione . . . . . . » 93
Punctum I. Principia generalia . . . . . . » id.
Punctum II. Casus particulares . . . . . . » 98
§ I. Casus cooperationis in rebus ad falsas religiones spectantibus » id.
§ II. Casus cooperationis circa communiores huius temporis impietates et legum ecclesiasticarum transgressiones . » 108
(A). Circa matrimonium civile, divortium civile, et sepulturam civilem . . . . » id.
(B). Circa quosdam casus qui a parte Gubernii implicant usurpationem rerum et iurium Ecclesiae . . . . » 110
(C). Circa concursum ad festa nationalia, quae pro re iniqua fuerint instituta vel indicta. . . . . » 111
(D). Circa cooperationes ad res illicitas propter furorem popularem . . . . » 112
(E). Circa concursum ad monumenta impiis vel facinorosis personis erigenda . . . . » 113
(F). Circa concursum ad opera partim bona et partim mala . » id.
(G). Circa publicas electiones ad officium deputati politici in Italia . . . . » 114
(H). Circa publicas electiones ad officium deputati municipalis, vel (extra Italiam) politici . . . . . . » id.
(I). Circa officia gubernativa et municipalia in ditione pontificia sub intruso Gubernio . . . . » 115
(K). Circa libros pravos, ephemerides, diaria etc. . . . » 119
(L). Circa sectam massonicam . . . . » 124
(M). Circa spectacula, quae prima Dominica Quadragesimae apud nos, iam inde a primis annis invasionis Ditionis Pontificiae, locum habent . . . . » 125
(N). Circa violationem legis ieiunii et abstinentiae a carnibus » id.
(O). Circa profanationem festorum . . . . » 128
§ III. Casus cooperationis circa sacrilegia . . . . » id.
§ IV. Casus cooperationis in peccatis contra sextum praeceptum » 130
§ V. Varii alii casus . . . . » 141
TRACTATUS II. *De Decalogo* . . . . » 145
Sectio I. De primo Decalogi praecepto . . . . . » id.
Caput I. De adoratione . . . . » id.
Caput II. De oratione . . . . » 148
Caput III. De superstitione . . . . » 152
Articulus I. Principia generalia . . . . . . » id.
Punctum I. De superstitione qua Deus colitur cultu non recto » 153

Punctum II. De superstitione, qua creatura habetur tamquam Deus, scilicet de idololatria . . . . *pag.* 155
Punctum III. De superstitione, qua cum Daemone, etiam seclusa idololatria, commercium habetur; vel proceditur iuxta ritus et praeiudicia Ethnicorum aut Magorum . . . » id.
Articulus II. De praecipuis superstitionis speciebus . . » 161
Punctum I. De divinatione . . . . » id.
Punctum II. De vana observantia . . . . » 163
Punctum III. De Magia . . . . » 167
Punctum IV. De maleficio . . . . » id.
Punctum V. De hypnotismo et spiritismo . . . . . » 170
Caput IV. De irreligiositate . . . . » 183
Articulus I. De tentatione Dei . . . . » id.
Articulus II. De sacrilegio . . . . » 185
Punctum I. De sacrilegio in genere . . . . . . » id.
Punctum II. De sacrilegio reali . . . . » 186
Punctum III. De sacrilegio locali . . . . » 188
Punctum IV. De sacrilegio personali . . . . . . » 190
Punctum V. De sacrilegiis quoad speciem et quoad numerum » 191
Articulus III. De simonia . . . . » 193
Punctum I. De natura et malitia simoniae . . . . . » id.
Punctum II. De merce simoniaca, nempe quaenam sint res spirituales, in quibus simonia intervenire potest? . . » 194
Punctum III. De pretio simoniaco, nempe quid habere possit rationem pretii temporalis? . . . . » 195
Punctum IV. Quandonam vera emptio aut venditio simoniaca interveniat vel non interveniat? Et quid de distinctione inter simoniam conventionalem et mentalem? . . . » id.
Punctum V. De simonia iuris ecclesiastici et speciatim de simonia confidentiali . . . . » 205
Punctum VI. De poenis contra simoniam . . . . . » 208
Punctum VII. An et quomodo simoniaci teneantur ad restitutionem? . . . . » 209
Sectio II. De secundo Decalogi praecepto . . . . . » 213
Caput I. De blasphemia . . . . » id.
Articulus I. De natura et malitia blasphemiae eiusque distinctionibus . . . . » id.
Articulus II. De blasphemia simplici . . . . » 216
Articulus III. De blasphemia haereticali et haeretica . . » 217
Caput II. De vana usurpatione Nominis Dei . . . . . » 218
Appendix. Variae quaestiones . . . . » 219
Caput III. De adiuratione . . . . » 220
Caput IV. De iuramento . . . . » 222
Articulus I. De iuramenti natura, distinctionibus, et validitate » id.
Articulus II. De iuramenti liceitate . . . . » 227
Articulus III. Agitur in particulari de iuramento promissorio aut comminatorio aut utcumque de re futura . . . » 230

Caput V. De voto . . . . pag. 232
Articulus I. De natura voti eiusque divisionibus . . . » id.
Articulus II. De requisitis ut votum sit validum et licitum. Et quid in dubio? . . . . » 234
Punctum I. De intentione, cognitione et deliberatione, quae ad valide vovendum exigitur et sufficit . . . . » 236
Punctum II. De materia apta . . . . » 240
Punctum III. Variae quaestiones . . . . » 247
Articulus III. De interpretatione voti . . . . . . » 249
Articulus IV. De obligatione voti . . . . » 250
Articulus V. De cessatione voti . . . . » 259
Punctum I. De cessatione voti suapte natura . . . . » id.
Punctum II. De votorum et iuramentorum dispensatione et commutatione . . . . » 261
Punctum III. De votorum et iuramentorum irritatione . . . » 266
§ I. De irritatione directa . . . . » id.
§ II. De irritatione indirecta . . . . » 269
Sectio III. De tertio Decalogi praecepto scilicet de sanctificatione festorum . . . . » 270
Caput I. De abstinentia ab operibus servilibus et aliis quibusdam . . . . » id.
Articulus I. De principiis generalibus . . . . . . » id.
Articulus II. Indicantur in particulari causae excusantes . » 273
Caput II. De auditione Missae . . . . » 281
Sectio IV. De quarto Decalogi praecepto . . . . . . » 291
Caput I. De obedientia parentibus debita . . . . . » id.
Caput II. De reverentia parentibus debita . . . . . » 292
Caput III. De amore quo filii parentes prosequi debent . . » 293
Sectio V. De quinto Decalogi praecepto . . . . . . » 296
Caput I. De occisione sui ipsius aliisque peccatis contra vitam propriam . . . . » id.
Articulus I. De suicidio . . . . » id.
Punctum I. De suicidio directo . . . . » id.
Punctum II. De suicidio indirecto, et de permissione mortis certae et imminentis . . . . » 297
Articulus II. De vita conservanda, periculis non exponenda et non abbrevianda . . . . » 299
Articulus III. De mutilatione aliisque proprii corporis laesionibus . . . . » 301
Caput II. De occisione proximi . . . . » 303
Articulus I. De occisione iniusti aggressoris . . . . . » id.
Articulus II. De occisione aliisve punitionibus malefactoris . » 312
Articulus III. De occisione innocentis aliisque corporalibus eiusdem laesionibus . . . . » 314
Punctum I. De principalibus distinctionibus circa occisionem innocentis . . . . » id.
Punctum II. De innocentis occisione directa . . . . . » id.
Punctum III. De innocentis occisione indirecta . . . . » 315

Punctum IV. De abortu . . . . pag. 316
§ I. De abortu indirecto . . . . » 317
§ II. De abortu directo et de craniotomia . . . . » 319
Caput III. De bello . . . . » 325
Caput IV. De duello . . . . » 328
Sectio VI. De praeceptis sexto et nono . . . . . . » 332
Caput I. De peccatis luxuriae quae sumunt speciem solum ex diverso modo laedendi castitatem . . . . . » id.
Articulus I. De actibus, qui luxuriam continent essentialiter » 334
Punctum I. De concubitu, non servata natura humana, scilicet de bestialitate et de concubitu cum Daemone . . » id.
Punctum II. De concubitu non servato sexu debito, scilicet de sodomia propria . . . . » 335
Punctum III. De concubitu, servato quidem sexu debito, sed extra matrimonium, scilicet de fornicatione . . . » 337
Punctum IV. De concubitu, non servato vase debito, scilicet speciatim de sodomia impropria . . . . . » 338
Punctum V. De concubitu, non servato modo debito, scilicet (speciatim) de onanismo . . . . » 339
Punctum VI. De pollutione, et de delectatione venerea sine pollutione . . . . » 340
§ I. De pollutione et delectatione venerea, quam quis directe quaerit . . . . » id.
§ II. De pollutione et delectatione venerea, cui quis consentit » 346
§ III. De pollutione et delectatione venerea, cui quis aliquâ suì actione ex alio fine factâ occasionem praebet, sine gravi periculo consensus . . . . » 349
§ IV. De pollutione aut venerea delectatione, cui quis occasionem praebet cum gravi periculo consensus . . . » 355
§ V. De libidine, quam quis nullatenus vel non satis cohibet » 357
Punctum VII. De complacentia, desiderio, proposito et gaudio rerum venerearum in personis solutis . . . . . » 361
Articulus II. De actibus qui ad luxuriam quidem spectant, sed non essentialiter . . . . » 363
Punctum I. De tactibus impudicis aut minus pudicis . . » id.
§ I. De tactibus in corpore proprio sine necessitate . . » id.
§ II. De tactibus in corpore proprio ex necessitate . . » 365
§ III. De tactibus cum persona diversi sexus sine necessitate » 370
§ IV. De tactibus cum persona diversi sexus ex necessitate, vel fine honesto, vel ex sola curiositate . . . . » 372
§ V. De tactibus cum persona eiusdem sexus . . . . » 373
§ VI. De tactu cum bruto . . . . » 374
§ VII. De foemina, quae non tangit, sed tactus patitur . . » id.
Punctum II. De osculis, amplexibus, aspectibus, nuditatibus, sermonibus, lectionibus, spectaculis, et cogitationibus turpibus aut periculosis . . . . » 376
§ I. De osculis et amplexibus cum persona diversi sexus . » id.

§ II. De aspectibus impudicis aut minus pudicis, et de nuditatibus . . . . pag. 378
§ III. De sermonibus impudicis . . . . » 382
§ IV. De lectionibus et comoediis obscoenis et de choreis . » 387
§ V. De cogitationibus turpibus aut periculosis . . . . » 388
Caput II. De peccatis quae non solum castitatem sed alias quoque virtutes offendunt . . . . » 389
Articulus I. De adulterio . . . . » id.
Articulus II. De stupro aut alia immixtione iniustitiae . . » 391
Articulus III. De raptu . . . . » 392
Articulus IV. De incestu . . . . » 393
Articulus V. De sacrilegio et de violatione voti simplicis castitatis . . . . » 395
Caput III. De licitis et illicitis inter coniuges . . . . » 396
Articulus I. De temperantia in usu coniugii . . . . . » id.
Articulus II. De sodomia inter coniuges . . . . . . » 400
Articulus III. De onanismo inter coniuges . . . . . » 401
Articulus IV. De delectationibus venereis inter coniuges extra actum coniugalem . . . . » 404
Articulus VI. De tactibus, osculis, amplexibus, aspectibus, et sermonibus inter coniuges . . . . » 406
Articulus VI. De copula coniugali . . . . » 411
Caput IV. De debito coniugali . . . . » 431
Articulus I. Agitur in genere de usu matrimonii quoad obligationem . . . . » id.
Articulus II. Agitur in particulari de causis, quae debiti denegationem legitimam reddunt . . . . . . » 434
Punctum I. De causis, quae non solum ad debiti denegationem, sed etiam ad divortium ius dant . . . . . » id.
Punctum II. Casus in quibus ad diuturnam debiti coniugalis denegationem ius expeditum dari solet . . . . . » 442
Punctum III. Casus in quibus diuturna debiti denegatio licita quidem esset salva iustitia, sed in praxi alia motiva exigere possunt ut non permittatur . . . . . . » 444
Punctum IV. Casus, in quibus frequentiam minuendi ius datur » 446
Punctum V. Casus in quibus ad breve tempus vel pro aliqua vice debitum denegari potest . . . . » 448
Punctum VI. Casus in quibus debitum denegandi nullum ius adest . . . . » 452
Sectio VII. De octavo Decalogi praecepto scilicet de mendacio aliisque proximi deceptionibus . . . . . . » 455
Caput I. De regulis ad discernendum an aliqua locutio sit vera vel falsa vel ambigua . . . . » id.
Caput II. De variis ambiguitatis et amphibologiae generibus » 460
Caput III. De peccato in fictionibus . . . . » 462
Caput IV. De peccato in ambiguitatibus et amphibologiis . » 463
Caput V. De mendacio scilicet de mendacii natura, distinctionibus et illiceitate . . . . » 468

Caput VI. De gradu culpae in mendacio, de adulatione, et de imprecationibus atque iuramentis mendacio aut locutioni ambiguae adnexis . . . . pag. 472
Caput VII. De mendaciis aut responsis ambiguis in iudicio . » 481
TRACTATUS III. *De peccatis capitalibus seu potius de principalibus passionibus humanis* . . . . . . » 491
Caput I. De superbia et de vitiis superbiae oppositis . . » id.
Caput II. De avaritia et prodigalitate . . . . . » 495
Caput III. De luxuria . . . . » 499
Caput IV. De ira, inclementia, crudelitate, et de defectu opposito nimiae lenitatis . . . . » 500
Caput V. De gula . . . . » 503
Caput VI. De invidia . . . . » 510
Caput VII. De acedia et pigritia . . . . . . » 513
Caput VIII. De luxu, de ornatu foeminarum, et de excessu in solatiis . . . . » 516
Caput IX. De curiositate . . . . » 518
Caput X. De ingratitudine . . . . » 519
Caput XI. De modo quo passionum vim in nobis ipsis atque in aliis imminuere possumus . . . . . . » 521

FINIS PRIMI VOLUMINIS

Faventiae die XVIII Iulii MCMIII

Nihil obstat

IOSEPH Can.cus CALDERONI Revisor Episcopalis

250.8 Berardi, Aemilius
B483
Praxis confessariorum
vol. 1

DATE	ISSUED TO
NOV 22	Berard

250.8
B483

Graduate Theological Union 1962

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library